



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460518

Liber I. Decretalium. Gregorii IX. Pontificis M.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61781](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61781)

LIBER I. DECRETALIUM.

Gregorii IX. Pontificis M.

TITULUS I.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

SUMMARIA.

- | | | |
|--|-------------------|---|
| 1. Fides Catholica quid? | 2. Est donum DEI. | 8. Aut de Jure humano? |
| 3. An infideles cogi possint ad suscipiendam fidem Catholicam? | | 9. An provisus de Beneficio curato, vel Canonicali fructus lucretur, si per ignorantiam omittat professionem fidei? |
| 4. Credenda est SS. Trinitas, & quidquid à DEO revelatur per scripturam, traditiones, aut definitiones Ecclesie. | | 10. An scienter omittens teneatur restituere fructus ante omnem sententiam? |
| 5. Requisita fidei Catholicae. | 6. Ejusdem finis. | 11. Qualiter superiores Regularium, & promovendi ad Doctores gradus fidem profiteri teneantur? |
| 7. Professio externa fidei quando sit necessaria de Jure Divino? | | 12. Contraria fidei Catholicae. |

Cum fons & norma Juris Canonici sit Fides Catholica, & quæ ejus primum objectum est, summa TRINITAS, rectè hæc rubrica præmittitur.

§. I.

1. *Definitur autem Fides Catholica, quòd sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. ad Hebraeos. 11.*

§. II.

2. *Causa efficiens Fidei Catholicae est ipse DEUS: Fidem enim donum Divinum esse attestatur Apostol. ad Ephes. 2. dicens: Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est. S. Th. 2. 2. q. 6. a. 1. & 2. ubi refellit contraria.*

§. III.

Subjectum Fidei Catholicae est Catholicus Viator: non enim est in Paganis, Judæis vel Hæreticis. Trident. sess. 6. de Justificat. c. 15. neque manet in Beatis aut damnatis. Certa & communis cum S. Th. 2. 2. quest. 6. a. 1. & 2.

Illud hic quari potest, an infideles non baptizati sint compellendi ad fidem Catholicam suscipiendam? Existimaveris cum Scoto, Gabriele, & aliis compellendos esse. Siquidem Lucæ 14. v. 23. præcipitur: *exi in vias & fopes & compelle intrare.* Deinde in *L. f. 3. C. de Paganis* jubentur confiscari bona Paganorum nolentium baptizari. & in *l. 12. C. de Judæis.* coguntur Coelicolæ eisdem pœnis ac Hæretici fidem recipere. Ad hæc, infideles post factam sufficientem Evangelii propositionem ex lege naturali & Divina credere tenentur; Ergo Principes tam Ecclesiastici, quam sæculares, qui custodes sunt & ultores Legis Divinae, possunt, imò debent infideles cogere ad fidem suscipiendam. Sed opinioni huic apertè obloquuntur textus in *cap. 5. dist. 45. in c. 33. causa 23. q. 1. in c. 9. de Judæis.* & D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 8. ex ea ratione. quia credere est voluntatis: & ad fidem solâ Dei gratiâ vocamur. Neque urgent argu-
menta

menta in contrarium adducta: nam *Luca 14.* Christus Ecclesie solum facultatem dedit, ut infideles nondum baptizatos compellat intrare in Ecclesiam, non vi armata aut violenta compulsionem, sed vehementiam argumentorum, miraculorum, aliorumque motivorum, quæ mentem flectant. Quodsi allegata verba *Luca* etiam de vi armata sint intelligenda, dico, Christum tantum loqui de violenta compulsionem infidelium baptizatorum, scilicet hæreticorum & schismaticorum, qui ratione baptismi pertinent ad jurisdictionem Ecclesie, & compelli possunt, ut redeant ad unitatem Corporis Christi, *c. 4. de Apostat. cap. 13. de Hæreticis in 6.* Ad *citt. Leges & rationem propositam* respondeo, infideles ad suscipiendam fidem sub pœnis cogi nec potuisse, nec posse à Principibus: quia his in infideles vel nulla est potestas, vel certè tantum temporalis, & ad finem naturalem ordinata: susceptio autem fidei non est merè juris naturalis, sed supernaturalis, & ad finem supernaturalem pertinet, *Gonzal. in d. c. 9. de Judais num. 8.*

§. IV.

4⁷ *Materia seu objectum Fidei Catholice est quidquid divinitus Viatoribus obscure revelatum est: immediate, vel mediate: Scripturâ, Traditione. Trident. sess. 4. in decreto de Canon. script. vel etiam testificatione, declaratione, seu definitione Ecclesie: quia enim Ecclesia DEI vivi columna est, & firmamentum veritatis. 1. ad Timoth. 3. & juxta Christi promissionem Matth. 16. porta inferi non prevalebunt adversus eam. consequens est, quæcunque Ecclesia per SS. Pontifices & Concilia generalia tanquam ad fidem vel mores spectantia Christiano populo decernit ac proponit, firma, infallibilia, ac Divinâ fide credenda esse prout decisum est in *e. 1. & 7. dist. 19. c. 9. c. 14. & passim causâ 24. q. 1. c. 3. de Baptismo.* Primum autem locum inter omnia*

fidei mysteria sibi vindicat Omnipotens & ineffabilis DEUS, unus in essentia, & Trinus in Personis: PATER, FILIUS, & SPIRITUS S. c. 1. b. r. Unde S. August. *lib. 4. de Civit. DEI. c. 20.* docet, *primum & maximum fidei officium esse, ut credatur in verum DEUM.*

§. V.

Forma Fidei Catholice stat in requisitis. 5
Requiritur autem I. ut sit una: nec enim potest alia esse apud Græcos, alia apud Armenos, alia apud Latinos *c. 18. causâ 24. q. 1.* II. ut sit firma & constans seclusâ omni hæsitacione, dubitatione, vel formidine de opposito *c. 1. ibi: firmiter b. r.* III. ut sit certa & infallibilis, ob certum & infallibile DEI de re aliqua testimonium, seu dictum; quod differt à fide humana. IV. ut sit obscura, nim. ob obscuritatem rei revelatæ & creditæ, quæ non proponitur, ut in se est, sed solum creditur firmiter sic esse, sicut revelatur & proponitur, juxta notissimum illud D. August. *tr. 40. in Joan. Quid est fides, nisi credere, quod non vides.*

§. VI.

Finis Fidei Catholice est æviterna felicitas: etenim fides est fundamentum ac basis totius spei, ac salutis nostræ: nam credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia requirentibus se remunerator est. Ad Hebræos 11. 6

§. VII.

Effectus Fidei Catholice exponunt Theologicum S. Th. 2. 2. q. 7. Quibus accendi potest, & ad nostrum institutum pertinet professio externa fidei, quæ aliquando Jure Divino, aliquando verò tantum de Jure humano est necessaria. 7

Jure Divino tenetur quilibet fidelis periculo quovis non obstante exterius fidem profiteri, quoties ita exigit honor DEI & Religionis, aut proximi salus. Luca 9. v. 26. Matth. 10.

v. 32.

¶ 32. *Ad Rom. 10. v. 10. S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2.*
 Hinc, si interrogatus de fide taceas, & inde
 alii credant te fidem non habere, vel certe
 propter tuum silentium in fide nutent, aut
 infideles fidem contemnant, peccas mortali-
 ter contra fidei præceptum. Planè exterius
 negare fidem sive expressè, sive interpretati-
 vè, nimirum verbo, signo vel factò aliam fal-
 sam sectam simulando, etiã si quis fidem ve-
 ram illibatam in corde retineat, est intrinsecè
 malum & nunquam penitus licitum, juxta
 Christi comminationem. *Matth. 10. v. 33.*
qui negaverit me coram hominibus, negabo &
ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.
 Laym. in *Theol. moral. l. 2. tr. 1. c. 9.*

8 *Ex jure humano videlicet Trident. sess. 24.*
de Reform. c. 12. tenentur provisi, de Beneficiis
quibuscunque curam animarum habentibus à
die adeptæ possessionis adminus intra duos men-
ses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito,
coram generali ejus vicario seu Officiali ordo-
doxa sua fidei publicam facere professionem, &
in R. Ecclesia obedientia se permansuros sponde-
re, ac jurare. Provisi autem de Canonica-
ribus & Dignitatibus in Ecclesiis cathedra-
libus non solum coram Episcopo, seu ejus offi-
ciali, sed etiam in Capitulo idem facere tenen-
tur: alioquin (ut idem Concilium decernit)
prædicti omnes provisi fructus non faciant suos,
nec illis possessio suffragetur. Circa quam Or-
dinationem.

9 *Dubitatur I. anne fructus lucrifaciat Ca-*
nonicus vel Parochus, qui per ignorantiam
aut oblivionem ultra duos menses prædictam
fidei professionem intermisit? Videtur, quòd
non. Nam in foro externo hujusmodi igno-
rantia vel oblivio, cum sit ignorantia Canonis
seu legis, non relevat per c. 13. de R. l. in 6.
In foro conscientie autem justa esse non po-
test: cum quisque id nôsse debeat, quòd ad
usum, statum & vitæ conditionem communi
jure spectat arg. s. 7. f. de Leg. Aquil. Sed

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

firmiore fundamento nititur sententia negati-
 va: etenim juxta recitatum textum Tridentini
 v. alioquin illi solum fructus suos non faciunt.
 qui scienter omittunt professionem fidei, cum
 ad eam tenerentur; ignorans autem non tene-
 tur ad observantiam præcepti. Neque offi-
 cit argumentum contrarium: nam ultrò con-
 cedo, excusationem Juris ad eò clari in foro
 externo non fore admittendam, nisi legitimè
 probetur; Secus in foro interno, de quo hic
 sermo. Et quamvis etiam in hoc foro qui-
 libet nôsse deberet omnia, quæ ad suum sta-
 tum & vitæ conditionem pertinent, posito
 tamen, quòd aliquis planè invincibiliter
 ignoret, manifestum est, quòd sicut talis à
 delicto, ita quoque à debito, aut pœna ex-
 cusetur. Layman. l. c. num. 7.

Dubitatur II. an qui omisit professionem
 fidei intrà duos menses, teneatur ad fructuum
 restitutionem etiam ante sententiam? Negat
 Sanchez in *Præcept. Decal. lib. 2. c. 5. n. 10.*
 quia Lex pœnalis (qualis est prædicta Tri-
 dent. constitutio) non obligat ante senten-
 tiam, etiam si pœnam ipso jure irroget per
 c. 19. de *Heretic. in 6.* Deinde, quòd ipsum
 Trid. ubi vult obligare ad restitutionem ante
 sententiam, illud clarè exprimat adjectâ clau-
 sulâ: *alià etiam declaratione non secutâ*, ut vi-
 dere est in *sess. 23. de Reform. c. 1. v. Si quis*
autem. Sed probabilius est, omittentem pro-
 fessionem fidei etiam ante sententiam Judicis
 teneri ad restitutionem fructuum post duos
 menses perceptorum, tanquam rei alienæ, &
 quam nunquam suam fecit: Trident. enim
 hos fructus non aliter vult suos fieri jure per-
 ceptionis, quàm sub conditione emissæ priùs
 professionis fidei, ut statim patebit probè ex-
 pendentem textum allegatum. Recipio tamen
 sententiam Sanchezii quò ad fructus ante duos
 menses perceptos, & quos Parochus v.g. jam
 fecit suos: quia istis Trident. non privat: &
 gravius est aliquem obligare ad restitutionem

B

rei

rei suæ, siue quæ jam semel propria fuit, quàm rei simpliciter alienæ, ad cuius restitutionem ipsa natura obligat. Vid. *Garc. de Benef. p. 3. q. 3. n. 35.* Ad argumenta allata, & quidem ad *primum* respondeo, constitutionem Trident. non esse pœnalem, sed conventionalem: exigit enim à provisus de supradictis Beneficiis intra duos menses professionem fidei, seu conditionem, sub qua fructus suos faciant, quem admodum contrahentes nonnunquam conditiones apponunt, sub quibus & non aliter velint transire dominium rei in alterum. Ad *secundum* dico, clausulam: *aliâ etiam declaratione non secutâ*, in nostro casu ex ipsa rei natura subintelligi; taciti autem & expressi idem est iudicium per *l. 3. ff. de Reb. cred. & l. 4. ff. de Pactis.*

II Porro Decreto Trident. de quo hætenus, Pius IV. in Bulla: *Injunctum nobis*, addidit, ut eadem professio fidei fieri debeat ab omnibus Superioribus Regularium; quæ tamen Bulla in quibusdam Religionibus vel nunquam recepta, vel usu contrario abolita est, ut notat Diana *p. 3. tr. 78.* Insuper Pius V. in Bulla *In sacrosancta* decernit, ut ad hanc fidei professionem teneantur omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscunque artis aut facultatis Professores tam Clerici, quàm Laici. Ubi etiam continetur excommunicatio latae sententiæ, & privatio omnium Beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram sine pravâ fidei professione promovent. *Laym. d. c. 9. num. 7.*

§. VIII.

12 *Contraria* Fidei Catholicæ est infidelitas, nempe judaismus, paganismus, & hæresis. *Trid. sess. 6. de Justif. cap. 15.* ubi asserit, *fidem infidelitate amitti.* Haud igitur accesserim Durando, qui contendit fidem permanere in Hæreticis, & in iis, qui alii cui fidei articulo scienter dissentiant.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

SUMMARIÆ.

1. *Constitutionis etymologia.* 2. *Synonymia.*
3. *Homonymia.* 4. *Definitio.* 5. *Ei Divisio.*
6. *Leges Ecclesiasticas generales ferre possunt S. Pontifex & Concilia Oecumenia.*
7. *Particulares vero Cardinales, & ibi de Autoritate Eorundem Declarationum.*
8. *Item Episcopi, aliiq; Prælati; Concilia particularia & Capitula Ecclesiarum Cathedralium.*
9. *Leges Civiles generales condere possunt Summi Principes & quidem in Imperio Imperator; particulares autem alii Principes inferiores & communitates.*
10. *An Legislator subiciatur sue Legi?*
11. *An Clerici legibus secularibus?*
12. *An Laici legibus Ecclesiasticis?*
13. *An legibus obstringantur usu rationis carentes?*
14. *Quando pueri incipiant obligari legibus maxime pœnalibus?*
15. *An Peregrini obligentur statutis sue patriæ: aut loci transitis?*
16. *An Religiosos tum exemptos, tum non exemptos ligent statuta Diocesana?*
17. *Quæ Leges præcipi, prohiberi, puniri aut permitti possunt?*
18. *An actus interni & occulti cadant sub legem?*
19. *Lex non obligat, nisi publicè promulgata.*
20. *Ubi leges præsertim Pontificiæ promulganda, & an statim post promulgationem obligent?*
21. *An valor Legis dependeat ab acceptatione populi?*
22. *Leges necessariò ordinantur ad bonum commune.*
23. *Lex humana obligat in conscientia, nisi sit fundata in presumptione facti, aut purè pœnalis.*
24. *Ad incurrendam pœnam Legis regulariter requiritur sententia.*
25. *An & quatenus transgressorem Legis excuset ignorantia.*
26. *Si Lex aliquid prohibeat, censetur irritare.*
27. *De interpretatione authentica, usuali, & doctrinali.*
28. *Abrogatio Legis quid sit, à quo, & qualiter fieri debeat?*
29. *Lex posterior contraria regulariter abrogat priorem, etsi de ea mentionem non faciat.*
30. *Derogatio quid?*
31. *Dispensatio quid: & quis in Lege dispensare possit?*
32. *Cum quibus dispensari possit, & an quis secum ipsos?*
33. *An S. Pontifex possit dispensare in jure Divino?*
34. *Dispensatio debet fieri cum cognitione causæ.*

Prinicipia generaliora, è quibus Jus Canonicum coalescit, sunt Constitutiones, Rescripta, & Consuetudines.

§. I.

I Constitutio à constituendo, id est, simul statuendo dicitur: vel quia Princeps non solus, sed cum suis Consiliariis constitutiones condere solet. arg. l. 8. C. de LL. vel quia constitutio debet esse communis, ac pro pluribus lata juxta c. 2. dist. 4.

§. II.

2 Synonyma Constitutionis vulgò esse censentur: Lex, Jus scriptum, Sanctio, statutum, præceptum, edictum, decretum, mandatum, canon, regula, norma &c. Dixi autem, vulgò pro synonymis haberi: siquidem inter hæc manifestæ occurrunt differentie, quas passim apud Authores legere est.

§. III.

3 Sumitur Constitutio vel strictè & propriè, vel latè. Strictè ac propriè sumpta est jus, quod vel S. Pontifex, vel Imperator, vel Rex, vel alius supremus Princeps constituit per c. 4. dist. 2. Latè verò accipitur pro omni jure humano scripto, quod à quocunque sive à Principe, sive ab inferiore potestate legislativâ prædico conditum est. Et ita hic usurpatur: nam sub hac rubrica tractatur non tantùm de statutis Principum, sed etiam inferiorum, ut patet ex c. 6. 8. 9. & aliis. h. t.

§. IV.

4 Definitur Constitutio, quòd sit ordinationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4.

§. V.

5 Dividitur Constitutio variè. I. in Ecclesiasticam & Civilem. Ista descendit à potestate Ecclesiastica, & canon indigitatur in Summa dist. 3. Hæc à potestate seculari, & jus forense, seu Civile vocatur in cit. sum. dist. 3.

II. Dividitur Constitutio in generalem &

particularem. Generalis est illa, quæ lata est à Summo Principe, puta Pontifice, Imperatore vel Rege. Particularis verò, quæ ab inferioribus Prælatibus vel Principibus non superiorem recognoscentibus statuitur, & communiter statutum nuncupatur.

III. Dividitur Constitutio in præceptivam, & pœnalem. Præceptiva est, quæ aliquid absolute & simpliciter præcipitur, aut prohibetur. Pœnalis, quæ transgressori pœna aut multâ injungitur; & si eâ pœnâ capitis imponatur, propriâ phrasi *sanctio* dicitur. l. 41. ff. de Pœnis. Est autem lex pœnalis alia purè pœnalis, aliamixta. Purè pœnalis est, cum in ea solius pœnæ fit mentio, & legislator solum intendit obligare ad pœnam, non etiam ad culpam, ut si ita statuat: quicumque feram cœperit, vel lignum in hac sylva cæciderit, vel arma portaverit, &c. 300. aureis multabitur. Quò etiam extra materiam votorum pertinent plurimæ Constitutiones & Regulæ SS. Religionum & Ordinum, ut de Regula Dominicanorum habet S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. & de Regula Sanctiss. P. Benedicti probabiliter docet Ant. Perez. in Prolog. Reg. divis. 5. n. 122. Constitutio mixta est, quæ habet duo membra, quorum primo aliquid jubetur, vel prohibetur, altero verò transgressoribus pœna imponitur, ut si legislator ita caveat: nemo subditorum arma vendat hostibus Imperii; qui contra fecerit, ejus bona confiscabuntur. Et huc communiter revocantur Leges de solvendis tributis, gabellis & vestigialibus; si modò latæ sint ab habente legitimam potestatem, ex justa causa, & secundum rectam quantitatem ac proportionem. Covar. & Laym. quos refert & sequitur P. Engl. ad h. t. n. 46.

Cæterum quæ constitutiones seu leges purè pœnales sint, quæ mixtæ, ex verbis legis & consuetudine, quæ optima legum interpretis est, desumi debet. Suarez de LL. lib. 5. c. 4. n. 8.

IV. Dividitur constitutio in favorabilem & odiosam. Hujus divisionis notitia utilis & necessaria est, ut sciamus, quænam lex amplam, quæ strictam patiatur interpretationem juxta *e. odia 15. de R. J. in 6.* Est autem crebriore Doctorum calculo comprobata sententia, quod constitutio censeatur favorabilis vel odiosa ex primario & principali fine Legislatoris; favorabilis, si principaliter facta sit in favorem alicujus, licet in damnum, aut odium alterius redundet: odiosa, si principaliter tendat in alicujus odium, & poenam, quamvis cedat in alterius favorem. Sanchez de *Matrim. l. 1. disp. 1. n. 4.* ubi hanc doctrinam exemplis illustrat. §. VI.

Causa efficiens Constitutionis seu legis est is, qui curam communitatis habet: quia lex ad bonum commune ordinatur; ordinare autem aliquid ad bonum commune ad illum spectat, qui curam & vices communitatis gerit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 90. a. 3. ad 3. Unde promptum est colligere, quinam constitutiones tum Ecclesiasticas, tum Civiles ferre possint. Nam

6 I. S. Pontifex leges Ecclesiasticas constituere potest pro tota Ecclesia. *c. 6. de Majorit. & obed. extravag. 1. eod. inter comm. c. 13. de Judiciis.* Et hanc potestatem immediatè à Christo accepit per verba illa *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum &c. & Joan. ult. Pæce oves meas. c. 2. dist. 22.* neque in ejus potestatis usu à Conciliis, vel Cardinalium consensu dependet. *c. 17. causâ 9. q. 3.*

Controversum est, an S. Pontifex etiam possit condere constitutiones civiles seu politicas per totam Ecclesiam obligantes? *q. extra proprium territorium temporale non posse: quia potestas politica, ordinaria & directa, ac jurisdictio tam legislativa, quàm dominativa est penes Principes sæculares exclusivè ad Papam, ut ipsimet Pontifices liquidè profitentur in c. 8. dist. 10. c. 6. & 10. dist. 96. d. c. 13. de*

Judiciis. & c. 13. Qui filii sine legit. Sic tamen, ut, quando de peccato agitur, totiusque Ecclesiæ bono, possit S. Pontifex legi civili derogare ac Principes coërcere &c. & ita indirectè, extraordinariè & veluti casualiter temporalem potestatem, tanquam medium spirituale necessarium in totam Ecclesiam exercere. *c. 34. de Elect. d. c. 13. de Judic. c. 5. & sin. de Præscript. c. 6. de Votis. d. extravag. 1. de Major. & obed. inter Com. & constat perpetua Ecclesiæ praxi.*

II. Concilia Generalia & Oecumenica auctoritate Pontificiâ congregata possunt quidem similiter ferre constitutiones Ecclesiasticas universales, non tamen ligantes universam Ecclesiam, quoadusque Pontifex assensum præbeat, easque confirmet. *dist. 17. per tot. c. 4. de Elect.* neque ullibi reperitur illis tam ampla potestas concessa, sed potius omnia Concilia Generalia à Pontifice suorum Decretorum confirmationem petere consuevisse.

III. Cardinales sancire possunt leges, quæ obligent Ecclesias suorum Titulorum. *c. 11. de Major. & obed. Panorm. in c. 24. de Elect.* non autem universales, quæ obligent totam Ecclesiam arg. *clém. 2. de Elect.* Idque procedere etiam Sede Papali vacante, convincitur ex *c. 3. eod. in 6.* ubi præcipitur, ut Cardinales mortuo S. Pontifice post 10. dies exactos quàm primùm omni conatu & sollicitudine Ecclesiæ pastorem eligant, & se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi urgens necessitas incidat, ob quam Ecclesiam ab imminente periculo defendi necesse sit.

De Declarationibus Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini disceptatur, an legis universalis auctoritatem obtineant? Eas tantùm doctrinales esse, aut ad summum facere jus privatum & particulare inter partes consulentes contendunt plures Theologi, eò quòd non soleant promulgari, cùm tamen promulgatio sit de essentia legis. Nihilominus

nus magis est, ut censeam, prædictas Declarationes etiam ante promulgationem solennem habere vim decisivam, seu legis universalis: etenim quæ potestas olim permixta fuit Jurisconsultis, ut possent de jure respondere, eorumque responsa auctoritatem legis haberent à quibus nulli Judicium recedere liceret. *f. 8. f. de f. N. G. & C. eadem Congregationi Cardinalium videtur concessa à Sixto V. in Bulla: Im mensa aterni Dei. f. Deo autem Patri. & à Gregorio XIV. per litteras in forma Brevis; prout luculenter probat Faghan. in c. quoniam. n. 81. & seqq. h. z. Neque oblatæ fundamentum Adversariorum: quia solemnitas promulgationis exigitur quidem in novæ legis editione, non verò in declaratione legis antiquæ: cum enim legis declaratio non faciat novum jus, sed tantum manifestet; & detegat, quod prius erat, sufficit promulgatio legis declaratæ, cui declaratio intimè inest per text. & Bart. in *L. heredes. f. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* & consequenter vis Declarationum S. Congregationis ex eo non impediatur, quòd promulgatæ non fuerint.*

Rectè tamen advertit P. Engl in *Proom. Decretal. n. 16.* tria esse necessaria, ut Declarationes Cardinalium fidem & vim legis mereantur, videl. I. ut fiant consulto S. Pontifice, & hoc ipsum in iis exprimitur: ita constituit Sixtus V. in d. Bulla: *In mensa aterni Dei.* adjectâ clausulâ: *Nobis tamen consultis.* II. ut Cardinales Concilii decretum solum interpretentur, nec id amplient, seu restringant, vel in eo dispensent, nisi ex speciali Pontificis mandato; quòd ipsi declarationi inferendum est: ita præscripserunt Pius V. & Gregorius XIII. III. ut tales Declarationes exhibeantur in forma authentica cum sigillo solito Congregationis & suscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti & Secretarii, quod necessarium tot subornatis Declarationibus à veris distinguendis: ita cavet Urbanus VIII. referente Barb. *f. E. V. Lib. 1. c. 4. n. 83.*

IV. Constitutiones Ecclesiasticas, seu statuta condere possunt Legati Sedis Apostol. pro tota provincia suæ Legationis, *c. fin. & ibi Panorm. de Offic. Legati.* Patriarchæ, Primate, Archi-Episcopi & Episcopi, sed quilibet pro sua particulari Diocesi. *c. 2. de Majorit. & obed. c. 2. h. t. in 6. junctis c. 9. de Offic. Ordinarii. & c. 4. f. 6. 7. & 8. causâ 9. q. 3.* Item Abbates, aliiq; Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem pro sua quasi Diocesi arg. *c. 6. f. Abbas verò de Statu Monachor.* Deinde Concilia Nationalia pro Natione, Provincialia pro Provincia, & Diocesana pro Diocesi correspondente, ut constat ex *c. 5. dist. 17. & totâ dist. 18.* Denique Capitula Ecclesiarum Cathedralium; nempe vacante Sede etiam pro tota Diocesi per *c. 11. c. 14. & ibi Panorm. n. 24. de Majorit. & obed.* Episcopo autem vivente de iis duntaxat, quæ spectant ad ordinem, & bonum regimen ipsius Capituli arg. *c. 6. & 8. h. t. c. 14. de Cleric. non resid.* Neque hoc casu requiritur consensus Episcopi, nisi talia statuta cederent in ejus vel Ecclesiæ præjudicium, aut fierent circa negotia valde ardua. Text. & Panorm. in *d. c. 6. h. t. & c. 9. de Consuet.*

Planè illud in editione omnium constitutionum particularium, seu statutorum Ecclesiasticorum observandum est, ne fiant contra Canones & jus commune ex toto vel ex parte arg. *c. 16. de Majorit. & obed. & clem. 2. de Elect.* Præterea ne ferantur circa causas graviores & Sedi Apostol. reservatas, ut sunt illæ, quæ pertinent v. g. ad fidei declarationem & promulgationem, vel ad statum universalis Ecclesiæ, vel ad Privilegia & consuetudines universales vel ad Episcopatus dividendos, aut uniendo, & similia. *Glos. in c. 2. de Major. & obed.* Semper enim tenenda est debita subordinatio ad S. Pontificem; neque in generali concessione intelliguntur venire illa, quæ in specie non essent verisimiliter concedenda *c. f. de Offic.*

Vicar. in 6. & ideo neque in generali concessione condendi leges veniunt causæ graviores.

9 Porro Leges Civiles generales condere possunt in Democratia universus populus, in Aristocratia optimates, in Monarchia summus Princeps; & quidem in Romano nostro Imperio Imperator per *l. 1. ff. de Constit. Princ.* Qui tamen hodie leges totum Imperium obligantes aliter ferre non potest, quam de suffragio & consensu Statuum. *Recess. Imperii de Anno 1576. §. aber doch daß Sie. & de Anno 1599. §. darait dann hinsüran.* Et inde forte est, quod hodiernæ constitutiones appellentur *Recessus non Imperatoris, sed Imperii.* Particulares, Locales, seu Provinciales leges vi superioritatis territorialis ferre possunt Electores, Principes, & alii Imperii status tam Ecclesiastici, quam Sæculares, easque etiam Juri communi contrarias, siquidem vulgata regula est, quod quilibet Princeps in suo territorio tantum possit, quantum Imperator in Imperio; quæ tamen solum procedit in juri- bus communicatis, non verò in reſervatis. *Gail. de Pace publ. lib. 1. c. 6. n. 10. Eckolt ad ff. de Legib. §. 8.* An autem etiam Collegiis seu Universitatibus Magistrorum aut Professorum artium vel scientiarum liberalium potestas statuta intra limites suæ facultatis ponendi competat? Negat Suarez *lib. 4. de LL. c. 6. n. 13.* Affirmat probabilibus Pannorm. *in c. 7. n. 7. b. t.* eò quod jurisdictionem aliquam sibi à publica potestate commissam habeant arg. *l. ult. C. de Jurisd. omn. jud. auct. habit. C. Ne filius pro patre.*

§. VII.

Subjctum Constitutionis seu Legis sunt subditi, quibus præſcribitur, & qui habent rationis usum. Suarez *lib. 3. de LL. c. 31. n. 4.*

Dicitur I. *Subditi*: illi enim duntaxat legibus subjiciuntur, qui jurisdictioni & imperio ſtatuentium subduntur *c. 16. de Majorit. & Obed.* Ex quo

Sequitur I. Legislatorem non tantum non teneri vi legum suarum coactiva, sed ne directiva quidem per se ac directè: quia nemo se ipso inferior, sibiq; subditus est: & ut dicitur *in l. 51. ff. de Recept. qui arbitrium. neq; imperare sibi, neq; se prohibere quisquam potest*: Dixi: per se & directè. indirectè siquidem ex quadam decentia & honestate naturali Legislator jis constitutionibus suis obligatur, quarum observatio & usus æquè ipsum ac subditos decet per *c. 6. v. cum igitur b. t.* Ratio est: quia quamvis nemo possit sibi ipsi obedire, & subditus esse, ratio tamen naturalis præſcribit, ut quas leges quis condit, eas observet, ne illas non observando suspectas, duras, & odiosas reddat ipsis subditis: tum enim *jura sua Legislator ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet*, ait Hieronymus relatus *in c. 2. dist. 9.* atque hoc modo accipiendi sunt textus *in l. 4. C. de LL. l. 23. ff. de Legat. 3. & §. f. f. Quib. mod. testam. infirm.* in quibus Princeps se legibus suis alligatum fatetur.

Sequitur II. Clericos non teneri vi legum sæcularium coactiva, neque directiva directè & per se, sed tantum indirectè. Ratio est: quia vis obligandi Clericos ad servandas leges sæculares non provenit ab ipsis Legibus, sive à jurisdictione & potestate coercitiva sæculari, à quâ Clerici omnimodè exempti sunt *c. 10. b. t. c. 30. de Jurejur. c. 4. de Censib. in 6.* sed tum à jure naturæ, quatenus æquum est, ut Clerici tanquam membra seu partes alicujus Reip. ad conservandam publicam tranquillitatem & pacem se conforment Legibus communibus Reip. tum à jure Canonico in defectu Canonum generaliter recipiente & approbante constitutiones sæculares juxta *c. 1. de N. O. N. & c. 28. de Priv.* Atqui hoc est indirectè tantum obligari, & non quo ad vim coactivam, sed solummodo directivam. Ergo. Verum hæc doctrina, ut locum habeat, moderanda est:

nam

nam si constitutiones seculares repugnent SS. Canonibus, vel de rebus ac personis Ecclesiasticis sive mandando sive prohibendo disponant; aut libertati Ecclesiasticæ, vel Clericorum statui adversentur, nec indirectè quidem Clericos obligare possunt, sed irritæ sunt & nullius momenti c. 7. & 10. h. t. & ibi prolixè Panorm. aliisque Interpp. Confer etiam, quæ supra in *Proem. n. 7.* diximus.

12 Sequitur III. Laicos non teneri constitutionibus Ecclesiasticis in causis & rebus profanis. c. 8. dist. 10. c. 7. *Qui filii sint legit.* nisi Prælati Ecclesiæ subditi sint etiam quo ad temporalia arg. c. 7. §. f. de Appellat. In causis autem Ecclesiasticis, & rebus spiritualibus Laicos æquè ac Clericos obligari: in his enim, ut in c. 4. de Majorat. & Obed. dicitur: *omnes Principes terra & ceteros homines Episcopis obedire, beatus Petrus præcipiebat.* Excipiuntur infideles Judæi & Pagani, ipsique etiam Cathecumeni: cum enim sint extra Ecclesiam, eò ipso quòd careant baptismate, quod est fundamentum subjectionis ad Ecclesiasticam jurisdictionem, consequens est, eos constitutionibus Ecclesiasticis obligari non posse juxta illud 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Aliud est de hæreticis, qui cum fidem, & baptismum Christi susceperint, Ecclesiæ membra & subditi facti sunt, ideoque ad obedientiam & observationem Ecclesiasticarum constitutionum non minùs, quàm Catholici tenentur, pœnisque ac censuris compelli possunt, ut colligitur ex c. 5. dist. 45.

Dicitur II. quibus præscribitur: nam si constitutio nominatim imponatur Clericis, eà non tenentur Laici: & si lex feratur pro certa parte communitatis v. g. pro sola plebe, reliquam partem, puta Nobiles & Illustres, non obligat.

13 Dicitur III. & qui habent rationis usum, quia lex est rationalis regula humanorum actuum; ergo ubi non est capacitas rationis

& humanorum actuum, ibi non est subiectura legis. Ideoque infantes & perpetuò amentes Legibus haud obligantur. Unde

Infertur I. Religiosos, aut Moniales non incurere excommunicationem, qui infantes diversi sexûs nondum ratione utentes in Monasteria admittunt, cum introducentes non videantur rei majoris culpæ, quàm qui introducuntur. Ego tamen id quidem exposito principio consequi, & verum esse puto, nisi fortè id ipsum justa de causa specialiter prohibeatur, quemadmodum Trid. sess. 25. de Regular. c. 5. Sanctimonialibus prohibere videtur hisce verbis: *ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunq; generis, conditionis, sexûs, vel ætatis fuerit.*

Infertur II. non peccare eos, qui infantibus aut perpetuò amentibus in die jejunii carnes ad comedendum porrigunt: quia non cooperantur rei, seu actioni comedentibus prohibita seu illicitæ. Nec quis autemet, hinc sequi, etiam non peccare, qui carnes porrigunt ebriis, vel ignorantibus esse diem jejunii, cum & isti non peccent comedendo: dispar enim est ratio: quia infantes & amentes simpliciter sunt exempti ab obligatione legum; ebrii verò & ignorantes, etsi per accidens excusentur pro illo tempore & statu, per se tamen subditi sunt legibus, & consequenter licet ipsi non peccent carnes in die jejunii comedendo, peccant tamen, qui eos ad comedendum alliciunt, vel impellunt, quia cooperantur actioni alteri prohibita. Idem per se loquendo dicendum foret de amentibus ad tempus: cum tamen amentia morbus gravissimus sit, ideo licet eis per accidens carnes dare, tanquam cibos ad morbi curationem magis aptos.

Infertur III. pueros, quàm primùm usum rationis adepti sunt, dolique capaces fiunt (quod fermè accidere consuevit post completum septennium. l. 18. C. de Jure delib.) subjeci &

& obligari legibus, nisi forte specialiter excipiantur arg. c. 12. de Penit. & Remiss. Ratio est: quia quemadmodum usus rationis eos facit capaces culpæ, ita & facit capaces debiti & obligationis per legem. cum hæc necessariò supponatur ad culpam. Imò multi sunt, qui velint hanc doctrinam procedere etiam in censuris à jure latis, ita ut post septennium pueri, si doli capaces sint, etiam censuram Ecclesiasticam incurrant v. g. excommunicationem, si percutiant Clericum. c. fin. de Sentent. excom. irregularitatem, si aliquem occidant juxta Clem. un. de Homicid. Alii tamen cum Sà apud Laym. de LL. c. 10. n. 5. probabiliter defendunt, censuram nunquam incurri ante annum ætatis decimum, cum scilicet impubes pubertati proximus esse incipit, eò quòd etiam in foro Civili pueri non soleant puniri ob delicta, quæ in ætate proxima infantia commiserunt, sicut constat ex §. 18. J. de Oblig. qua ex del. & l. 111. ff. de R. J. Addo, etiam pubertati proximus, cum in Legibus aut Sacris Canonibus poenæ gravissimæ, puta excommunicationis, prohibitionis sepulturæ, ingressus in Ecclesiam &c. decernuntur, non censeferi comprehensos arg. c. 1. de Delictis puer. ubi Pontifex ait, quòd peccata in pueris, scilicet impuberibus, non ita, ut in majoribus natu, id est, puberibus punienda videantur; quin potius ut in d. c. fin. de Sentent. excom. dicitur: *propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor est mansuetudine temperandus.* Superflunt circa propositam supra & hætenus expositam Regulam duæ quæstiones non indignæ, quibus immoremur.

Quar. enim I. an & quibus Legibus obligentur Peregrini?

15 R. I. Peregrini non obligantur legibus suæ patriæ, dum extra illam existunt. Ratio est: quia sicut agentia naturalia non agunt extra Sphæram suæ activitatis, ut loquuntur Philosophi, ita neque Principes sive Ecclesiastici,

sive seculares, qui sunt quasi agentia moralia, possunt extendere suam jurisdictionem ultra proprium territorium, sed activitas jurisdictionis cujuscunque Principis in ferendis constitutionibus limitatur ad proprium cujusque territorium, ceu Sphæram. Hinc regula illa sumpta ex l. ult. ff. de Jurisdic. & allegata in c. 2. h. t. in 6. quòd extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. Vid. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 19. & seqq. ubi ex hoc asserto plures notabiles illationes deducit.

Planè illud non est necesse, ut transgressor semper physicè existat intra territorium, sed potest committere in legem territorii etiam extra illud positus, si nempe alibi facit, ut in territorio ponatur actus prohibitus, vel non ponatur actus præceptus: censeatur enim tunc delinquere in territorio ipso: quia ibi dicitur quis delinquere, ubi non facit, quòd facere deberet, aut è contrario facit, quòd non deberet per l. 121. ff. d. R. J. Hinc si quis corpore quidem existens extra Diocesim occidat hominem intra Diocesim existentem, censeatur peccare in Diacesi, ideoque censuram, si quæ in ea lata est contra homicidas, incurrare. Similiter beneficiatus aliquis, licet extra Diocesim commoretur, incurrit censuram à proprio Episcopo latam contra residentes, quia omisso residentia consummatur in Diacesi arg. c. 11. de Cleric. non resid.

R. II. Peregrini obligantur ad servandas leges juris comùnis in loco, ubi defacto sunt, receptas, et si illæ in patria non servantur Layman de LL. c. 52. num. 3. qui hanc sententiam dicit communem. Ratio est: quia jus commune quantum est de se, ubique & omnes obligat. Neque eximit peregrinos ab obligatione ejus contraria consuetudo patriæ, quæ jus commune abrogatum fuit: cum enim consuetudo hæc odiosa sit, utpotè contra jus commune, non debet ad alia loca extendi, sed restringi præcisè ad locum illum, in quo viget,

in-

instat privilegii vel statuti cuiusdam Localis per text. d. c. 2. h. r. in 6. Dissentit Sanchez d. disp. 18. n. 7. ad cuius fundamenta solide respondet P. Engl. h. r. n. 28. & 2. seqq.

¶ III. Peregrini ferme semper etiam obligantur legibus particularibus loci, non tantum si sedem ibi fixerint, sed etsi transeant tantum. Zoël. h. r. n. 33. Ratio est: quia non satis provisum videretur rectæ gubernationi Reip. si peregrini non tenerentur servare leges locorum, per quæ transeunt: sic enim incolæ facile turbarentur, & spernendi leges occasionem fumerent. Quare cum hoc grave sit incommodum, ipsarumque legum fini repugnans, consequens est, peregrinos debere se conformare statutis locorum transitus. Et quamvis de cætero ob brevem moram hospitii alienigenæ forum loci, per quem transeunt, non sortiantur, nec simpliciter ac in omnibus subijciantur jurisdictioni Magistratus illius loci l. 19. §. proinde ff. de Judiciis. quo ad legem tamen & obligationem eidem subduntur, idque vel ob generalem consuetudinem, quæ sine dubio jurisdictionem in peregrinos dare potest, juxta c. 4. de Arbitris & inde satis constat, quod statuta transgredi deprehensi passim puniri soleant; vel ob tacitam prorogationem, quæ censetur fieri & agnosci à peregrinis eò ipso, quod sciant, non aliter transitum à Magistratu concedi, quam si se subjecerint legibus loci arg. l. 1. ff. de Judiciis.

¶ 16 Quar. II. utrum constitutiones diocesales Episcoporum obligent etiam Regulares?

¶ I. Religiosos non exemptos obligari constitutionibus diocesalibus. Ratio est: quia licet à lege diocesana favore Religionis ipso jure omnia Monasteria sint exempta. cap. 8. causâ 10. q. 3. c. 5. causâ 18. q. 2. nisi tamen speciali Privilegio sint munita, subsunt Episcopo quo ad legem jurisdictionis c. 1. & 19. d. causâ 18. q. 2. cum ergo præcipere, seu constitutiones ferre utique pertineat ad legem ju-

isdictionis, rectè concluditur Religiosos non esse solutos à præceptis & constitutionibus diocesalibus. Unde etiam S. Th. apud Suarez d. LL. lib. 4. c. 20. n. 6. asserit, Monachum, quamvis teneatur ad obediendum Abbati plus quam Episcopo in illis, quæ ad statum Regulæ pertinent; in iis tamen, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, magis teneri Episcopo obtemperare, quam Abbati, eò quod in his Episcopus sit superior Abbatis. Cæterum quid sint & quomodo distinguantur lex diocesana & lex jurisdictionis, de quibus paulò ante meminimus, dicemus alibi, interim vide text. & Gloss. in c. 18. de offic. Ordinar.

¶ II. Religiosos exemptos per se, & directè non obligari constitutionibus diocesalibus. Ratio est: quia eò ipso, quod à jurisdictione Episcoporum exempti sint, etiam à constitutionibus eorundem exempti erunt, cum primus actus jurisdictionis sit, constitutiones ferre. Deinde constitutio Episcopi extra diocesin suam non ligat. c. 2. h. r. in 6. atqui loca exempta in ordine ad jurisdictionem Episcopi, à quo exempta sunt, æquiparantur locis extra Diocesin, ut communiter docent DD. cum Gloss. in c. 7. de offic. Ordinar. in 6. & in c. 1. de Privilegiis eod. lib. Ergò dicendum, constitutionibus Episcoporum exempta Monasteria non obligari, nisi paucis casibus in jure specialiter expressis, qualis est v. g. observatio censurarum, nec non dierum festorum, quos Episcopus in diocesi sua servandos præcipit, qui juxta Trid. sess. 25. de Regul. c. 12. etiam à Regularibus quantumvis exemptis observari debent. De reliquis casibus, quibus Religiosi exempti subijciuntur Episcopis eorumque statutis, agit Barb. de Porest. Episc. alleg. 105.

Dixi: per se & directè, scil. ratione jurisdictionis & obedientiæ Religiosos exemptos non teneri constitutionibus Episcopalibus: nam indirectè & jure naturæ ad eas servandas

obligantur, non quidem quo ad vim coactivam seu quo ad poenam, cum propter exemptionem cogi aut puniri nequeant, sed quo ad vim directivam seu quo ad culpam, maxime quando spectant ad communem observantiam & devotionem totius populi & cleri, nec adversantur statui Religiosorum. Ratio est: quia Religiosi, quamvis exempti, sunt pars communitatis, ergo propter uniformitatem tenentur se conformare suo toti, cum turpis sit omnis pars, quæ à toto discordat per *c. 2. dist. 8.* Dissentit Suarez *d. c. 20. n. 10.* & post alios Diana *p. 1. tr. 10. resol. 11.* quia putant Religiosos exemptos secluso scandalo non peccare violando constitutiones Episcoporum.

§. VIII.

17 *Materia seu objectum* constitutionis sunt actiones humanæ, quæ præcipi, prohiberi, puniri, aut permitti possunt. Colligitur *l. 7. ff. de LL.*

Præcipi autem possunt omnes actiones possibiles, honestæ. *Possibiles*: nemo enim ad impossibile obligari potest. *c. 6. de R. I. in 6. l. 185. ff. cod. Honestæ*: nempe non solum iustitiæ, sed cujuscunque virtutis; imò etiam ex natura sua indifferentes: quia sunt actiones humanæ, quæ possunt utiles esse bono communi, & quatenus per legem diriguntur ad finem honestum, participant quoque aliquam honestatem. Bonacin. *de LL. disp. 1. q. 1. pun. Et 5. n. 4.* Interim, cum lex debeat esse accommodata fragilitati humanæ. *c. 2. dist. 4.* ideo actus virtuosus valde ardui & difficiles absolute & omnibus præcipi non possunt, ut sunt actus consiliorum Evangelicorum, paupertas, castitas perpetua &c. quæ Ecclesia illis duntaxat imponit, qui per professionem Religionis aut susceptionem SS. Ordinum sponte se ad illorum observantiam obligarunt. P. Engl. *h. 2. num. 9.*

Prohiberi possunt omnes actiones non tan-

tum naturâ suâ malæ, aut indifferentes, sed etiam honestæ, in quantum bono publico vel certo fini sunt inconvenientes. Suarez *l. 3. de LL. c. 12. n. 19.* Sic enim licet iudicia secularia exercere res bona sit, prohibentur tamen diebus festivis aut in Ecclesiis fieri *c. f. de Feriis. c. 1. & 5. de Immunit. Eccles.* Quoniam autem lex humana fertur communitati, in qua major est numerus imperfectorum, ideo firmè non nisi graviora delicta prohiberi solent, à quibus scilicet moraliter possibile sit majorem saltem partem abstinere, præsertim quæ scandalum vel damnum spirituale aut temporale afferre possent; alia verò minora dissimulantur. S. Th. *1. 2. q. 96. a. 2.*

Puniri possunt & debent delicta non tantum Theologica, sed etiam Juridica, aut Politica, contra quamcunque Reip. justam ordinationem commissa. Ubi obiter adverto, quòd conatus opere non secuto ex communi sententia non ordinariâ, sed arbitrariâ & mitiori poenâ puniendus sit per *l. 1. ff. de Extraord. crim. l. 6. & 19. pr. ff. ad Leg. Corn. de fals.* Exciipiuntur gravissima quædam crimina, quæ etiam effectu non secuto poenâ ordinariâ coercentur. Sic enim Lex Cornelia de Sicariis eos etiam ultricæ ferro persequitur, qui hominis occidendi causâ cum telo ambulant. *§. 5. ff. de Public. Judiciis.* Similiter eum, qui venenum malum paravit, non minus castigat, quàm qui propinavit *l. 1. §. 1. l. 3. pr. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Lege Pompeja tenetur qui venenum emit, ut Patri daret, quamvis dare non potuerit. *l. 1. in f. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* Qui hominem innocentem perdere destinavit, poenâ talionis plectitur, licet detecto consilio calumniam perficere non potuerit. *l. 7. & ult. C. de Calumn.* In crimine læsæ majestatis voluntas eadem severitate, quâ effectus ipse in poena est *l. 5. pr. C. ad Leg. Jul. Majest.* Plura exempla vide *corà dist. 1. de Punis.* Ratio est: quia conatus in vitio est, esse

effectus in casu, & hoc tanto verius est, ubi conatus in actum proximum micuit.

Permitti possunt non tantum honesta & licita, sed quandoque etiam illicita & inhonesta, ut per ea tanquam minus mala permissa evitetur majus malum, non quidem approbando minus malum, sed dissimulando ejus poenam c. 1. dist. 13. Hæc satis explorata sunt.

18. Celebris & à multis agitata controversia est, an & quomodo actus interni, & occulti sub legem humanam cadant? Pro cujus resolutione.

Dico I. Actus merè interni & per se occulti, qui scilicet in solo animo, & cogitatione mentis consistunt, non cadunt sub legem humanam, & per se ac directè præcipi, puniri, aut prohiberi non possunt. Ita communis contra Gloss. in clem. 1. §. verum. & eo ipso. de Hæret. Ratio est: quia humana potestas de iis tantum potest leges facere, de quibus potest judicare. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 4. atqui de actibus merè internis & suapte naturâ latentibus potestas humana judicare nequit per textus 1. Reg. c. 16. ibi: homo videt ea, quæ parent, Dominus autem inuictur cor. & 1. Corinth. c. 4. ibi: nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus; qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Quibus consonat triuissima Regula l. 18. ff. de Poenis. quod poenam cogitationis nemo patiatur. Ergo. Taceo, quod actus merè interni bono communi, ad quod lex seu constitutio unice collimat, vix nocere possint, aut prodesse, ut patebit consideranti.

Dico II. Si actus internus colligetur cum externo, vel ad ipsius valorem & moralem substantiam requiratur, tunc lege humanâ saltem indirectè præcipi, prohiberi, aut puniri potest. Et ita præcipitur attentio in oratione vocali, intentio in administratione, vel receptione Sacramenti, consensus aut voluntas in contractu, &c. Textus & DD. in c. 9. de Celebr.

Miss. Ratio est: quia hujusmodi actus etiam interni pertinent vel ad humanam & politicam gubernationem, vel ad Religiosum cultum DEO debitum; quis enim inficiabitur obesse Reip. contractus fictos & fraudulentos? aut ad cultum Religiosum DEO debitum pertinere, veras orationes fundere & non fidas? Sacramentorum consecrationem veram esse & non irrisoriam? Ergo hoc ipso, quod ob rectam gubernationem præcipi possint similes actus externi, simul præcipi potest indirectè & inconsequentiam actus internus, qui cum his actibus externis connectitur, & sine quo hi nequeunt subsistere: Atque hoc modo intelligi & explicari debet clem. 1. §. verum de Hæret. ubi excommunicantur illi, qui ex odio, favore, vel avaritia inquisitionem contra Hæreticos omittunt. Item clem. 1. de Statu Monach. ubi excommunicantur Monachi ad Curias Principum secularium accedentes animo accusandi Prælatum.

Dico III. actus externus, quamvis occultus, & clam aliis factus directè sub legem humanam cadit, & præcipi, prohiberi, imò etiam puniri potest, ejusmodi saltem poenis, quæ executionem aliquam externam, aut ultriorem sententiam non requirunt, quales sunt censura Ecclesiastica; ideòque qui clam hæresin profitetur exterius, aut in locis, ubi Bulla Cœnæ recepta est, legit libros Hæreticos, excommunicationem incurret. P. Engl. b. 1. sub n. 14. Ratio est: quia actus externus per se est sensibilis ac cognoscibilis ab homine. Et licet fortè per accidens sit occultus, ita ut in foro externo probari, & per particularem sententiam in forma judicii latam puniri nequeat arg. c. 20. §. Spontanea, causa 2. q. 5. eatenus tamen cognitioni & iudicio humano subjacet, ut judicari & puniri possit per sententiam generalem latam in forma legis, ac consequenter præcipi aut prohiberi, ut constat ex Trident. sess. 24. de Reform. matr. c. 1. ubi

habetur, matrimonium clandestinum (quod est actus externus per accidens occultus) semper ab Ecclesia prohibitum fuisse, etsi non semper invalidum.

§. IX.

Forma Constitutionis desumitur à requisitis, quæ potissimum duo sunt.

19 *Primum est publica & solennis promulgatio sive scripto, sive per præconem, sive alio idoneo modo facta: sine hac enim lex seu constitutio vim obligandi non consequitur. c. 3. §. leges dist. 4. l. 9. C. de LL. & novel. 66. c. 1. Ratio est: quia constitutio est commune quoddam præceptum & communis Regula vivendi toti communitati præscripta. Ergo debet omnibus patefieri, & non singulis, sed toti communitati intimari & publicari, quod fit per publicam propositionem seu promulgationem. Ex quo*

Deduces I. ad Legis obligationem non requiri, ut singulis intimetur & denuntietur, sed sufficere, si publicè promulgetur, ita ut ad aures singulorum successu temporis pervenire possit. c. 1. de Postulat. Pralat. Bonac. d. q. 1. puncto 4. n. 6.

Deduces II. non esse de necessitate promulgationis, ut fiat scripto, prout supponitur in c. 7. causâ 25. q. 2. & est communis apud Suarez l. de LL. c. 11. n. 9. Unde quòd in c. 3. dist. 1. Lex dicitur constitutio scripta est denominatio à forma extrinseca, vel ab accidente communi, seu ab eo, quod frequentius fit.

Deduces III. neque privatum, neque communitatem obligari lege humanâ, nisi fuerit publicè promulgata, licet & ad hujus & illius notitiam privatim pervenerit. Menoch. lib. 2. de arbitr. Jud. casu 185. n. 22. ubi etiam exinde infert, eum, qui Consilio Principis, vel cœtui Senatorio interfuit, in quo lex de pretio mercium, aut valore monetæ minuendo est condita, posse ante promulgationem publicam citra injusitiam merces, aut monetam

juxta valorem, & pretium euerens distrahere; cujus ratio est: quia ex una parte lege non obligatur nondum promulgata: ex altera, quia privata illa scientia communem valorem & pretium non minuit. Dissentit Medina de Restit. q. 35.

Difficultas est: quibus in locis leges humanæ, præsertim Pontificiæ promulgari debeant; & à quo tempore post promulgationem actu obligent? r. &

*Dico I. Lex Imperialis, ut habeat vim obligandi, promulgari debet in singulis provinciis Imperio subjectis, neque obligat ante lapsum duorum mensium à facta publicatione: Novell. 66. c. 1. quæ licet loquatur de Legibus testamentariis, communiter tamen à DD. ad omnes leges extenditur, ut notat Suarez lib. 3. de LL. c. 16. n. 10. Cujus extensionis ratio non est solum paritas rationis, ut putat Vafquez 1. 2. disp. 156. c. 2. n. 9. Sed præcipuè verba ipsius rubricæ, aut tituli, qui præponitur illi Novellæ: sunt enim generalia pro omnibus legibus & sic habent: *Ut facta nova constitutiones post insinuationes earum post duos menses valiant.* & idè ostendunt, quod etiam verba textûs sint extendenda ad omnes leges, etsi videantur strictius loqui, & solum exprimant ea, quæ pertinent ad testamenta: nam receptum apud Juristas dogma est, quòd quando rubrica perfectum sensum reddit, habeat authoritatem textûs in his, in quibus nigro seu textui non repugnat.*

Dico II. etiam constitutiones Pontificiæ, maxime irritatoriæ & revocatoriæ, si pro pluribus Provinciis & Episcopatibus latæ sint, ut obligent, probabilius indigent promulgatione in singulis Provinciis, & spatio duorum mensium, nisi aliter in ipsis determinetur. Prima pars deducitur ex c. 13. de Pœnitent. & Remiss. ubi expressum est, constitutionem, quâ inibi Medicis sub pœna remotionis ab ingressu Ecclesiæ præcipitur, ut ad infirmos vocati

ante

ante omnia eos inducant ad confessionem &c. non prius obligare, quam fuerit à Prælati locorum promulgata. Et licet hæc constitutio specialis sit, ex rationis tamen identitate ad alias extendenda erit arg. l. 12. & 13. ff. de LL. sicut ob eandem causam d. Novel. 66. ad omnes leges Imperatorias ab Adversariis communiter extenditur. *Secunda pars colligitur ex Bulla Pii IV. de Anno 1564. quæ incipit: Sicut ad sacrorum. & ad calcem Tridentini impressa est; ubi propositâ quæstione, ex quo tempore caperint obligare decreta Tridentini ad reformationem & jus positivum spectantia? respondet: quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones nova vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta decreta à Calendis Maii proxime præteriti omnes obligare capisse.* Quibus verbis S. Pontifex expressè jus commune, id est, Civile approbat, recipit, & tempus pro obligatione legum sancitum justum & æquum esse, etiam in constitutionibus Ecclesiasticis agnoscit. Et certè si æquum & justum est, ut constitutiones Imperiales non obligent Provincias, nisi post bimestre à promulgatione facta in Provinciis, quia, cum vastum sit imperium, à primâ de promulgatione in Curia Imperatoris factæ notitia legis in subditos divulgari non possit; æquissimum id erit in constitutionibus Ecclesiasticis, cum Ecclesia latius longè, quam Imperium pateat: neque credibile est, statim Germanis, Gallis, Indis, aliisque transalpinis posse innotescere legem, quæ in campo Floræ & ad valvas Vaticani Romæ pependit. Vid. Molin. de J. & J. disp. 395. qui etiam removet contraria.

Planè in statutis Episcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum non requiritur talis promulgatio, nec lapsus duorum mensium, sed nisi tempus adjiciatur, juxta naturam Legis statim obligant à promulgatione facta v. g.

in Ecclesia Matricè: cum dispositio d. Novel. 66. neque in constitutionibus inferiorum Principum locum habeat, utpotè quorum jurisdictio angustior est, prout notat Azor. p. 1. lib. 5. c. 3. q. 2.

Aliarum requisitum est acceptatio populi: 2^o Leges enim, ut habetur in c. 3. dist. 4. insistantur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur. Num verò etiam valor & efficacia legis ab hac acceptatione dependeat? oppositæ sunt DD. sententiæ; quas ope distinctionis puto posse concordari. Proinde

§. I. Omnis constitutio sive Ecclesiastica sive Civilis per se vim obligandi habet independenter ab acceptatione populi seu communitatis, ad eò, ut si legislator velit uti plenitudine potestatis, possit cogere subditos ad legem recipiendam. Ita omnes. Ratio est: quia si liberum foret subditis dissentire, & constitutiones conditas non acceptare, sed respuere, cessaret obedientiæ vinculum, & consequenter non essent subditi, eò ipso quòd voluntate, non necessitate parerent.

§. II. Constitutio humana ordinariè non obligat ante acceptationem, quòd eà tacita conditione ad populum ferri censeatur, si & in quantum ab ipso fuerit acceptata. Panorm. Felin. & Canonistæ plerique in c. 1. de Treuga & pace. Prob. 1. ex Jure Can. per c. 6. de Clericis conjug. ubi Innocentius III. interrogatus, an filius Sacerdotis græci licitè in Latina Ecclesia promoveri possit? respondit posse, nec obstare legitimis natalibus conjugium, adjunctâ hæc causâ: *Nos igitur attendentes, quòd orientalis Ecclesia votum continentie non admisit, &c. mandamus, si aliud impedimentum canonicum non obstat, ad confirmationem & consecrationem ejusdem procedat.* Ubi pondera, solam causam, quæ Græcos à voto continentie excusat, eam à Pontifice poni, quòd legem non admisissent, id est, re-

reperint. Supponit ergo potuisse non recipi, & non receptam non obligasse. Quod si procedit in lege tam gravi, tanti momenti, tantæ honestatis, & ubique locorum recepta, quantum magis obtinebit in legibus longè minoris momenti & necessitatis? *Probat* 2. ex Jure Civili per l. 32. ff. de LL. Ubi Julianus: *Ipsa leges nullâ alia ex causa nos tenent, quam quod Judio populi recepta sint.* Quid clariùs pro nostra sententia dici posset? Neque dicas, Julianum loqui de statu Democratico, quo potestas leges ferendi fuit adhuc penes populum, quæ modo lege regiâ in Principem translata est, juxta l. 1. ff. de Constit. Princip. Julianus enim, ut ex textu patet, loquitur de statu, quo hæc scripserat, sed tempore, quo hæc scripserat, jam erat exauctoratus populus, totaque potestas in Principes translata: vixit enim temporibus Adriani & Antonini Pii, ut colligitur ex l. 2. in fin. ff. de Orig. Jur.

§. X.

122 *Finis Constitutionis seu Legis est bonum commune.* c. 2. dist. 4. Ratio est: quia cum lex sit commune præceptum & communis Reip. sponso l. 1. ff. de LL. ut in bonum commune seu scopum collinet, oportet; alioquin tyrannica erit potius, quam justa & Principe digna S. Th. 1. 2. q. 90. a. 2. ubi exinde rectè concludit cessante ratione boni communis cessare etiam legem, & carere vi obligandi.

§. XI.

123 *Effectus formalis & intrinsecus constitutionis seu legis est obligatio ad ejus observantiam.* l. 2. ff. l. 3. C. de LL. Hæc autem obligatio duplex est: una ad culpam sive in conscientia, quæ dicitur vis directiva; altera ad poenam, quæ nuncupatur vis coactiva. Pro cuius pleniore intellectu.

Dico I. Non modò lex Ecclesiastica, sed etiam Civilis potest obligare in conscientia & ad culpam gravem vel levem pro materiæ quantitate. Ita communis, & videtur qui-

busdam de fide. Ratio est: quia subditi tenentur etiam in conscientia obedire suis superioribus juxta præcipientibus, idque ex præcepto Divino & naturali: nam, ut ait Apóst. ad Rom. 13. *qui potestati (scilicet humanæ) resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et hinc descendit famosum illud DD. procardicon: *lex justa in foro externo est etiam justa in foro interno.*

Excipitur I. lex fundata in falsa præsumptione facti alicujus particularis Panorm. in c. 8. n. 18. de immunit. Eccles. Ratio est: quia si lex fundetur in præsumptione facti, deficiente veritate, tollitur omninò fundamentum legis, adeoque necesse est, ut ejus quoque cesset obligatio, neque enim est intentio legislatoris, ut obliget contra veritatem; quod confirmant exempla & textus in c. 13. §. quod si non de Restit. spoliat in c. 44. de Sent. excomm. princ. Instir. de Liter. oblig. Aliud est, si lex fundetur in præsumptione alicujus periculi, quod communiter solet occurrere: talis enim obligat in conscientia, quamvis periculum in aliquo particulari casu reipsâ cesserit. Salas de LL. disp. 10. sect. 4. quia leges attendunt ad ea, quæ frequentius accidunt. l. 3. 4. 5. & 6. ff. de Legib. & id satis est, ut generaliter obligent, nam, ut vulgò dicitur: cessante fine legis in aliquo particulari, non cessat obligatio legis.

Excipitur II. Lex purè poenalis: quæ nimium ex voluntate legislatoris non tam obligationem ad rem præceptam, quam poenam infligendam continet; hæc enim non obligat in conscientia ad actum, de quo primò disponit. S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. & 2. Ratio est: quia lex non obligat ultra intentionem legislatoris.

III. Navar. in Man. c. 23. n. 55. & alii apud Bonacim. de LL. disp. 1. q. 1. puncto 7. §. 2. n. 3. excipiunt universim leges præterrim Ci-

viles, quibus poena temporalis, quantumvis gravis contra transgressores adjecta est, easque in conscientia non obligare volunt, nisi legislator exprimat, vel scandalum, aut contemptus adsit. Fundamentum in eo collocant, quod in odiosis, quantum potest, semper sit facienda benignior interpretatio juxta *c. odia. l. 5. de R. l. in 6.* Deinde quod legislator, maxime Laicus, dum legem fert, non multum curet de obligatione in conscientia; interdum etiam de ea nec cogitet; actus autem agentium non operentur ultra eorum intentionem arg. *l. 4. §. 19. ff. de Reb. cred.* Sed displicet hæc exceptio: etenim poena à Legislatore in legibus præceptivis, aut prohibitivis adjicitur non ad infirmandum, sed augendum robur legis, ut eò diligentius observetur; quod tanto verius est, si poena adjecta sit gravis v. g. capitis, mutilationis, infamiae, amissionis omnium bonorum, irremedium, exilii perpetui, & hujusmodi: nam gravis poena non nisi ob culpam gravem imponi solet. Ad argumenta contraria respondeo, locum non esse benigniori interpretationi, nisi verba legis sint dubia, ac ambigua; & satis esse, si legislator generaliter & confuse intendat per suas leges obligare, etiamsi non distinguat de obligatione ad culpam. Confer Bonac. *l. c.*

24 Dico II. Lex pure poenalis, vel mixta, in quantum poenalis est, plerumque in conscientia non obligat ad poenam ante sententiam Judicis saltem declaratoriam, licet poenam late sententiae seu ipso facto incurendam imponat. Sotus *l. 1. de Just. q. 6.* Covar. in *Epitome p. 2. c. 6. §. 8. n. 10.* & colligitur ex *l. 29. ff. de Jur. fisci* & apertissime ex *c. 19. §. fin. de Hæretic. in 6.* Ratio est: quia non videtur rationi consentaneum, ut reus sit sui ipsius acculator, & poenae suae proprius ultor & executor.

Dixi: plerumque Excipiuntur enim I. poenae latae sententiae, quae consistunt in nuda pas-

sione, & nullam executionem externam hominis requirunt: uti sunt excommunicatio & aliae censurae; item irregularitates, impedimenta ad matrimonium contrahendum, privatio vocis activae, aut passivae ad electionem &c. hæc namque locum habent in conscientia etiam ante sententiam declaratoriam, eò ipso scilicet, quod crimen talem poenam ipso jure annexam habens committitur. Layman *tr. 4. de LL. c. 15. n. 5.*

II. Excipiuntur poenae conditionales, per quas jus quærendum & nondum plenè quæsitum impeditur: illæ enim obligant ante declarationem Judicis. Bonacin. *l. c. n. 24.* Et sic qui accepit beneficium parochiale, tenetur illud dimittere, nisi intra annum recipiat sacerdotium. *c. 14. de Elect. in 6.* Episcopus, qui intra 6. menses à confirmatione sua non consecratur, privatur episcopatu accepto. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 2.* Beneficiatus non residens in sua Ecclesia pro rata absentiae fructus non facit suos, nec tutam conscientiam illos retinere potest. Trident. *d. sess. 23. c. 1. & c.* Ratio est: quia hujusmodi poenae non tam poenae, quam conditiones sunt, sub quibus aliquid conceditur, quarum defectu jus vel gratia concessa impeditur, aut deperditur.

Secundus effectus constitutionis seu legis est obligatio ad scientiam. *l. 9. C. de Legib.* quæ etiam factâ promulgatione, & duobus ab ea mensibus lapsis præsumitur, ideòque allegans ignorantiam probare tenetur. *cap. 1. de Postulat. Pralat. c. fin. §. super eo.* Qui *marim. accus. poss.* ubi conjecturae, quibus ignorantia probari possit, enumerantur.

Sed quæres quis, an, & quatenus ignorantia excuset transgressorem legis?

R. I. Ignorantia probabilis, seu invincibilis, quæ nimirum adhibita debitâ diligentia vinci non potuit, transgressorem legis non

tantum à culpa, sed etiam à poena statuta excusat. c. 2. & ibi Panorm. n. 7. h. t. Ratio prima partis est, quia ubi non est voluntarium, nulla est culpa, atqui ignorantia invincibilis tollit voluntarium, ut hic supponitur ex Theologia; ergo. Ratio secunda partis est: quia cessante culpâ tanquam causâ, cessare quoque debet effectus sive reatus poenae arg. s. 60. de Appellat. nec sine culpa est aliquis puniendus c. 23. de R. I. in 6. & poenae, quae statuuntur per leges aut per decreta, solum parantur adversus scientes. l. fin. ff. de Decret. ab ord. faciend.

Fallit tamen hæc responsio I. si actus seu delictum aliquod lege Divinâ, vel naturali, & humanâ simul prohibeatur; tunc enim, sciens legem Divinam vel naturalem, quamvis humanam invincibiliter ignoret, non excusatur à culpa, & consequenter neque à poena, saltem regulariter loquendo, ut paulò post dicam.

Fallit II. si transgressor sciat legem aliquod prohibentem, ignoret tamen poenam ei annexam; talis enim regulariter loquendo per istam ignorantiam non tantum à culpa non excusatur, sed nec à poena: poena enim sequitur culpam, & non infertur propter scientiam, sed propter culpam contra prohibitionem legis commissam. Latè Covar. in c. alia materia. de sentent. excomm. p. I. §. 10. num. 9.

Dixi in utraque fallentia regulariter loquendo: siquidem excipiendæ sunt censurae Ecclesiasticæ, de his enim est peculiaris ratio, ut non incurrantur, nisi habeatur de illis notitia, cum imponantur propter contumaciam, & contemptum potestatis Clavium. cap. 41. causa 11. q. 3. t. 26. & ibi Panorm. n. 3. & 4. de Appellat. qui tamen contemptus omninò deficit, legis notitiâ deficiente. l. 50. ff. Locati P. Engl. de Sentent. excomm. n. 10. & 11. Imò sunt, qui non solum excipiunt censuras propriè dictas, nempe excommunicationem,

suspensionem, & interdictum, sed etiam irregularitatem, aliisque inhabilitates, & poenas spirituales, quando proveniunt ex delicto, & per modum poenae irrogantur, idque desumunt ex c. 2. h. t. in 6. hoc namque, cum favorem animarum contineat, & generaliter de ignorantibus (quod sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolati non ligentur) loquatur, amplè videtur interpretandum esse, ut non tantum intelligatur de censuris propriè dictis, sed generatim de omnibus sententiis, inhabilitatibus, ac poenis spiritualibus, quando quidem per modum poenae irrogantur. Quod addo: quia quoad irregularitatem, aut alias inhabilitates in Jure Can. irrogantur non in detestationem vel poenam delicti, sed alium ob finem vel causam, v. g. in bonum regimen & præcavendas fraudes, ab iis nulla ignorantia excusat; uti enim tunc culpam non requirunt, ita nec legis notitiam. Et tales sunt v. g. irregularitas orta ex bigamia, aut illegitimis natalibus, impedimenta ad contrahendum matrimonium &c. Vid. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 7. & aliquot seqq.

II. ignorantia vincibilis seu improbabilis neque à culpa, neque à poena excusat. Suarez lib. 5. de LL. c. 18. n. 8. ex communi sententia. Non à culpa: quia talis ignorantia est voluntaria & culpabilis ex se ipsa. Non à poena; quia reatus poenae consequitur ad culpam.

Limita tamen I. ut ignorantia vincibilis, quæ excusat à peccato mortali, etiam excuset à poena, si hæc sit gravis & solum proportionata culpæ gravi, ut de censuris probatur ex d. c. 2. h. t. in 6. ubi indefinite dicitur ignorantiam excusare ab omnibus sententiis quorumcumque Ordinariorum, modò non sit crassa, vel supina, id est, talis, quæ ex lata culpa & summa negligentia procedat. Ratio est: quia poena commensurari debet delicto: c. 2.

in fine de his qua sunt à majore parte Capit. ergo pœnæ graves, ut sunt censura, non videntur imponi ob solam culpam venialem. Eadem est ratio circa irregularitates ex delicto, & alias pœnas spirituales graviore, nisi aliud in jure exprimat, prout exprimitur in c. 19. de Homicid. c. fin. eod. in 6.

Limita II. Ut ignorantia licet crassa & supina excuset à pœna, si eam lex statuat in scienter, præsumptuosè aut temerè peccantes: tunc enim illi solùm delinquentes comprehenduntur, qui vel habent legis notitiam, vel illius ignorantiam, affectatam, quæ in jure comparatur scientiæ. Covar. d. §. 10. n. 16. & 17. Hinc maritus v. g. qui cum propria filia fornicando, affinitatem contraxit cum uxore sua, excusari poterit, ne debiti petitione privetur, si ignorabat quamvis crassè, suam filiam esse: quia hæc privatio petendi debitum est imposita scienter peccanti. c. 1. de eo, qui cognovit. consang. uxori. sue. Dissentiunt Abulensis, Sotus & alii apud Sanchez d. disp. 32. num. 44. & seqq.

R. III. Nulla ignorantia legis irritantis impedit irrationem actus, nisi fortè illius, qui irritatur in odium & pœnam agentium. Sanchez de Matr. lib. 3. disp. 17. n. 9. & seqq. Ratio est: quia ignorantia non supplet defectum alicujus requisiti substantialis, ut patet in matrimoniis, testamentis, & quibuscunque actibus legitimis, qui ipso jure nulli sunt, si materia, vel forma, aut alia pars essentialis à jure præscripta desit, utcunque bona fides aut invincibilis ignorantia interveniat: actus enim sine sua substantia nunquam potest subsistere.

26 Tercius & specialis effectus constitutionis, seu legis irritantis est prohibere & irritare actum factum contra legis præscriptum: nam regula juris est: *Que contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* c. 64. de R. l. in 6. & in l. 5. C. de LL. signatè dicitur, ut ea, qua lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non

solùm inutilia, sed etiã pro infectis habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, neque specialiter dixerit, inutile debere esse, quod factum est. Unde colligitur, omnia de jure prohibita, si fiant, esse simpliciter invalida, & sine effectu.

Nec refragatur c. 16. de Regularib. ubi dicitur: *multa fieri prohibentur, qua si facta fuerint, obtinent firmitatem;* ex quo plures inferunt, actus simpliciter prohibitos sine clausula irritante de jure civili quidem non valere juxta d. l. 5. C. de Legib. de jure verò Canonico sustineri, nisi clausula irritans adjungatur. Laym. de Legib. c. 16. n. 3. Non enim videtur tam facile differentia inter jus Canonicum & Civile admittenda. Hinc communis est sententia utroque jure inutilia, & pro infectis habenda esse, quæ simpliciter contra jus sunt; ea verò simpliciter contra jus esse, quæ ita à jure prohibita sunt, ut habeant perpetuam causam prohibitionis, sive ut sistatur in terminis prohibitoriis. Quænam autem ea sint, ex modo prohibendi imprimis apparere debet; nam si actus aliquo modo in ipsa lege prohibente sustineatur, non erit perpetua prohibitio. Secundò ex causa, seu ratione prohibitionis, quæ si annulationem actus non exigat, non censetur simpliciter prohibitus. Tertio ex materia prohibita: nam si res aliàs antea in jure erat de genere permissorum, aut saltem jura tanquam actum validum admiserint, etsi illicitum, non censetur esse mens actum annullandi, nisi specialiter exprimat. Videatur Panorm. in d. c. 16. n. 11.

§. XII.

Affinis Constitutioni, seu legi est ejusdem interpretatio quæ juxta Gloss. in l. 37. ff. de Legib. triplex est: Authentica, Usualis, & Doctrinalis.

Authentica est, quæ fit per aliam legem latam ad declarandam priorem: unde si fiat, eandem auctoritatem habet, quam lex ipsa.

D

c. fin.

c. fin. h. t. fieri autem solum potest à Legislatore ipso, & ejus successore, vel superiore, non autem ab inferiore. *c. 31. de sentent. excomm. l. fin. C. de LL.* nisi superior potestatem legem suam interpretandi inferiori commiserit per *§. 8. Inst. de J. N. G. & C.* quemadmodum S. Pontifici data est potestas authentice interpretandi jus Divinum per textus in *c. 23. de Testib. & in c. 18. de Jur. Jur. S. Th. 2. 2. q. 2. a. 3.* & Congregationi Cardinalium potestas declarandi Concilium Tridentinum, ut supra *n. 9.* notavimus.

Usualis interpretatio est, quæ per usum & consuetudinem est introducta; unde consuetudo optima legum interpretatur, & in effectu pro lege habetur, *l. 37. ff. de Legib.*

Doctrinalis est, quæ fit arte, & peritiam Interpretum & Doctorum. Et hæc quamvis non inducat obligationem legis, habet tamen probabilitatem: cum in quavis facultate standum sit iudicio peritorum: imò si Doctores communiter omnes conveniant in explicatione legis, credendum illis omnino est, cum saltem tanta consensus sufficienter declaret, quomodo lex fuerit acceptata & quomodo se habeat communis usus circa illius observationem, ut notat Suarez *lib. 6. de LL. c. 1. n. 5. & 6.*

Porro hæc doctrinalis interpretatio alia est declarativa, alia extensiva, alia restrictiva.

Declarativa est, congrua obscurorum, æquivocorum, aut dubiorum verborum expositio; quæ qualiter fieri debeat, trademus in *lib. V. ad Tit. de verb. signific.*

Extensiva est, vel comprehensiva, seu inclusiva, vel purè extensiva.

Comprehensiva est, quando lex per interpretationem extenditur ad Personam, vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem. Præsumitur autem extensio hæc esse de mente legislatoris præ-

sertim I. in correlativis, II. in æquiparatis, III. in subordinatis; hinc de his dici solet, quòd dispositum in uno censetur dispositum in alio; idque procedit in lege tum favorabili, tum odiosa, tum in. tum extra iudicium: alioquin enim, vel lex esset frustratoria, & nullius momenti, vel contineret injustitiam, aut aliam absurditatem. Pirhing *h. t. n. 112. & 4. seqq.* ubi hujus doctrinæ plura exempla affert.

Purè extensiva est, per quam ob paritatem, vel similitudinem rationis dispositio legis extenditur ad personam, vel casum neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum. Et hæc nullam vim obligandi habet extra iudicium, & in foro conscientiæ. Ratio est: quia lex non potest obligare ad id, quod non præcipit, vel prohibet: sed id, quod in lege, nec quoad verba, nec quoad mentem legislatoris continetur, lex non præcipit, aut prohibet, ergo non potest ad id obligare. Pirhing *h. t. n. 114.* Rectè tamen adhibetur in ordine ad decisionem causarum forensium, cum enim non potuerint omnes causæ legibus comprehendendi, procedendum est à similibus ad similia hoc est, in occurrente casu non expresso, habente tamen similitudinem cum expresso, iudicandum est ad normam expressi per *L. 13. ff. de Legib.* Num autem Iudices obligati sint ad iudicandum secundum hujusmodi similitudinem, non est certum, est tamen probabile *ex l. 12. ff. eod. ibi: Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut Senatus-consultis comprehendendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui Jurisditioni præest, ad similia procedere, atque ita iudicare debet.* Haunold. *de F. & J. tr. 1. c. 5. contro. 2. n. 284.*

Denique interpretatio doctrinalis restrictiva est, cum interpretamur aliquem casum particularem propter suas circumstantias sub lege universaliter lata non contineri; unde *apikja* dicitur, id est, benigna interpretatio, seu restrictiva

restrictio legis secundum æquum & bonum. Videtur autem locus & usus esse epikia I. Si alioquin in casu particulari Lex evaderet iniqua, & præciperet aliquid illicitum; & ideo lex, quæ v.g. statuit universaliter esse reddenda deposita, non obligat pro eo casu, in quo furiosus repetit gladium ad occidendum innocentem. II. Si lex in casu particulari præciperet aliquid nimis arduum, & supra potestatem humanæ legis; & ideo lex Ecclesiastici jejunii omnibus Christianis adultis universaliter posita, non obligat in periculo mortis, vel gravis infirmitatis. III. Si prudenter creditur Legislatorem noluisse obligare per suam Legem in hoc vel illo casu, quamvis alioquin potuisset, & ipsemet ita declarat, si esset præsens, vel interrogaretur. Suarez *l. 6. de LL. c. 7. n. 6.*

Excipiuntur Leges irritantes, quæ non recipiunt epikiam, seu interpretationem ex bono & æquo. Sic enim non valet matrimonium sine Parocho, aut testibus tempore pestis, vel in articulo mortis contractum, etsi in interesse non potuerint. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 17. n. 4.* Similiter in nullo casu, aut necessitate subsistunt testamenta, contractus, aliique actus facti sine solennitatibus & forma substantiali à legibus præscripta præterquam in casibus specialiter exceptis. Laym. *de Leg. c. 19. n. 2.* Ratio est: quia Leges irritantes non attendunt ad casus & rationes particulares, sed præcisè ad rationem communem, & pariformitatem actuum.

§. XIII.

Contraria Constitutionis, seu Legis sunt Abrogatio, Derogatio, & Dispensatio: eò quòd vim legis, aut omnino tollant, aut saltem imminuant.

28 Abrogatio est, totius legis cassatio, seu sublatio arg. *l. 102. ff. de V. S.*

Causa efficiens Abrogationis est abrogans. Potest autem legem abrogare Legislator, ejus

Successor, vel utròque in jurisdictione superior: quia lex non obligat ultra voluntatem legislatoris, cui voluntas successoris æquivalet, superioris in jurisdictione prævalet. Inferior autem nequit legem superioris abrogare, nisi forte ex privilegio, aut præscripta consuetudine: cum enim inferior non sit dominus voluntatis superioris, non potest eam reddere irritam sine ejusdem superioris consensu arg. *c. 4. dist. 21. c. 16. de Major. & Obed. & Clem. 2. de elect.* Confer præterea P. Engl. *h. t. n. 17. & 2. seqq.*

Illud controversatur, an inferior possit abrogare legem propriam, si ea à Superiore sit confirmata? Negativè subscribit Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. n. 30.* ubi absolute negat Episcopum posse dispensare in constitutionibus suis, quando sunt confirmatæ auctoritate Pontificiâ: quòd ex ea confirmatione reputentur leges ipsius Pontificis. arg. *c. 22. de Præbend. in 6. & l. 1. §. 4. C. de V. F. E.* Sed potius aridet opinio Panorm. *in c. 8. n. 2. h. t.* qui distinguit, an statutum à superiore confirmatum concernat favorem publicum, vel aliorum, quàm statuentium; vel an respiciat principaliter favorem ipsorum statuentium? In priori casu negat, ab inferiore sine licentia superioris revocari posse, quia ex quo superior confirmavit, tale statutum videtur suum fecisse per *d. c. 22. de præbend. in 6. & l. 1. §. 5. C. de V. F. E.* Inferior autem legem superioris tollere nequit. *d. Clem. 2. de Elect.* In posteriori verò casu admittit hujusmodi statutum ab inferiore posse abrogari: quia est instar privilegii, quò quilibet potest non uti, jurèque suo cedere, ut satis probatur ex *de. c. 8. h. t. c. 22. de præbend. & l. 19. C. de Testament.* Nisi confirmationi adjecta sit clausula: *ut si quidquam contra fiat, non valeat. c. 25. in fin. de Præbend.*

Materia seu Objectum Abrogationis est lex, quæ vel minus utilis esse incipit, vel nimis

onerosa & difficilis, aut saltem talis, ut ex eius sublatione major fructus speretur, quam ex eius conservatione. Quod si mutatio temporum hominumque faciat constitutionem injustam, impossibilem, vel prorsus inutilem, non habet locum abrogatio, sed per se definit constitutio, ejusque obligatio.

Forma Abrogationis consistit in sublatione seu cassatione totius legis, quae fieri potest etiam sine scripto, solis verbis, aut signis, quae exprimant sufficienter voluntatem abrogantis, ut notat Suarez *lib. 6. de Legib. c. 27. n. 1.* interdum etiam accidit per contrariam consuetudinem, de qua infra *in Tit. 4.* quamvis communiter fiat scripto, & per aliam legem posterius latam & priori contrariam.

Finis Abrogationis est, bonum commune: sicut enim lex omnis debet ferri propter bonum commune, ita ex eodem motivo iterum debet auferri. Et quia bonum publicum non sola voluntate, sed ratione administratur, ideo ad licitam abrogationem legis non sufficit sola voluntas legislatoris nolentis legem amplius valere, sed requiritur justa aliqua & rationalis causa *c. 8. de consang. & affinit. l. 2. ff. de Constit. Princ.* Facta tamen absque causa est valida: cum vis ac obligatio legis a voluntate legislatoris omnimode dependeat. Suarez *d. l. 6. c. 25. n. 10.*

29 *Effectus* Abrogationis est, quod legem antea receptam totaliter, & simpliciter tollat; idque procedit non solum, quando in posteriori expressè fit mentio legis prioris, eaque dicitur abrogari, aut revocari, & imposterum non esse servanda, aut nullam vim esse habitura; sed etiam quando expressè nulla fit mentio, modò lex posterior sit priori contraria & impossibilis observari simul cum illa. *c. 1. & ibi Gloss. h. r. in 6. l. 28. ff. de Legib.* Ratio est: quia cum Princeps & Legislator quilibet praesumatur nosse leges suas, è ipso quòd per legem posteriorem praecipit contrarium al-

teri, censetur priorem revocare, etsi non exprimat.

Limita tamen I. Ut per legem generalem non abrogentur statuta particularia, quae sunt praeter jus commune, nisi contineat clausulam abrogatoriam, aut revocationem: nam aliàs posterior praesumitur edita ex ignorantia prioris, cum Princeps ea, quae sunt extra jus commune, nescire credatur. *c. 1. h. r. in 6. c. Azor. p. 1. l. 5. c. 16. q. 4.* Notanter autem dixi: *qua sunt praeter jus commune*: Si enim idem disponat, quòd jus commune, constitutio aut lex quae abrogat jus commune, etiam abrogat statuta illa particularia: quia nil aliud sunt, quam ipsum jus commune specialiter propositum & intimatum in tali communitate *Gloss. d. c. 1. h. r. in 6.*

Limita II. Cum Bonacin. *de Legib. q. 1. puncto ult. §. 1. n. 1.* ut prior lex juramentò de non abrogando firmata omninò requirat expressam mentionem revocationis in Lege posteriori: magis enim inconveniens esset, quòd Legislator veniret contra suum juramentum, quàm quòd Lex posterior remaneret inutilis ob insufficientem expressionem legis prioris.

Limita III. Ut Lex prior sine expressa ejus revocatione non tollatur per posteriorem, si contineat clausulam derogatoriam legis contrariae deinceps ferendae arg. *c. 28. de Rescript. & l. 22. ff. de Legat. 3. Panorm. in c. 8. n. 3. h. r.* Ratio est: quia alioquin in lege priore clausula derogatoria ad posteriorem esset frustranea & nullum haberet effectum, si per legem posteriorem revocaretur perinde, ac si illam clausulam non haberet. Dissentit Sylvester *V. Lex n. 25.* & Alii.

Planè si lex posterior cum priore probabili aliquà ratione conciliari possit, debet conciliari; jura enim juribus concordanda sunt; eorumque correctio, quantum fieri potest, vitanda. *c. 29. de Elect. in 6. l. 32. §. fin. C. de Apell.*

Appell. adeò, ut multi putent verba legis posterioris, in qua propriè est correctio, esse improprianda: Sanchez *l. 1. de Matrim. disp. 17. n. 6.* idque admitti potest, quando impropriatio non est magna & aliena ab omni usu juris Suarez. *d. l. 6. c. 27. n. 11.*

30 *Derogatio* est sublatio Legis pro parte. arg. *l. 102. ff. de V. S.* Nec differt ab *Abrogatione*, nisi quòd hæc totam, Derogatio verò partem legis auferat; unde quæ diximus de Abrogatione, ad illam cum proportione applicanda sunt.

31 *Dispensatio* hîc accipitur pro relaxatione legis in particulari casu, vel persona, manente obligatione ejusdem pro reliqua communitate.

Causa efficiens Dispensationis est dispensans ubi dispiciendum, quis possit dispensare?

Dico I. In Lege sua dispensare potest quilibet Legislator, ejus successor, & utroque in jurisdictione superior: ab horum quippe arbitrio tota Legis obligatio pendet. Communis apud Azor. *p. 1. l. 5. c. 15. q. 1.* Et hac ratione certissimum est, S. Pontificem posse dispensare in toto Jure Canonico, imò & in Lege Apostolica humana: cum in potestate jurisdictionis non sit inferior Apostolis, & S. Petro, cujus est successor. Azor. *ubi supra q. 5.* Similiter Episcopus potest dispensare in Legibus Synodi Diocesanae, utpotè à se ipsomet latis; non tamen in statutis Concilii provincialis: quia hoc est Episcopo, & Archi-Episcopo superius. *c. 4. causâ 9. q. 3.* & leges ferre potest, quæ utrumque obligant, *c. 25. de accusat.* Sanchez *d. l. 8. disp. 17. n. 36.*

Dico II. Inferior regulariter non potest dispensare in Lege superioris: quia inferior nequit relaxare jura superioris. *c. 4. dist. 41. c. 16. de Major. & Obed. Clem. 2. de Elect.* Unde communiter inferunt Interpp.] ad *c. 15. de Temporib. Ordin.* edictum dispensationis esse prohibitorium, ita ut censeatur inferiori

ri prohibita, nisi reperiatur peculiariter concessa.

Dixi: *Regulariter*: sunt enim casus, in quibus inferior in Lege Superioris potest dispensare: nempè

I. Si materia sit levis, aut frequenter occurrat. quia non est verisimile, Principem velle, ut in rebus parvi momenti, aut quæ ob frequentiam ad Jurisdictionem ordinariam necessariæ sunt, multoties ad ipsum recurratur: ideòque ut praxis docet, Episcopi rectè dispensant in jejuniis, festis, aliisque præceptis Ecclesiæ, quæ frequenter accidere consueverunt. Bonac. *de Legib. disp. 1 q. 2. punct. 1. n. 18.*

II. Si urgeat necessitas dispensandi, ac periculum in mora sit, & valdè difficilis ad superiorem recursus: neque enim præsumitur, Principem imposuisse rigorosam se accedendi obligationem, nisi aliter constet. Unde Sanchez *lib. 2. disp. 40. n. 3.* admittit, quòd Episcopus possit dispensare in matrimonio bonâ fide contracto cum impedimento occulto, quando separatio fieri sine scandalo, & Papa vel propter inopiam, vel aliam rationabilem causam adiri nequit.

III. Si dubitetur, an casus dispensatione egeat, vel non: cum enim hujusmodi dubia frequenter accidant, reputantur inter eos casus, qui frequenter occurrunt, & in quibus inferiori ex probabili interpretatione voluntatis superioris dispensatio permissa censetur. Salas. *de Legib. disp. 20. sect. 3. n. 28.*

IV. Si habeatur privilegium, aut exstet consuetudo in certa aliqua materia. Sic vi consuetudinis Parochi dispensant in casibus frequentioribus, ut in jejuniis & festorum observationibus quo ad vacandum à quibusdam operibus. Haunold. *de F. & F. rr. 1. c. 6. n. 312.*

V. Quotiescunque in Canone impersonaliter & indefinitè dicitur, dispensari posse, ut in *c. 5. de Ætate & qualit. c. 2. de eo, qui cognov. c. 7. de Clerico excommun.* intelligitur

talís potestas Episcopis, & Episcopalem Jurisdictionem habentibus indulta: quia alioquin ejusmodi verba forent superflua, cum nemini dubium sit, quòd S. Pontifex dispensare possit, & ideo non debeat exprimi. Gloss. & Panormit. in c. 12. de pœnis. Cæterum plures casus in Jure nominatim expressos, in quibus Episcopus dispensare potest, enumerat Haunold. l. c. n. 313.

32 *Subjctum* dispensationis est subditus, cum quo dispensatur; est enim dispensatio actus Jurisdictionis voluntariæ, & superioritatem ex parte dispensantis, subjectionem verò ex parte dispensati importat.

Dubium est, an superior vel is, qui ex commissione potestatem dispensandi habet, secum ipso dispensare possit? pro negativa, quam plures Canonistæ apud Sanchez l. 8. de Matr. disp. 3. n. 4. sustinent, facit, quòd nemo sibi ipsi jus dicere, & in se ipsum Jurisdictionem exercere valeat. l. 10. ff. de Jurisdic. l. 17. ff. de Judiciis. Verumtamen affirmativam censeo probabiliorem cum Azor. d. c. 15. q. 6. & Sanchez l. cit. n. 6. & seqq. quia Jurisdictio voluntaria non requirit realem distinctionem, & alteritatem personarum, sed sufficit virtualis, secundum quam una, & eadem persona ratione diversorum munerum, quæ exercet, est quasi duplex, in ea nempe materia in qua id specialiter non interdicitur, ut notat Panormit. in c. ex literis 3. n. 11. & 12. de Prob. & in c. f. de Inst. n. 5. Idque constat ex l. 3. & 4. ff. de Adopt. l. 2. ff. de Officio prator. l. 2. ff. de Offic. Præs. Regulæ autem in contrarium adductæ ordinariè solum in causis & actibus Jurisdictionis contentiosæ, non verò voluntariæ procedunt.

Objectum, seu *Materia* dispensationis est Lex humana, quæ hoc ipso, quòd à libera voluntate hominum proveniat, ut ipsa voluntas mutabilis est, ideoque sub dispensationem cadere potest.

Disputatur, an S. Pontifex in Lege naturali; aut Divina dispensare possit? Affirmativam cum pluribus relatis probat Sanchez d. l. 8. disp. 6. n. 5. partim ex illo Matth. 16. quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis: partim quia S. Pontifex de facto dispensat in voto, juramento, aliisque non paucis, quæ tamen lex naturæ servanda esse docet. At huic opinioni vehementer obstitunt. c. 13. & opiniononi de restit. spoliat. & c. 4. de usuris. cum enim ibi ipsemet S. Pontifex hanc potestatem in se non cognoscat, cur nos ei tribuamus: Neque officiant argumenta contraria. *Non primum*, quia cum dispensare in Lege Divina, vel naturali, hoc est, in ipsis fundamentis vitæ, & honestatis humanæ, sit quid speciale, non potest generali illa concessione, quæ habetur Matth. 16. comprehendi: receptissimum enim est, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ sunt speciali notâ digna. c. 4. & 5. de procurat. in 6. c. 81. de R. F. in 6. *Non secundum*: neque enim S. Pontifex in voto, & in juramento propriè & directè dispensat: siquidem non facit, ut liceat homini non implere promissionem DEO factam, & non relaxatam; sed autoritate DEI promissionem relaxat, quo ipso obligatio eam servandi per se corrumpit. P. Engl. de Majorit. & Obed. n. 8.

Forma dispensationis consistit in legitima exemptione alicujus: vel aliquorum à Lege. Ut autem talis sit, necesse est, ut fiat ex justa causa puta necessitatis, utilitatis, aut pietatis. c. 6. causâ 1. q. 7. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 18. S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. alioquin erit illicita, & si ab inferiore fiat in Lege superioris, etiam invalida, eò quòd superior non censeatur dare facultatem inferiori dispensandi in Lege sua sine justa causa. Laym. de LL. r. 4. c. 22. n. 11. eoque teste Doctores omnes.

Finis, & Effectus dispensationis est liberatio dispensati à lege, quâ aliàs obligaretur.

TITULUS III.

De Rescriptis.

SUMMARI A.

1. Rescripti homonymia. 2. Definitio.
3. Et divisio.
4. Quinam rescripta concedere?
5. Quinam impetrare possunt?
6. Quanam per rescripta concedi solent? & tunc latè descriptis moratoris.
7. Qualiter rescripta expediuntur.
8. Rescripti vis & Effectus.
9. Effectus rescripti gratia dependet à tempore data, rescripti iustitia à tempore presentata.
10. Regula interpretandi rescripta.
11. Quomodo vitentur rescripta ob aut fraudationes?
12. Error latinitatis. 13. Resurda.
14. Et abusu?

Constitutiones excipiunt rescripta: quia inter eos, ad quos diriguntur, vim constitutionis habent. *l. 11. de Concess. prob.*

§. I.

- 1** Rescriptum dupliciter sumitur. I. Latè, & tunc comprehendit etiam privilegia, dispensationes, beneficia, & similia alia, quæ emanant ne dum ad juris observantiam, sed etiam præter, vel contra jus. II. Strictè prout continet tantum illa rescripta, quæ dantur à Principe secundum jus, puta, vel ad juris dubii declarationem, vel ad debitam executionem. *Panorm. ad Rubr. h. s. n. 2.* prior significatio est hujus loci, in qua.

§. II.

- 2** Definitur rescriptum, quod sit responsum Pontificis, vel Imperatoris, aut alterius Principis ad consultationem, relationem, vel supplicationem alicujus; & quidem scripto datum, nam verbis solis Princeps aliquid concedens non intelligitur rescribere, ut & nomen indicat, & probatur per *l. 3. C. de diversis rescriptis.*

§. III.

Dividitur rescriptum dupliciter, nempe; in species & in partes.

Species sunt I. Rescriptum gratiæ & iustitiæ. Rescriptum gratiæ est, quod datur à Principe ad beneficia, dispensationes, privilegia, aliasque gratias obtinendas. Rescriptum iustitiæ, quod datur, vel ad jus explicandum; vel ad jus dicendum, administrandamque iustitiam inter partes. Præsumitur autem in dubio potius esse rescriptum iustitiæ quàm gratiæ? & cum gratia sit facti, non iuris, qui gratiam allegat, gratiam probare debet. *l. 2. de Schismaticis. Honor. h. s. num. 2.*

II. Rescriptum aliud est contra jus, quo aliquid contra juris regulas conceditur; sub quo veniunt dispensationes & privilegia. Aliud præter jus, circa ea, quæ jure non sunt decisa: ut cum Pontifex rescripto suo mandat Ecclesiæ alicujus Prælati, quatenus Titio v. g. provideat de beneficio Ecclesiastico primùm vacaturo. Aliud denique secundum jus, quod respondetur de jure consulentibus: ut si Princeps alicui per literas committat potestatem cognoscendi ac definiendi causam aliquam inter partes controversam, vel si respondeat ad dubia juris sibi proposita. Præsumitur autem in dubio potius rescriptum secundum vel præter jus, quàm contra *l. 2. C. de diversis rescriptis. l. ult. C. de edendo.*

Partes rescripti sunt tres: narratio, supplicatio, quæ duæ partes impetrantem respiciunt, & conclusio, quæ concedentem spectat. *Bald. in c. 20. num. 24. h. s.* quam quidem ultimam partem præfici vocant dispositivam, eò quod ibi rescribens faciat dispositionem, mentemque declaret, an & cum quibus clausulis velit admittere, & consentire supplicantis petitioni. *Rebuff. in praxi benefic. Tit. de Sign. gratian. 23. p. 1.*

§. IV.

§. IV.

Causa efficiens Rescripti est vel principalis vel minus principalis.

4 *Principalis* sunt, qui rescribunt. Rescribunt autem propriè loquendo solum summi Principes: in spiritualibus S. Pontifex; in temporalibus Imperator, Reges, alique superiorem non recognoscentes. Pirrhing *h. t. n. 6.* Hinc legitimatio facta per rescriptum Principis secularis non extenditur ad munera, officia atque beneficia Ecclesiastica, quasi gratiarum per illud ad eandem sit habitatus: potestas enim rescribentis ad sacra se non porrigit, sed tantum ad secularia, & suæ jurisdictioni subjecta; sicut viceversa per legitimatorium rescriptum Pontificis extra terras Ecclesiæ, non intelligitur habitatio facta ad officia, dignitates, & successiones profanas: est enim Pontifex quò ad spiritualia per totum orbem legitimare valeat, cum circa spiritualia in ipso solo summa potestas resideat: quia tamen in terris Principum secularium non habet actu exercere jurisdictionem temporalem, idè se non ingerit legitimando ad temporalia, nisi ex causis multum arduis. *c. per venerabilem. 13. & ibi Panorm. n. 29. Qui filii sint legit.* Porro inferiores Principes & Magistratus non tam dicuntur rescribere, quam respondere, quamvis latà acceptione etiam eorum concessionem pro rescriptis venditentur. Zoëf. *h. t. n. 7.*

5 *Causa minus principalis* sunt, qui rescripta impetrant. Potest autem impetrare quilibet, nisi specialiter prohibeatur; uti I. prohibetur hæreticus. *L. 2. C. de Summa Trinit.* II. Servus. *l. 1. C. de Precib. Imperat. offer.* nisi ex causis atrocissimis. *l. 2. ff. de his, qui sui, vel alieni jur. sunt.* III. Excommunicatus excommunicatione majori, qui si defacto obtineat rescriptum Pontificium sive gratiæ, sive justitiæ super alio, quam, excommunicationis vel appellationis articulo pro sui defensione, id ipso

jure nullum est, sicut & omnis processus inde secutus *c. 1. & ibi Layman. h. t. in 6.* Unde consuetudo Curie Romanæ habet, ut rescriptis ad cautelam absolutio à centuris præmittatur in ordine ad eorum effectum consequendum. *P. Engl. h. t. n. 5.* IV. Prohibetur rescripta impetrare alius pro alio saltem ad lites, nisi ad hoc habeat mandatum speciale, aut sit conjuncta persona. *c. 18. §. sunt & alii h. t.*

Utrum verò beneficium, dispensatio, privilegium aliave rescripta gratiæ seclusò mandato speciali per personam extraneam obtineri possint? Ambigitur. *Panorm. in c. 20. de Elect. n. 10.* ait, ad petendam dispensationem in alterius gratiam requiri mandatum speciale. Sed communior & verior sententia est, beneficia omnia sive gratias, adeoque etiam dispensationes pro altera persona capaci absque ullo ejus mandato, eaque ignorante impetrari posse per *l. 6. C. de Precib. Imperat. offer.* in qua generaliter habetur: rescripta per quemcunque pro altero supplicitem impetrata valere. Ratio est: quia lex, quæ est contra permissionem Legis naturalis, non debet extendi nisi ad casus in jure expressos, sed textus *d. c. 28. §. sunt & alii*, quò prohibetur, ne unus pro altero impetret rescriptum, est contra permissionem Legis naturalis, & tantum loquitur de rescriptis justitiæ, ergo non extendendus ad rescripta gratiæ; maxime cum utrinque diversa sit ratio: lites enim sopitas resuscitare dominis ignorantibus est odiosum, favorabile autem alicui gratiam & beneficium procurare, etiam ignorantibus, cum per hoc nemini noceatur. *Zoëf. h. t. n. 16.* Nec obstat *d. c. 20. de Elect.* quia ibi non fuit denegata dispensatio, eò quòd petita fuerit sine speciali mandato ejus, pro quo impetranda erat; sed quia Capitulares Atchi-Diaconum illegitimè nati, sine interposita postulatione, eligere tentarunt, &

& confirmationem illius petebant, quæ illis sicut & dispensatio in impedimento canonico electi denegata fuit, ne Papa approbare videretur vota & factum Capitularium. Pirching *b. t. n. 14.*

§. V.

6 *Materia seu objectum* Rescripti sunt omnia illa, pro quibus supplicatur, & quæ vel ex officio aut secundum jus alicui debentur, vel ex gratia concedi possunt, ac solent: non possunt autem, & non solent rescripto concedi, quæ sunt contra bonos mores aut jus tertii. *c. 8. & c. fin. b. t. in 6. l. 43. ff. de Vulg. & pupil. substit.* Quamobrem suspecta sunt rescripta, quibus graviter & enormiter pars adversa lædi posset, veluti prohibentia citationem partis, cognitionem causæ, vel continentia facultatem formandi processum ab executione. *g. 2. b. t. Et in l. 7. C. de Precib. Imperat. off. allegata in c. 15. causa 25. q. 2. generaliter statuitur, non valere rescripta Principis contra jus elicita, quando alium lædunt; secus verò, si profint petenti sine alterius damno, ut quando reis supplicantibus gratia indulgetur.*

Hic incidit quotidiana *questio*, an Principes possint concedere rescripta moratoria debitoribus, ne ad certum tempus creditoribus satisfacere teneantur? Negari enim non potest, quin per ea creditoribus aliquid præjudicii inferatur, cum interim ab exactiōne crediti sui impediuntur, quod aliàs statim exigere potuissent. Nilominus indubia & usu recepta sententia est, Principibus licere ad quinquennium usque rescripta moratoria dare per *l. 2. & 4. C. de Precib. Imp. offer. l. ult. C. Qui bonis cedere poss.* Verùm iis tantum debitoribus, qui probaverint, se non suâ culpa, vel factò, sed fortunæ invidiâ, vel aliorum injuriâ, aut malâ temporum conditione, putabellò, incendiò, ruinâ, naufragiò, furtò, rapinâ &c. facultatibus lapsos, & ad incitas red-

ctos esse, ita ut solvere non possint, etsi vellent. *Reichs Abschied zu Augspurg de Anno 1548. & Anno 1577. Tit. von verdorbenen Rauffe Leuthen.* Et certè his per moratoria succuri aequitati & Christianæ Charitati consentaneum est, quæ afflictio afflictionem addendam non esse inculcat. *l. 28. C. de Episcop. audient.* Nec conqueri possunt creditores: quia de sorte seu capitali nihil aufertur, sed tantum solutio aliquantulum differtur; magnum autem damnum non est in mora modici temporis *l. 21. ff. de Judiciis.* Imò rescripta moratoria creditoribus quoque sunt utilia: indulgentur enim, ne debitores desperati bonis cedant, sed ut interim res suas locupletent, lapsaque dilatione solvere possint. *Gregor. Tholof. Syntagm. Furis Uliverf. l. 22. c. 7. n. 4.*

Ceterùm casus varii notandi veniunt, in quibus hujusmodi rescripta moratoria locum non habent, & sunt ferè sequentes. I. si contra aequè pauperem, vel pauperiorem, quàm est ipse debitor, impetrentur: ita enim uniùs egestati subveniendum est, ne alter aequè pauper ac pauperior supprimatur. II. Si creditores sint opifices, mercenarii, vel alii quibus ob laborem personæ debitor obligatus est, qui- que ex mercede operæ se suosque sustentant: locum enim onus moræ difficulter ferre possint, gravandi non sunt. III. contra Ecclesiam, fiscum, vel pupillum. In Ecclesia summa ratio est, quæ pro Religione facit. *l. 43. in fine ff. de Relig. & sumpt. fun.* In Fisco suadet publica utilitas, quæ præferenda est privatæ. *l. 3. C. de Primipilo. & expressa prohibitio in l. 3. C. de Precib. Imp. offer.* expedit enim Reip. ut debita fiscalia tempestivè exsolvantur. *Novel. 17. c. 7. §. 1.* In pupillo exigit favor, & miseratione personæ, ætas & lubricum consilium, quibus subveniendum est arg. *l. t. pr. ff. de Minorib.* IV. contra creditores futuros, eosque, qui post rescriptum contraxerunt: quia con-

cessionis tempore nec de iis cogitatum videri potest, arg. l. 28. §. 2. ff. de Libertat. legat. V. si de alimentis agatur, maximè futuris & pauperi debitis: quia dilationem non patiuntur. l. 2. ff. de Feriis. VI. si de dote tractetur sive solvenda sive repetenda, cuius causa semper & ubique præcipua est. l. 1. ff. Solutio Maritim. Reip. enim interest mulieres dotes salvas habere. l. 2. ff. de Fure dor. VII. si in venditione re traditâ agatur ad prætium, ne emptor & rem habeat, & pretium retineat, quod cum bona fide pugnat, arg. l. 50. ff. de Action. empti. Quod multò magis procedit, si agatur de pretio rerum comestibilium in pleno foro, mereatque venditarum: quoniam harum rerum solutio statim, & in promptu fieri debet, si non sit à parte data dilatio. l. 2. ff. de Nundinis l. 14. ff. de R. F. VIII. in pensionibus & locationibus rerum, quarum fructus conductor percipit, & quidem ex eadem causa, ne scilicet iniquitas illa occurrat, ut rem & prætium conductor habeat. IX. in commodato, pignore, & precario, si finito usu, in quem conceduntur, vel solutâ pecuniâ debitâ, repetantur. l. 17. §. 3. ff. Commodati. l. 9. §. omnis pecunia. ff. de Pignorat. Action. & l. 1. ff. de Precario. Nulla siquidem juris patitur regula, ut domino rem suam apud alium sine causa existentem repetenti, ea vel quocunque prætextu denegetur. X. in Deposito: jura enim volunt, ut depositum illico & absque ulla mōra deponenti debeat restitui non attentis, aut discussis exceptionibus, quæ restitutionem differre solent. l. penult. ff. Depositi. l. si quis C. eod. XI. Si quis debitor ex delicto sit constitutus. Nam malè meritis publicè, ut ad deterrenda maleficia aliis exemplo sit, etiam egestate laborare debet. L. 31. in fine pr. ff. Depositi. nec permittendum, ut sub prætextu privilegii, vel flagitiorum crescat autoritas, vel publica vacillet utilitas. l. 2. in fin. C. de Privileg. Scholar.

Denique alii adhuc casus sunt, in quibus rescripta moratoria locum non habent, qui maximam partem ad factum debitorum pertinent; veluti, si debitor jam semel antea idem beneficium impetraverit, tametsi eo usus non fuerit: si cum extero, & transeunte mercatore contraxerit: si cavere nullò modò velit: si denique in libello debitoris impetrantis nulla damni & calamitatis, quæ debitori ex casu improviso, & fortuito acciderit, mentio fiat, aut ea calamitas allegetur, quæ damnum ipsi ante decennium inflixerit. Verùm cum hæc longius persequi instituti ratio non patiatur, Lectorem remitto ad Anton. Fabrum in Cod. lib. 1. tit. 9. de sen. 20. num. 16. & seqq.

§. VI.

Forma Rescripti stat in legitima ejusdem expeditione; ad quam requiritur 1. ut nomen Pontificis vel Imperatoris præponatur, & annis incarnationis, item Pontificatus (si sit rescriptum Pontificium) vel si sit Imperiale, dies, consul, & indictio, locusque subiciatur, alioquin rescriptum de falsitate suspectum redditur per c. 7. h. t. c. 6. de Fide instrum. l. 4. C. de Diversis rescript. II. ut observetur stylus usitatus. Est autem stylus Romanæ Curjæ, ut Pontifex in suis rescriptis Patriarchas, Archi-Episcopos & Episcopos Fratres; cæteros autem Reges, Principes, vel alios homines cujuscunque ordinis, filios appeller: & cum uni tantum personæ rescribitur, nunquam sit usus pluralis numeri. Quæ si in aliquo rescripto neglecta sint, id falsum censetur. c. 6. de Crimine falsi. III. Requiritur, ut rescripta gratiæ bullentur cum filo serico rubeo & croceo, rescripta verò justitiæ cum filo cannabis, in quo plumbum pendet. Unde in d. c. 6. in fine. dicitur ad deprehensionem falsi filum bullarum diligenter inspiciendum esse. IV. De jure communi Imperiale rescriptum debet scribi scripturâ pur-

pureâ, signarique ardore cocti muricis, & triti conchylii. l. 6. C. de Divers. rescript. Sed hæc forma in desuetudinem abiit, ut restatur Bruneman. ad d. l. 6. n. 3. V. quamvis ad impetrationem rescripti non requiratur citatio partis, contra quam impetratur, requiritur tamen præsentia partis quo ad rescripti impetrati approbationem, si ea necessaria sit; atque hæc approbatio aliàs dicitur *interminatio*, quæ nihil aliud est, quam cognitio & dilquisitio de veritate precum. Debent autem & literæ gratiæ, continentes dispensationes ab Ordinariis seu commissariis interminari, & examinari, num perita vera sint: in omni enim rescripto Pontificio subintelligitur clausula: *si preces veritate nisantur*: vel, *sita est*. c. 2. & 12. h. t. imò rescripta Imperialia non aliter de jure valent, nisi dictam clausulam expressè contineant. per l. fin. C. de Divers. rescript. allegatam in c. 16. §. *universa. causa*, 25. q. 2. Quando verò, & qualiter supplicans veritatem precum, & narratorum rescripti probare debeat, diligenter versat P. Engel h. t. n. 8. 9. & 10.

§. VII.

Finis Rescripti est, ut Principis jussio in casibus, quibus ipse præesse nequit ad conferendam gratiam vel justitiam administrandam, per commissarios, quibus hoc delegatum est, executionem fortiatur.

§. VIII.

8 *Effectus* Rescripti alius est generalis, alius specialis. *Generalis* seu cuilibet rescripto communis effectus est, quod in negotiis & inter personas, in quibus & inter quas rescriptum conceditur, jus statuatur, obligetque ad observationem omnes, ad quos dirigitur. §. 11. de *Concess. prob. l. 2. C. de LL.* Nisi aliquid insolitum, à recta ratione alienum, vel contra publicam utilitatem mandetur: tunc

enim rescripti executio suspendenda est, & nova declaratio, seu jussio petenda. c. 5. & ibi Laym. h. t. c. 6. de *Præbend.*

Dubium est, an rescriptum faciat jus commune, & non tantum pro illis casibus & personis, pro quibus emanat, sed etiam pro aliis? Affirmo, si emanet ad declarationem juris dubii & obscuri, cap. 1. §. *Decretales. dist. 19. l. fin. §. 1. C. de Legib.* tale quippe rescriptum est instar interpretationis authenticæ, quæ, ut diximus, valet in vim legis. Nego, si inter partes de Jure privato agatur, & rescriptum dirigatur solum ad certas causas, personas, loca & tempus: tunc enim illis duntaxat jus facit, pro quibus datur. per l. 2. & 3. C. de *Legibus* nisi specialiter caveat Princeps, ut hujusmodi rescriptum generaliter, ubique & omnes obliget; quod velle creditur, si ejus jussu & autoritate importetur in Corpus Juris. Pirching h. t. n. 3. & deducitur ex c. 19. de *Sentent. & re jud. d. l. fin. in pr. C. de LL.*

Effectus specialis rescripti variat pro varietate insertarum clausularum, quæ modò restringunt, modò ampliant, aut exponunt concessionem. Eas verò hic recensere & explanare, longius foret. Cumularunt Martha, & Barbosa in *suis Tractatib. de Clausulis*. quos consule.

Quæritur: à quo tempore rescripta vim effectumque suum fortiantur?

¶ 1. Rescripta gratiæ vim & effectum fortiri à tempore *data*, id est, à tempore quo à Cancellario, & aliis Abbreviatoribus sunt expedita. Gonzal in c. 30. n. 15. h. t. Unde duobus idem Beneficium persequentibus, is præferendus est, non qui prior rescriptum præsentavit, sed qui prior literas ad Beneficium impetravit. c. 12. h. t. in c. 6. 7. de *Præbend. in 6.*

Limita tamen, ut in concursu duorum.

rescriptorum, quorum aliud est generale, aliud speciale. non attendatur tempus *data*; quia tunc generali derogatur per speciale, licet de eo mentionem non faciat, & sive sit prius, sive posterius *c. 1. c. 14. §. quoniam, b. t. c. 14. & c. 38. de Præbend. in 6.* Neque obstat. *c. 12. de offic. deleg.* ubi rescriptum generale, prius de conferendo Archidiaconatu primo vacaturo derogat speciali posteriori de conferendo certo Archidiaconatu: ut enim Gloss. in *d. c. 12.* docet, ibi non concurrunt rescriptum generale & speciale, sed utrumque est speciale; nam licet prius quo ad verba generale videatur, cum tamen in certa specie verificari debeat, re & effectu speciale censetur arg. *l. 99. ff. de Legat. 1.*

R. II. Rescripta iustitiæ vim & effectum sortiri à tempore *presentata*, hoc est, à tempore, quo iudici vel parti oblata fuerunt. *c. 59. de Appellat.* & ibi DD. Unde si Prælatus, qui in rescripto iustitiæ à S. Pontifice delegatus constitutus est, suæ Prælaturæ ante *presentatas* litteras renunciavit, is ulterius officium delegationis suscipere non poterit: quia tempore *presentata* non est in dignitate; officium autem delegationis ab aliis recipi nequit, quam in dignitate, personatu, seu Cathedralis Ecclesiæ canonicatu constitutus. *c. 11. h. t. in 6.*

Limita iterum, ut si agatur de valore rescripti v.g. de habilitate, & inhabilitate impetrantis, de veritate aut falsitate precum, inspicatur in quibusvis rescriptis tempus *data*, ita ut non sufficiat, impetrantem habilem, & narrata vera fuisse ante vel post impetrationem, si tempore *data* aliter se habuerunt. Quæ autem accidunt vel mutantur post *data*, non vitiant rescriptum arg. *c. 19. h. t. Panormit. ad c. 7. n. 5. & Gonzal. ad c. 30. num. 19. eod.*

§. IX.

10 *Affinis* Rescripto est ejusdem interpretatio;

sicut autem concessio Rescripti, ita quoque authentica ejusdem interpretatio ad superiorem rescribentem pertinet arg. *c. 31. de Sentent. excomm. l. 191. ff. de R. J.* Aliud dicendum de interpretatione doctrinali, quæ fieri potest à Jurisperitis juxta regulas sequentes.

Regula I. Rescriptum Principis reduci debet ad terminos juris communis, etiamsi oporteat id facere per impropriationem verborum. *c. causam qua 18. & ibi Fagnan. num. 4. h. t.* Hinc literæ, in quibus conceditur retentio beneficiorum obtentorum, intelligendæ sunt de beneficiis canonicè obtentis, non autem de obtentis tantùm defacto. *c. 21. de Præbend. in 6.* jure enim communi non conceditur, ut quis beneficium absque institutione canonica obtineat. *c. 1. de Reg. Jur. in 6.*

Regula II. Rescripta contra jus vel statutum, aut consuetudinem specialem regulariter & per se loquendo strictè interpretanda sunt: tum quia correctio jurium, quantum fieri potest vitari debet. *c. 29. de Elect. in 6.* tum quia bonum commune, quod à lege intenditur, meritò antefertur bono privato, quod à rescripto ordinariè respicitur. *auth. res. que subjacent. C. Communia de Legatis.* Imò rescripta contra jus elicita, nisi faciant mentionem de jure contrario sub hac vel simili clausula: *non obstant quacunque constitutione & c. non obstantibus contrariis quibuscunque & c.* censenda sunt nulla. *l. 3. & 7. C. de Precib. Imperat. offer.* nisi enim Princeps expressè derogat legibus, oportet Judicem judicare secundum jura præscripta. *l. fin. C. Si contra jus, vel utilitatem & c.*

Dixi autem supra; *regulariter & per se loquendo*: dantur enim casus, in quibus dispensationes & alia rescripta contra jus ampliationem recipiunt, quos vide apud Sanchez de *Matrim. lib. 8. disp. 1. n. 5. & seqq.*

Re-

Regula III. Rescripta in quantum tangunt jus tertii, & derogant juri ipsius jam quæsitto, omnino restringi debent: quia concessionis Principis ita semper intelligendæ sunt, ut nemini noceant. *l. 2. §. merito ff. ne quid in loco public. l. impuberi ff. de Administrat. tutor. c. 15. de Offic. deleg.* Hinc rescripta justitiæ ad personas vel causas non expressas extendenda non sunt: quia præjudicant ordinariæ potestati, præbentque materiam litigandi. *c. 15. h. t.* Imò rescriptum impetratum lite pendente in præjudicium litis, vel non factâ mentione litis censetur subreptitium. *c. 1. & fin. de lite pendente.* Rescriptum obtentum contra sententiam, quæ jam transit in rem judicatam, nisi addatur clausula: *non obstante re judicatâ*: est inutile. *l. fin. C. Sententiam rescindi non posse.* Rescripta contra privilegia, si expressâ & speciali clausulâ derogatoriâ munita non sunt, nihil operantur. *c. 6. h. t.* & sic de aliis.

Regula IV. Rescripta, quæ non sunt contra jus, nec vergunt in præjudicium tertii quo ad jus illi jam quæsitum, largissimè interpretari oportet, quantum scilicet patitur proprietas verborum, *c. olim. 16. de V. S. l. beneficium. ff. de Constit. Princip.* nisi sint ambitiosa; ut sunt rescripta ad beneficia, in quibus fit strictissima interpretatio secundum Panorm. *in d. c. olim. n. 7. in fine,* & exempla habentur *in c. 4. & 6. de Prabendis.*

§. X.

II *Contraria* Rescripti sunt modi, quibus vitiat. Vitiat autem I. obreptione, id est, falsi suggestionem, & subreptione, id est, veri suppressione *c. 20. h. t.* Pro cujus pleniori noticia.

Dico I. Rescriptum impetratum dolosâ ob- aut subreptione in totum vitiat, nullumque commodum precatori afferre potest, quamvis in eo diversa proponantur. *d. c. 20. & ibi Panorm. n. 2.* Siquidem æquum est,

ut mendax precator penitus careat impetratis, ne fraus sua ei patrocinetur. *c. 15. h. t.* Hinc non sustinetur rescriptum posterius, si in supplicatione non fiat mentio prioris, & de eisdem omni conceptu notabili, formalisatione ac circumscriptione clausulata. *c. 3. 12. 16. & 32. Eod.* Et licet *c. 20. cit.* Specificè loquatur de rescriptis justitiæ, à fortiori tamen locum sibi vendicat in rescriptis gratiæ, quia facilius vitiantur, ut ex communi docet Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 2. & seqq.*

Dico II. Si ob- aut subreptio ex simplicitate, vel ignorantia proveniens non sit causa concessionis, eò quòd Princeps expressâ veritate, & tacitâ falsitate nihilominus rescripsisset, non vitiat rescriptum, sed valet saltem in forma communi *d. c. 20. & ibi Fagnan. n. 52.* Ratio est, tum quia simplicitas supplicantis non meretur poenam; tum quia vitium, quòd subest, non tollit voluntatem rescribentis. Et hæc doctrina procedit non modò in rescriptis justitiæ, sed etiam in literis beneficialibus per *c. 8. & 14. de Prabendis. in 6.* & in privilegiis: quia privilegia & literæ beneficiales in materia ob- aut subreptionis parificantur, ut tenet Panorm. *in d. c. 20. n. 5.*

Limita tamen, ut taciturnitas qualitatis, quæ de jure communi, stylò curiæ, vel consuetudine exprimi debet, vitiet rescriptum, etiam si eâ expressâ Princeps nihilominus concessisset. Sanchez *d. disp. 21. n. 13.* quia jura hujusmodi qualitatis expressionem exigunt pro forma, quæ ad unguem observanda est etiam in minimis.

Dico III. Ob- aut subreptio, etsi per ignorantiam aut simplicitatem contigerit, vitiat tamen rescriptum, si est causa concessionis, id est, si Princeps tacitâ falsitate, vel expressâ veritate nullò modò rescripsisset. *d. c. 20. & ibi Panorm. n. 4.* Ratio est: quia deest voluntas concedentis, à qua dependet valor rescripti. Ad cognoscendum autem, quibus tacitis,


vel expressis Princeps verisimiliter gratiam concessisset, vel non concessisset, attendi debet communis stylus Principis, vel usus Cancellariae, item probabilis conjectura, vel communis usus aliarum literarum, quas Principes concesserunt, vel concedere consueverunt; potissimum verò an non gratia præiudicium inferat: quia contra hunc stylum, & usum, aut in præiudicium tertii Principes non præsumuntur aliquid concedere. Vid. latè Felin. *in d. c. 20. à n. 8.*

12. II. Vitiatur Rescriptum gravi, manifesto, & inexcusabili errore latinitatis: cum enim transeat per manus multorum officialium, & non sit verisimile eos non vidisse, aut emendasse falsam latinitatem, ideo præsumitur, huiusmodi rescriptum extra voluntatem, & Cancellariam Principis ab aliis fuisse falsificatum. *cap. 11. & ibi Gloss. h. t.* Hæc tamen præsumptio probabiliter est juris tantum, non verò juris & de jure: cum enim ista excludat probationem in contrarium de jure naturalem concessam, non est inducenda sine textu expresso; expressus autem textus ostendit nequit. Dissentit Fagnan. *in d. c. 11. n. 3.*

13. III. Rescriptum regulariter vitiatur & de falsitate suspectum redditur rasurâ factâ in loco substantiali, id est, in parte dispositiva, siue in conclusione. *c. 5. de Crimine falsi c. 12. in fine. de Privilegiis.* & ibi Gloss. *in V. rasura.* Dixi: regulariter. Exceptiones notabiles dabit P. Engel *h. t. n. 15.*

14. IV. Rescriptum vitiatur ejusdem abusu: abutentes enim privantur commodo rescripti, & ad expensas, quas propterea adversarios tulisse constiterit, condemnantur. *c. fin. h. t.* ubi modi rescriptis abutendi recensentur.

Cæterea rescriptorum vitia facillè ex dictis colliges.



TITULUS IV.

De Consuetudine. SUMMARIA.

1. Consuetudinis homonymia. 2. Definitio.
3. Et divisio.
4. Actus, quibus consuetudo introducit, debent, esse facti animo eam introducendi.
5. Voluntarii. 6. Notorii. 7. Frequentes.
8. Uniformes. 9. Et diuturni.
10. Non valet consuetudo contraria juri divino vel naturali; item Ecclesia, Religioni, aut bono publico.
11. 12. 13. 14. 15. 16. Quaedam consuetudines invalidæ recensentur.
17. Ad consuetudinem stabilendam requiritur saltem generalis Legislatoris consensus.
18. Consuetudo obligat instar legis.
19. Consuetudo secundum legem eandem interpretatur; consuetudo præter legem jus novum constituit: consuetudo contra legem eandem tollit.
20. De Ab- & derogatione Consuetudinis.

Vltimum est de jure scripto, nempe Constitutionibus & Rescriptis: Sequitur de jure non scripto, quo nomine Consuetudo indigitatur.

§. I.

Consuetudo dupliciter usurpatur. I. causaliter: pro frequentia actuum, & pro eo, quod in communi usu est; quo sensu proprie dicitur consuetudo facti, usus, mos, seu mores. II. formaliter: pro ipso jure, quod ex diuturno usu & repetitis huiusmodi actibus oritur, & vocatur consuetudo juris. In hoc sensu hic accipitur, &

§. II.

Definitur Consuetudo ab Isidoro *in c. 5. dist. 1.* quod sit *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Verum cum hæc definitio neque diuturnitatem, & tacitum populi consensum, potissima consuetudinis requisita, explicet, neque consuetudini contra legem conveniat, exactius alii ex §. 9. *F. de F. N. G. & C. ex l. 32. ff. de LL.* definiunt Consuetudinem, quod sit

jus diuerris moribus, & tacito populi consensu introductum.

§. III.

3 *Dividitur* Consuetudo I. in Canonicam & Civilem: illa est, quæ locum habet in materia spirituali, seu Ecclesiastica, ut est consuetudo jejunandi, vel observandi aliquod festum; Civilis est, quæ versatur circa materiam merè temporalem, & propriam Laicorum.

II. *Dividitur* Consuetudo in Generalem, & Particularem. Generalis est, quæ in tota Re. publ. & à communitate Ecclesiastica, vel Civili generaliter recepta est; quo passim referuntur Consuetudines Feudales; Particularis est, quæ in certa solùm Reip. parte & à particulari solùm communitate v. g. Universitate, vel Civitate est approbata.

III. *Dividitur* Consuetudo in illam, quæ est secundùm legem, præter legem, & contra legem. Consuetudo secundùm legem est, quæ ei consonat, eamque præexistente supponit; unde solùm est consuetudo facti, & continua legis observantia, nec jus novum constituit. Consuetudo præter legem est, quæ introducit in ea materia, de qua lex scripta nihil disponit. Denique Consuetudo contra legem est, quæ illam vel ex toto abrogat, vel ex parte eadem derogat; hinc communiter desuetudo nuncupatur.

§. IV.

4 *Causa efficiens* Consuetudinis sunt mores sive actus, è quibus populi & communitatis alicujus consensus in consuetudinem apprehenditur. §. 9. *Inst. de J. N. G. & G. l. 3 2. in fine ff. de LL.* Unde

I. Hi actus debent esse frequentati animo introducendæ consuetudinis & obligationis, vel abrogandi legem antiquam. *Gloss. in c. frustra. dist. 8.* Ratio est: quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. *l. 19. ff. de Reb. cred.* ergo non inducunt consuetudinem, nisi ex parte populi adsit intentio inducendi illam. Et hæc ratione nulla oritur

consuetudinis obligatio ex actibus, qui sunt ex devotione, seu mera voluntate libera, aut ex gratia: veluti si populus sapius certum obsequium vel Eleemosynam præstet alicui Ecclesiæ, aut domui pauperum; certas preces v. g. ad pulsum angelicum persolvat, aquam benedictam in ingressu templi recipiat &c. *Suarez lib. 7. de LL. c. 14. n. 6.*

Porro idem *Suarez c. 15.* subjungit plures, & pro praxi notabiles regulas, ex quibus conjici possit, consuetudinem cum animo obligandi introductam esse. *Prima* est, si materia consuetudinis ejusque obligatio bono publico sit valde utilis. *Secunda*, si consuetudo longæva & difficilis servetur à majore parte populi; difficilia enim non solent à multis servari, nisi subsit obligatio. *Tertia*, si prudentes & timorati malè sentiant de violentibus consuetudinè, & populus inde scandalizetur. *Quarta*, si Prælati, aut Magistratus reprehendant aut puniant violatores. Extra has verò & similes circumstantias in dubio consuetudo habenda est potius pro voluntaria, & supererogatoria, quam pro obligatoria & conscientia stringente; quia nemo facile præsumitur velle obligari, cum esse obligatū onerosum sit & grave.

II. Debent esse plenè liberi & voluntarii: quia actus involuntarii consensum populi indicare non possunt. Ex quo

Sequitur I. non induci consuetudinem per actus metu extortos: quia tales actus facti ex solo timore, ita ut eo absente non fierent, non sunt, nec moraliter præsumi possunt, facti animo inducendi consuetudinem, sed potius animo evadendi malum, quod operanti per metum intentatur; ac proinde non sunt sufficiens indicium, ex quo colligi possit publicus consensus populi in consuetudinem. *Pierthing b. s. num. 27.*

Sequitur II. neque induci consuetudinem per actus ex ignorantia vel errore actos, sed debent procedere ex scientia, quod necdum

fit

sit obligatio legis, ad hoc ut obligationem inducant; vel ex scientia legis latae, ad hoc ut illam tollant. Panorm. in c. ult. h. r. num. 12. Ratio est: quia actus erronei sunt involuntarii: nihil enim tam contrarium est consensui, quam error. l. 15. ff. de Jurisdic. l. 116. §. 2. ff. de R. J. Unde si populus ex errore observaret per decennium aliquem diem festum vel jejunium, existimans se ad hoc obligari, non faceret consuetudinem juris: item si materialiter transgrederetur legem, quam nesciret extare, non praecriberet contra legem. Hamold de F. & J. tr. 1. procm. c. 3. controu. 3. n. 140.

Non obstat l. 39. ff. de LL. ubi dicitur: quod non ratione introductum, sed errore privum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet: sensus enim non est, quod consuetudo per errorem inducta sit valida in sua materia, non verò sit extendenda ad casus similes; sed sensus est, quod talis consuetudo durante errore obtineat, illo autem detecto non duret, neque det jus ad exercendos actus similes illis, qui antea ex consuetudine putativè legitima exercebantur.

III. Actus, quibus consuetudo introducit, debent esse publici & notorii ipso facto, hoc est, non clam & in occulto, sed palam & publicè fieri, ita ut ex illis colligi possit tacitus populi, seu communitatis consensus. Non est tamen necessarium, quod aliqui volunt illos actus esse judiciales, sive in iudicio contradictorio obtentos, & à iudice approbatos: siquidem populus non minus potest consentiam suam declarare per actus extrajudiciales, quam judiciales; quod & apparet ex l. 38. ff. de Legib. ubi Juris-Consultus separatim consuetudinem, aut rerum similiter iudicatarum auctoritatem in ambiguitatibus vim legis obtinere dicit. Neque moror l. 34. ff. Eod. quia consilii est, non verò necessitatis; adeoque tantum invidet, expediendum consuetudinis

probanda modum esse, dispicere, an etiam contradictorio aliquando iudicio consuetudo firmata sit. Et hanc sententiam sequi Cameram Imperialem, testis est Gail. l. 2. obser. 31. num. 8.

IV. Hi actus debent esse ita frequentes, ut tacitum populi consensum arguere & manifestare possint. l. 1. C. Quae sit longa consuet. l. 3. C. de Aedific. privat. Unde non facile unus aut duo actus sufficiunt ad consuetudinem introducendam: & quia neque jus certum numerum actuum definiit, aut definire potuit, cum diversissimae circumstantiae & occasiones modò magis, modò minus actus afficiant, populi notitiam & consensum impediunt vel promoveant, ideo communiter iudicis arbitrio relinquuntur, ut statuatur, an tot actus contigerint, ut populi consensus ex iis verosimiliter colligi possit. arg. l. 1. §. 2. ff. de Furo deliber. Cui tenentiae ad stipulantur Gail. d. obser. 31. n. 7. Menoch. de Arbitr. Jud. lib. 2. casu 81. n. 4. Nec refragatur l. 3. C. de Episc. audient. c. 25. causu 25. q. 2. ubi geminatio ejusdem criminis consuetudo dicitur; ibi enim sermo est, non de consuetudine juris inducente vel abrogante legem, sed de quadam consuetudine facti & assuetudine criminis, quae sufficiat ad poenam augendam, & ad veniam non facile concedendam, non ad jus consuetudinarium constituendum; quemadmodum ex exemplo de geminata caede & aliis in cit. textib. positis satis liquet.

V. Actus debent esse uniformes: nam difformitas actuum omnem populi consensum evertit. Ubi tamen cautè procedendum, & bene distinguendum duxerim, quo tempore varietas actuum exlitterit: an sub initium consuetudinis, an post aliquod tempus, an verò iam firmatâ consuetudine; nec enim ab initio statim omnes populi seu communitatis actus per omnia similes facile esse possunt, nec firmatam iam consuetudinem unus aut alter

actus

actus abrogare valebit, sed illa difformitas maximè obest, quæ medio succrescentis consuetudinis tempore intervenit, ita ut tunc unico notorio actu contrario interrumpi. & periri consuetudinem necdum completam, aut præscriptam, DD. vulgò statuunt cum Pannorm. *in c. fin. n. 19. h. t.*

VI. Denique actus debent esse diuturni, §. 9. *F. de F. N. G. & C. l. 32. §. 1. l. 33. ff. de LL.* Quæ verò temporis diuturnitas ad inducendam consuetudinem requiratur? non una omnium est sententia. *Prima* requirit tempus immemorabile, seu centum annorum eò quòd consuetudo *longæva* dicatur *in l. 2. C. Quæ sit longa consuet. longævum autem juxta l. 23. C. de SS. Ecclesiis. 100. annos denotet.* At hæc opinio hodie antiquata est: quia jura sæpius longi tantum temporis mentionem faciunt, sicut *in Tit. C. quæ sit longa consuet.* *Secunda* requirit 10. annos inter præsentem, & 20. inter absentes, cum hoc respectivè sit longum & diuturnum tempus ad consuetudinem à legibus requisitum arg. *cit. Rubr. C. quæ sit longa consuet.* Sed hæc distinctio quò ad membrum *inter absentes* reprobatur, quia populus, seu communitas, in qua consuetudo inducitur, semper præsens esse intelligitur, licet aliqui ex illa absint. *Tertia* indistinctè requirit 10. annos tam de Jure Civili, quàm Canonico, cum longum & diuturnum tempus isto spatio concludatur. Verùm hæc subsistere nequit, tum quia tempus longum, seu diuturnum etiam de 30. & 40. annis verificatur *l. 2. V. diu res alienas. C. de Præscript. 30. ann. l. 57. ff. de ritu nupt.* tum quia repugnat eodem tempore elici tacitum populi consensum in rebus magni momenti, quo in levioribus & nullius præjudicii, ut consideranti patescit. *Quarta* & communior sententia hoc quidem decennii tempus approbat ad stabiliendam consuetudinem contra, vel præter jus Civile, item præter jus Canonicum;

KÖNIG IN DECRETAL. LIB. I.

contra jus Canonicum verò 40. annos exigit: quia ut consuetudo derogat juri Ecclesiastico, debet esse legitimè præscripta. *c. fin. h. t. c. 3. eod. in 6.* ergo tantum temporis requiritur ad consuetudinem contra legem Canonicam, quantum ad præscriptionem, & consequenter 40. anni arg. *c. 4. 6. & 8. de Præscript.* At malè concludit hæc argumentatio: siquidem aliàs sequeretur, contra Jus Canonicum nec 40. annos sufficere, sed semper requiri 100. hoc enim tempus exigit præscriptio contra Romanam Ecclesiam & Jura Pontificia, quibus accensentur constitutiones Canonice. Ego in hac opinionum varietate cum Harprecht *ad §. 9. F. de F. N. G. & C. n. 19. & plurimis ibid.* laudatis existimo, determinationem temporis, quippe nullà lege definiti, relinquendam esse judicis prudentis arbitrio, qui observabit, an tantum temporis præterierit, quantum sufficit, ut ex ejus lapsu possit rationabiliter præsumi consensus populi in consuetudinem. *arg. d. l. 1. §. 2. ff. de Jure deliber.*

§. V.

Subjctum consuetudinis est communitas, ejusque membra, cives, & subditi, qui consuetudine obligantur. Quinam autem obligentur, facile deducitur ex iis, quæ supra *in Tit. 2. §. 7.* de subjecto constitutionis, seu legis dicta sunt: quia quò ad hoc consuetudo legem imitatur per §. 9. *F. de F. N. G. & C.*

§. VI.

Materia, seu obiectum consuetudinis est idem, quòd legis. Unde sicut non potest lex expressa statui de iis, quæ juri naturali, aut Divino adversantur, vel Ecclesiæ, Religioni, aut bono publico perniciose sunt. *c. 2. dist. 4. ita nec induci consuetudo, per c. 5. dist. 1. c. 3. 5. & 8. dist. 8. c. fin. & ibi DD. h. t. & hinc*

Resolves I. Nulla consuetudine utcumque immemorabili induci posse, ut usurarum exercitium sit licitum. *Clem. un. in fine princ. de Usuris. Covar. lib. 3. Var. Resol. c. 1. n. 8.*

F

Ra-

Ratio est: quia usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur. *c. 3. & 4. de Usuris.* & expressum est *Levit. c. 25. & Luc. c. 6.*

12. Resolves II. Corruptelam esse arithmeticam illam, & circularem bibendi consuetudinem. *c. 14. de Vita & honest. Cler.* ubi Innocentius Papa abolet abulum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales obligantur potatores, & ex combibonibus ille plus laudatur, qui plures inebriat, & calices exhaurit fecundiores, prout & per Recept. Imperii sapius, & in specie Anno 1500. tit. von guttrinken. sub multa pecuniaria, & postea Anno 1512. sub poena corporali immoderata bibendi consuetudo reprobatur. Ratio est: quia alium provocare, & urgere usque ad ebrietatem, vel periculum ebrietatis est contra jus naturæ, & grave peccatum, ut cum communi docet *Dicastillo de virtut. Cardin. l. 1. D. 3. n. 148.*

13. Resolves III. Non valere consuetudinem contra immunitatem Ecclesiasticam, præsertim ut Clerici coram Judice laico conveniantur. *Gloss. in c. Clerici V. consuetudine de Judiciis. Panorm. in c. fin. h. t. n. 15.* Ratio est: quia Clericorum exemptio probabiliter est juris Divini. *c. quaquam 4. de Censib. in 6. Trid. sess. 25. de Reform. c. 20.* Et licet juris positivi tantum foret, tamen consuetudo contraria non subsisteret, eò quod generalis quoque consensus Pontificis desit, dum expressè resistit, & annullat omnem consuetudinem contrariam. *c. 3. h. t. d. c. Clerici de Judic. c. 49. de Sentent. excomm. & quotannis in Bulla Cœnæ Domini n. 15. 19. & in fine.* Neque refert, quod S. Pontifex sciat, in multis locis contrarium prædicari: nam multa, quæ per patientiam tolerantur (quia ut evitentur majora mala, impediri non possunt) non hoc ipso comprobantur, præsertim dum contraria protestatio singulis annis renovatur. *c. 6. dist. 4. c. 18. de Præbend.*

14. Resolves V. Invalidam esse consuetudinem

quâ Prælato bona Ecclesiastica liberè alienare liceat. *Panorm. in c. 5. de Reb. Eccles. non alien. Glossa in Clem. 2. V. consentiente in fine. Eod.* Ratio est: quia talis consuetudo non potest non cedere in grave detrimentum Ecclesiæ, nec apparet, quomodo hoc damnum compensari & res cohonestari possit.

Resolves V. Viribus destitui consuetudinem quâ filii & filia, quæ religionem ingrediuntur, hæreditate privantur. *arg. c. fin. causa 19. q. 3. & Novel. 123. c. 41.* Ratio est: quia hujusmodi consuetudo impediret, aut restringeret libertatem ingrediendi religionem contra *Trid. Sess. 25. de Regular. c. 16. 17. & 18.*

Resolves VI. Irritandam, quin etiam irritam esse consuetudinem, per quam sententia Ecclesiasticæ censuræ violatur. *c. 5. & ibi Panorm. n. 2. h. t.* Ratio assignatur in textu: quia non valet consuetudo, per quam nervus Ecclesiasticæ disciplinæ enervatur: esset enim irrationabilis, & Ecclesiæ, ac bono publico perniciosa, ideoque rejicienda per *c. 7. & ult. h. t.* atqui censura Ecclesiasticæ est veluti nervus Ecclesiasticæ disciplinæ: nam sicuti corporis membra nervis continentur, ut officiis suis ritè fungi possint, ita fideles in officio continentur censuris Ecclesiasticis, earumque metu. Aliæ complures reprobatae consuetudines in *c. 1. 3. 4. 7. 9. & 10. h. t. in c. 1. & 2. Eod. in 6. in l. 9. ff. ad Leg. Rhodiam de jactu.* & passim occurrunt, quas suis locis explanabimus.

S. VII.

Forma consuetudinis desumitur à Legislatoris tacito consensu: siquidem in eo essentialiter differunt lex & consuetudo, quod in illa expressus, in hac tacitus Legislatoris consensus interveniat. *Pirrhing. h. t. n. 15.* & verò extra statum Democraticum præter consensum populi necessariò ad introducendam consuetudinem concurrat Principis, seu Superioris consensus: nam sine hoc nullum jus constitui potest. *Suarez lib. 7. de LL. c. 13.*

Quæritur autem, qualis consensus ex parte Legislatoris requiratur? est enim hic consensus alius personalis, alius legalis, juridicus, seu realis. Personalis dicitur, qui immediatè & personaliter datur à legislatore sciente consuetudinem, eamque vel expressè, vel tacitè approbante. Legalis, seu generalis, qui per Legem, seu jus datur, & exprimitur à Legislatore generaliter statuente, ut valida sit consuetudo certis conditionibus affecta, prout exprimitur in utroque jure, videlicet, in c. *fn. h. t. l. 32. & seqq. ff. de Legib. l. ult. C. Quæ sit longa consuet.*

R. Cum Suarez d. c. 13. n. 6. & communiori DD. ad inducendam consuetudinem consensum personalem, adeoque, & scientiam Legislatoris non requiri, sed sufficere consensum legalem, seu juridicum. Ratio est: quia jura paulò ante allegata plus non exigunt, quam ut consuetudo sit rationabilis, & legitime præscripta, neque de personali consensu mentionem faciunt. Deinde Princeps speciales locorum consuetudines ut plurimum ignorare præsumitur. arg. c. 1. de Constit. in 6. quæ causa foret, ut raro vel nunquam consuetudo induceretur. Ad hæc, consensus juridicus non videtur minoris efficaciæ, quam personalis, eum taciti & expressi fermè sit eadem conditio & natura.

§. VIII.

18 *Finis* Consuetudinis est bonum commune, id est, publica cõmunitatis salus, pax, & tranquillitas: ut, enim leges, ita quoque rationabiles consuetudines observari, publicè expedit.

§. IX.

19 *Effectus* consuetudinis est vel generalis, vel specialis. *Generalis* seu omni consuetudini communis effectus idem est, qui legis, ita ut perinde obliget ad scientiam & obedientiam, aut poenam, per l. 32. §. 1. ff. d. LL. ubi dicitur: *inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur*, & per l. 33. ff. eod. ubi

habetur: *diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scriptis descendunt, observari solet*. Ex quo

Inferitur I. Delegatum cum clausula, ut secundum jus judicet, posse & debere causam terminare secundum laudabilem loci consuetudinem, cum æquè juris species sit, atque jus scriptum Panorm. in c. *cum nobis. n. 6. de Elect.* & colligitur ex princ. *Inst. de Offic. Judicis, & c. 3. de eo, qui mitt. in possess.*

Inferitur II. Sententiam de facto latam contra consuetudinem non minùs, quam latam contra expressam Legem ipso jure nullam esse, adeò ut lapsu 10 dierum non transeat in rem judicatam, nec ad appellationis auxilium pervenire necesse sit, arg. l. 19. ff. de Appellat. l. 2. & §. C. *Quando prov. non est neces.* & teste Gail. 1. *Observ. 127. n. 8.* hæc opinio in Camera recepta est.

Inferitur III. Consuetudinem ad instar Legis rectè ad similes casus quandoque extendi posse. Zasius ad l. 32. ff. de LL. n. 4. & 8. idque tunc, quando est identitas rationis, & unus casus alterum, quasi involvit, per l. 1. C. *Quæ sit longa consuetudo*: ibi namque dicitur, ut præses provinciæ probatis iis, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causâ cognitâ statuatur. Ubi particulæ *in eodem genere* moralem identitatem denotant, & ejusdem generis actus. Ex præcisa similitudine rationis autem consuetudo extensionem haud recipit: quia est quoddammodò stricti juris, & tantum habet de vi & efficacia, quantum de usu & actu, adeoque ultra id, quod actum est, non porrigitur. Pirrhing. h. t. n. 51. amplius & hoc tradit Mascardus de Probat. vol. 1. concl. 423. n. 13. quòd consuetudo neque de persona ad personam, neque de loco ad locum extendatur.

Effectus specialis. Consuetudinis pro ejusdem diversitate variat. Nam effectus præcipuus consuetudinis secundum legem est, quòd

legem certam observando confirmet, ac in ulu retineat. *c. 3. dist. 4.* incertam verò & dubiam interpretetur & declaret, quippe optima legum interpret. *c. 8. h. t. l. 37. ff. de Leg.* Unde Socinus *consil. 209.* dicit, quòd sequi debeamus intellectum legis à consuetudine approbatum etiam verba impropriando; & Baldus *in c. 1. de Constit. lib. 6. col. 4.* asserit, quòd omnis dispositio potius recipiat interpretationem à jure consuetudinario, quàm communi. Imò juxta Panorm. *in c. 1. de Judicis.* consuetudo interpretatur etiam jus Divinum, non quidem addendo aliquid, vel minuendo de ipso, ut potest contingere in interpretatione legis humanæ, sed solum indicando mentem Legislatoris, ut patet in multis traditionibus, & generalibus consuetudinibus totius Ecclesiæ circa usum Sacramentorum, quæ sufficienter Christi institutionem declarant. Suarez *lib. 7. de LL. c. 17. n. 6.*

Effectus consuetudinis præter legem est, quòd jus novum constituat, & in materia lege non præcepta obligationem inducat, idem enim operatur consuetudo in casu à lege prætermisso, quod lex in casu scripto *arg. d. l. 32. & 33. ff. de LL.* & cum lex deficit, consuetudo pro lege suscipitur. *c. 5. dist. 1.*

Effectus Consuetudinis contra legem est, quòd legem humanam ex toto, vel ex parte abroget, sive sit Civilis. *d. l. 32. ff. de LL.* sive Canonica. *c. ult. h. t. & ibi DD.* communiter. Ratio est: quia consuetudinis & legis eadem est auctoritas, ergo quemadmodum lex posterior abolet priorem contrariam *l. 26. & 2. seqq. ff. de LL.* ita & consuetudo revocat legem anteriorem; modò talis consuetudo sit rationabilis & præscripta. Quo sensu textus in *s. 2. dist. 11. & l. 2. C. Qua sit longa consuetudo,* aliæque jura in speciem contraria intelligenda sunt: nempe quòd loquantur de consuetudine, aut irrationabili, aut non legitime præscripta. Ex his

Deduces I. Etiam in Sacramentalibus & aliis ad Sacramentorum substantiam non pertinentibus contra jus commune consuetudinem introduci posse, v. g. ut secundæ nuptiæ benedicantur, ut unâ vel trinâ mersione Baptismus conferatur &c. Colligitur *ex c. 80. dist. 4. de Consecrat. c. 1. de Cognat. Spirit. Clem. 3. de Ætat. & qualir. & Ord. præficiend.*

Deduces II. Legem quoque infirmantem, seu irritantem, puta, quæ formam, seu solennitatem substantialem actibus præscribit, vel certas personas ad contrahendum, eligendum &c. inhabiles reddit, per consuetudinem abrogari posse: cum per legem de novo statutam id fieri queat, & in utraque sufficiente causa occurrere possit, quæ hujusmodi abrogationem honestet. Et idem etiam impedimenta jure humano matrimonium dirimentia per generalem consuetudinem in scio S. Pontificis tolli, aut introduci posse, contra communiorum DD. satis probabiliter docet Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 4.* Nec obstat, quòd Innocentius III. *in c. 5. de Consang. & affinit.* consultus respondeat, ne infra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, non obstantem consuetudine, quæ dicenda sit potius corruptela: quia loquitur vel de consuetudine, nec dum perfecta, & aliquorum tantum, qui eam contra Canones introducere præsumebant; vel de consuetudine tunc temporis & in illis circumstantiis irrationabili, quam proinde merito reprobatur, non tamè prohibet, quin ex justa superveniente causâ de novo introducatur, ut patebit ex statim dicendis.

Deduco III. Etiam leges humanas abrogantes, prohibentes, & re- aut improbantem consuetudinem contrariam tam in præteritum, quàm in futurum posse abrogari per consuetudinem supervenientem, quando contingit res ita mutari, ut ex prudenti judicio illud rationabile, & communi bono consentaneum

videatur, quod alias, quando lex statuta est propter alias circumstantias inconveniens apparebat: non enim Legislator talem casum comprehendisse censetur. arg. l. 30. ff. *Mandat.* & alioquin lex posterior potest abrogare priorem, etsi in ea reprobetur Panorm. *in c. fin. h. r. n. 24. & in c. 2. n. 8. de Probat.*

Deduco IV. Leges item pœnales mixtas consuetudine tolli posse: idque vel simpliciter, vel secundum quid, scilicet quod ad pœnam tantum relicta obligatione ad culpam, vel quod ad culpam tantum relicto debito ad pœnam: quia pœna & culpa lege positiva separari possunt, & alias communis regula est, idem juris esse de parte ad partem, quod de toto ad totum arg. c. 28. §. *item cum totum. de Offic. deleg.* & l. 76. ff. *de R. V.* Excipiuntur singulariter pœnae illae, quae suapte natura, & quasi intrinsece propriam culpam præsupponunt, cujusmodi sunt censura Ecclesiastica, quae non nisi propter inobedientiam, ac contumaciam infliguntur, & ita culpae inseparabiliter sunt annexae. Layman *tr. 4. de LL. c. 14. n. 12.*

Ceterum, ut consuetudo hosce effectus fortiat, probatam esse oportet: nam licet propriè dictum jus sit, quod alias supponitur. l. 2. ff. *de Juris & facti ignor.* quia tamen facti esse dicitur in c. 1. *de Constit. in 6.* quatenus nim. ex factis dependet, idè ab allegante, cui juxta communem regulam onus probandi incumbit, probanda est. l. 1. v. *probatis his. C. Qua sit longa consuet.* nisi fortè jam prius fuerit notoria, vel à jure scripto confirmata: quo casu probatione opus non haberet. Zoëf. *ad ff. de LL. n. 84.* Primò autem idoneè probatur consuetudo per duos, vel tres testes omni exceptione majores. arg. l. 12. ff. *de Testib.* Secundò per literas publicas, sive acta, instrumenta & alia similia documenta publicè conscripta super iis, quae in judicio geruntur. arg. c. 11. *de Probat. l. 15. C. de Fide instrum.*

Contraria Consuetudinis sed ejusdem ab-
aut derogatio, quae dupliciter fieri possunt.

I. Per legem posteriorem. c. 1. *de Constit. in 6. c. 9. h. r.* Ratio est: quia lex prior potest abrogari, aut derogari per aliam legem: ergo & consuetudo, quae pro lege suscipitur, & legem imitatur. Dummodò primò lex habeat omnimodam contrarietatem & repugnantiam cum consuetudine: correctio enim Juris, consequenter & consuetudinis legitime præscriptæ, vitanda est, quod ad fieri potest. l. 32. *C. de Appellat.* Dummodò secundò Legislator sit conscius consuetudinis: siquidem ut abroget consuetudinem, debet habere voluntatem abrogandi, quam habere nequit, si consuetudinem ignoraverit, cum voluntas non feratur in incognitum. Bonacina *de LL. disp. 1. q. 1. puncto ult. §. 3. n. 38.* cum quo ex his

Inferes I. Consuetudinem generalem abrogari per legem contrariam etiam si nullam clausulam derogatoriam expressè contineat. Panorm. *in c. fin. n. 24. h. r.* Ratio est: quia Princeps censetur nòsse consuetudinem universalem, eaque cognita contrarium disponere, & consuetudinem antecedentem revocare (vel universim, si lex quoque sit generalis, vel in certo saltem loco, si particularis) quemadmodum abrogat legem priorem per posteriorem quamvis de illa mentionem non faciat, d. c. 1. *de Constit. in 6.*

Inferes II. Per legem universalem non abrogari consuetudines speciales locorum, nisi eorum mentio fiat, aut saltem addatur clausula derogatoria cujuscunque consuetudinis contrariæ. Ratio est: quia Princeps censetur ignorare consuetudines speciales. d. c. 1. *de Constit. in 6.* & consequenter non censetur eas velle obrogare. Imo ad abrogandam consuetudinem immemoriam non sufficit clausula generalis derogatoria consuetudinis

particularis, sed debet specificè exprimi: consuetudo enim immemorialis, id est, cujus initium nescitur, habet vim privilegii à Principe concessi. *c. 36. de V. S. cui non derogatur clausulâ generali*; sicut nec præscriptio immemorialis excluditur exclusâ præscriptione generaliter. *arg. l. 3. §. 4. ff. de aqua quodid. & astiva. Mascard. de Probat. conclus. 1352. n. 45. Covar. 3. Variar. Resol. c. 13. n. 5.*

Inferes III. Nec consuetudinem particularem abrogari per legem particularem, & pro loco ejus consuetudinis à Principe universali latam, nisi consuetudinis mentio fiat: quia adhuc censeri potest, Principem talem consuetudinem nescire. Aliud dicendum est, si lex feratur à Principe, seu legislatore particulari: quia talis consuetudinem particularem nō esse præsumitur, adeoque velle eam abolere latâ lege contrariâ. Quapropter per legem Episcopi abrogatur consuetudo ipsius Episcopatus, per statutum oppidi, consuetudo oppidi, & sic de cæteris. *Suarez l. 7. de LL. c. 30. n. 6. 7. & 8.*

II. Consuetudo abrogatur per aliam consuetudinem contrariam: generalis per generalem: particularis per particularem: quia, ut sæpe dictum, consuetudo legis effectum habet.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

SUMMARIA.

1. Postulationis Homonymia. 2. Definitio.
3. Et divisio. 4. Quinam postulare possint.
5. Quot vota postulantium sint necessaria, ut postulatio admittatur.
6. Ad quem spectet admissio postulationis.
7. Quinam debeant & possint postulari.
8. Indultum transeundi ad alium Episcopatum quid operetur.
9. Postulatio quibus verbis fieri debeat.
10. Quomodo petenda admissio postulationis.
11. Postulantibus non liceat Variare.
12. Postulatio solennis admissa habet vim electionis.

Postis principiis Juris Canonici, agendum est de ejusdem Ministris & Executoribus, id est, Prælatibus Ecclesiæ; qui assumuntur postulatione, electione, & translatione.

§. I.

Postulatio duas habet significationes. *Prima est*, quæ denotat querelam vel petitionem factam contra aliquem in judicio: per *l. 1. ff. de Postulando*. *Secunda est*, quæ significat petitionem illorum, qui petunt in Prælaturam personam, quæ propter defectum eligi non potest. In hac significatione hic accipitur, &

§. II.

Definitur postulatio, quod sit petitio gratiæ superiori facta de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de jure communi propter defectum, vel impedimentum aliquod eligi, seu promoveri non poterat. *Panorm. ad Rubric. h. t. n. 1. & deducitur ex c. 20. & 23. de Elect.*

Dicitur: *gratia petitio*. Ad distinctionem electionis: hæc enim juxta Gloss. in *c. un. h. t. in 6.* innititur juri, adeo ut legitime facta ex justitia à Superiore confirmari debeat, & electus sine injuria rejici non possit. *c. 3. de Elect.* Postulatio vero innititur gratiæ dispensationis, quam pro postulato postulantes à superiore petunt, & ideo negari potest, nec injuria fiet postulato, si rejiciatur, cum denegare gratiam sit in potestate superioris. *c. 3. & 5. h. t.* Nonnunquam tamen tenetur superior dispensare cum postulato, & si nolit, compelli potest, maxime cum vertitur causa communis. *arg. c. 25. & 28. dist. 50. Panorm. c. 3. h. t. n. 14.*

§. III.

Dividitur postulatio in solennem & simplicem. Solennis dicitur, quæ recta ad superiorem instituitur, ut in impedimento Canonico postulati dispenset, ut si à S. Pontifice postuletur minor 30. annis ad Episcopatum. *Simplex est*, cum nulla dispensatio petitur, nullumque intervenit impedimentum, sed solum requi-

requiritur consensus superioris ad postulati promotionem necessarius. v. g. consensus proprii Abbatis, si Religiosus assumatur ad Prælaturam alterius Monasterii. *c. 27. & 36. de Elect.* cum autem hic consensus non involvat gratiam dispensationis, sed tantummodo conditionem apponat, quam Canones exigunt, posset talis simpliciter dici electus; quamvis ejus electio quodammodo postulatio dicatur, quia ipse electioni de se factæ nequit consentire absque sui superioris licentia. *c. 5. causâ 18. q. 2. & ibi Gloss. notab.*

§. IV.

Causa efficiens Postulationis sunt vota postulantium, & auctoritas, seu licentia superioris, postulationem admittentis. *c. 4. S. cætorum & c. 6. h. t. Ubi*

Quer. I. Quinam postulare possint: *re. omnes, qui possunt eligere. c. 1. in fin. c. 4. h. t. Hostiens. in summa n. 9.* Hinc qui diuturnæ consuetudinis præscriptione jus eligendi acquisivit, hoc ipsò acquisivit etiam jus postulandi, etsi ob defectum occasionis actum postulationis nunquam exercuerit. Licet enim præscriptio, quippe stricti Juris juxta Panorm. *in c. 18. de Præscript.* non extendatur de casu ad casum, nec plùs aliquis præscribat, quàm possideat. *c. 3. de R. f. in 6.* Fallit tamen hæc regula in iis, quæ necessariò connexa sunt, ut sunt electio & postulatio: hæc enim est quasi pars electionis per *c. 30. de Elect. & facit c. cum in tua. de Decimis.* Panorm. *in d. c. 4. n. 4. h. t.*

Quer. II. Quot vota requirantur, ut postulatio à superiore sit admittenda? *re. si Postulatio concurrat cum electione alterius partis hoc est, si alii postulent, alii eligant, non debet admitti postulatio, nisi numerus postulantium sit duplo major, quàm eligentium v. g. ex 30. Electoribus debent concurrere 20. ad postulationem: aliàs præfertur electio etiam à parte minore factâ, modò unam tertiam superet, & sit de idoneo c. 40. & ibi latè Panorm.*

mit. n. 7. & 14. de Elect. Quodsi verò postulatio fiat à majore parte Capituli, nullâ electione concurrente, an possit talis postulatio admitti per superiorem invitâ parte minore? controversum est. Ego affirmativæ non immeritò calculum adjicio: quia ordinariè ad gesta Capituli plus non requiritur, quàm ut major ac sanior illius pars consentiat per *c. 1. de his, quæ fiunt à maior. parte Capit. & l. 19. ff. ad municipalem.* Neque obstat textus *c. 3. h. t.* quia ibi postulatio Cardinalis non ideo repulsa est, quod à majore tantum parte facta sit, sed quia facta est contra majorem Ecclesiæ universalis utilitatem, ut licet exprimit.

Quer. III. à quo superiore debeat peti, & fieri admissio postulationis?

re. I. In postulationi solenni regulariter ad eum pertinet postulationis admissio, ad quem spectat electi confirmatio: quia admissio postulationis habet vim confirmationis, ut dicemus, & probatur ex *c. 2. h. t.* Unde si quis postuletur ad Episcopatum, ejus admissio ad Papam pertinet: quia causæ Episcoporum, cùm de gravioribus sint, ipsi soli reservantur. *c. 4. de Officio Legati. c. 59. in fin. de Appellat. c. 3. de Baptism. cum similib.* Ad alias verò inferiores Ecclesias, aut dignitates etiam Episcopi aut similes personæ Ecclesiasticæ, ad quas confirmatio spectat, postulationem admittere possunt; dummodò tamen in defectu postulati dispensare possint: qui enim nequit dispensare, nequit etiam postulationem admittere, cùm ibi requiratur dispensatio. Vid. Panorm. *in c. ult. n. 10. h. t.*

re. II. In postulatione simplici licentia consentiendi (ubi persona per se consentire nequit) & transeundi petenda est à superiore, cui postulatus immediatè subest. Sic si eligatur servus, à suo Domino. *c. 1. dist. 54.* Si libertus à Patrono *c. 5. ead. dist.* Si Clericus à suo Ordinario *c. 2. causâ 21. q. 2.* Si religiosus privatus, à suo Superiore, *c. 27. de Elect. in 6.*

Si

Si Abbas, ab Episcopo, vel si exemptus fuerit, à S. Pontifice, aut ejus Legato de latere postulandus erit. *c. 36. & ibi Gloss. de Elect. in 6.*

§. V.

7 *Obiectum* postulationis solennis est persona vocata ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam, ad quam ob defectum Canonicum Jure eligi non potest, arg. *c. 4. & ult. h. t.* Talis autem defectus sit, necesse est, ut Superior in eo possit & soleat dispensare Pirrhing *h. t. n. 5.* Unde

Colliges I. Postulari non posse, qui ob animi, aut corporis vitium eligi nequeunt. *c. 40. de Elect.* veluti omnino illiterati. *c. 22. Eod.* temerè violantes interdictum. *c. 1. h. t. falsarii. c. 7. de crimine falsi. Simoniaci c. 12. in fine & 59. de Elect.* alique criminosi & moribus infames per *c. 34. dist. 50. c. ult. de tempor. ordinat. c. 87. de R. f. in 6.* Item bigami, & spurii, sive ex damnato coitu nati, arg. *c. 10. f. persona de Remunt. corpore viviat. aut aliâ indispensabili irregularitate, seu impedimento laborantes. Quodsi tales scienter postulentur, postulantes eâ vice ipso jure privantur facultate postulandi, & eligendi. c. 1. & 2. h. t. c. 40. de Elect.* Cujus ratio est: quia ita de eligentibus scienter indignum statuitur in *c. 7. f. fin. de Elect. Laym. ad d. c. 1. h. t. n. 5.*

Colliges II. Postulari non posse, qui ab ipso jure postulari prohibentur: ut sub gravibus pœnis prohibentur postulari minores 27. annis ad Ecclesias Cathedralis; nec non Religiosi ex Ordine Mendicantium ad Ecclesias Cathedralibus inferiores Vid. *exer. avag. un. h. t. inter communes.*

Colliges III. Postulari posse & debere, qui vel patiuntur defectum in natalibus; ut illegitimè nati. *c. 20. de Elect.* vel ordinis; ut si ad Prælaturam petatur laicus, vel in Ordinibus minoribus constitutus. *c. 10. dist. 61. c. 22. de*

Elect. vel etatis: ut is, qui nondum completit annum trigesimum, ad Episcopatum requisitum, *c. 7. & 10. de elect.* vel professionis in religione: ut Novitius, vel alius nunquam expressè professus. *c. 13. & 27. de Elect. c. 28. Eod. in 6.*

Colliges IV. Solenniter quoque ad alias Ecclesias postulandos esse, qui vinculo spiritualis matrimonii Ecclesiis suis sunt adstricti: ut sunt Episcopi, Archi-Episcopi, alique Prælati in eodem ordine Episcopo superiores, non modò consecrati, sed etiam confirmati tantum. *c. ult. h. t.* Solum electi vero eligi debent, cum absque ullius dispensatione vel licentiâ priori electioni de se factæ, imò & acceptatæ renuntiare possint. *c. 26. de Elect. in 6.* & matrimonium spirituale cum Ecclesia ante confirmationem nondum sit perfectè contractum, sed veluti inchoatum. *c. fin. de Translat. Episcopi. Panorm. in c. ult. n. 7. h. t.*

Dubium est, an Episcopus unius Ecclesiæ habens privilegium, seu licentiam à Papa transeundi ad aliam Ecclesiam debeat postulari, vel eligi? dixeris eligendum esse: siquidem concessâ licentiâ liberè ad aliam Ecclesiam transeundi non obstante vinculo conjugii spiritualis, videtur sublatum impedimentum, adeoque nulla hujus dispensatio necessaria. Sed crebriore Doctorum calculo comprobata opinio est, talem Episcopum debere postulari, & non eligi per text. *d. c. ult. de Translat. Episcopi tenetque Panorm. ibid. n. 18.* Ratio est: quia talis licentia non dissolvit vinculum Matrimonii spiritualis cum Ecclesia, cujus causâ aliàs Episcopus postulandus est; ideòque non tollit impedimentum ex toto, sed solum ex aliqua parte, seu quò ad aliquos ipsius effectas: nempe, quòd Episcopus ita privilegiatus possit statim consentire postulationi de se factæ, quod alioquin non liceret juxta *c. 16. f. denique de elect. in 6.* & consequenter idem jus acquirat, quod per consensum in electione,

ita ut postulantes nequeant amplius variare, & S. Pontifex vi dati privilegii eum confirmare teneatur. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrarium, quod tunc rectè concluderet, si hujusmodi indultum auferret totum impedimentum, & vinculum, quò Episcopus Ecclesiæ alligatur.

Objectum Postulationis simplicis seu non solennis est persona, ad cuius promotionem non requiritur Superioris in defectu seu impedimento Canonico dispensatio, sed solum consensus seu licentia ejus, cui persona ad dignitatem Ecclesiasticam vocata proximè subjecta, aut obligata est; ut Servus, Liberus, Religiosus &c.

§. VI.

Forma Postulationis stat in modo postulandi; qui sicut in electione triplex est: vel per inspirationem aut quasi inspirationem divinam, vel per compromissum, vel per scrutinium: quia electio & postulatio in jure æquiparantur. Panorm. *in c. quia propter de Elect. n. 9.* Sed de his *Tir. sequenti.* Hic

Quær. I. Quæ verborum forma in postulatione solenni, & votis edendis servanda sit?

R. I. Si certum sit aliquem esse postulandum, non debet quis uti verbo: *eligo*, neque è converso verbo: *postulo*, si constet eum esse eligendum, aliàs uterque actus foret irritus. *c. 4. & ult. b. r. & notat Gloss. in c. un. V. eligat b. r. in 6.* Ratio est: quia qui taliter eligit, aut postulat, quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit adimplere: vox enim illud non significat, adeoque nihil ager per *l. in ambiguo. 3. ff. de rebus dubiis.*

R. II. Minimè valere electiones, aut postulationes sub his formis factas: *eligo postulando: postulo eligendo: aut, eligo postulandum: postulo eligendum. d. c. un. b. r. in 6.* Ratio est: quia hæ formulæ inter se continent repugnantiam: qui enim eligit, dicit eum, quem eligit, nullum habere defectum; qui

verò postulat, defectum agnoscit, & fatetur. *Zoël. h. t. n. 8.* Singulariter tamen ex benignitate Canonum ob favorem & utilitatem Ecclesiæ receptum est; ut si probabilis facti (non juris. *c. 13. de R. F. in 6.*) ignorantia vel dubitatio intervenerit, utrùm quis vel postulandus, vel eligendus sit, valeat formula hæc: *eligo & postulo, prout melius de jure valere poterit.* quo casu sic electus vel postulatus, quando consentit, tenetur viam electionis, vel postulationis eligere, & in ea, quam elegit, permanere. *d. c. un. & ibi Gloss. P. Engl. h. t. n. 7.*

Quær. II. Quomodo petenda sit admissio postulationis?

R. I. Cum postulatio soli gratiæ innitatur, nullâ actione juris admitti petitur, sed officium superioris simpliciter imploratur; quod semper solet fieri, ubi actio deficit. *c. 2. de Offic. Judicis. Pirrching h. t. n. 2.*

R. II. In litteris postulationis exprimendi sunt omnes defectus postulati, qui electionem impediunt: alioquin admissio illius foret nulla; & taliter postulantes scienter æquè privantur pro ea vice jure eligendi & postulandi, ac illi, qui scienter indignum postulant. *arg. c. 20. de Elect. & c. 1. & 2. de Filiis Presbyter. in 6.* Cujus ratio est; quia in admissione postulationis debet intervenire dispensatio circa omnes defectus impediunt: atqui dispensatus in uno defectu, non est dispensatus in alio, qui in dispensatione non exprimitur: cum dispensatio, utpote juris communis relaxatio, strictè interpretanda sit. *c. odia de R. F. in 6.* Vid. addit. ad Panorm. *in c. fin. b. r.*

§. VII.

Finis Postulationis est urgens necessitas, atque Ecclesiæ viduatæ utilitas, cui per postulationem electionis locò providetur. *c. 4. h. r.* Necessitas: si nullus in capitulo vel collegio sit, cui vacans prælatura tutò committi possit per *c. 13. dist. 6. r.* Utilitas verò, si postulati pietas, doctrina, prudentia, aliæque in-

signes qualitates eum praelatura praefici persuaadeant. c. 1. & 3. h. t. Pirrhing n. 39.

§. VIII.

Effectus alius est postulationis Superiori praesentatae, alius a Superiore admissae.

¶ *Effectus* Postulationis praesentatae est, quod ab ea postulantes sine consensu Superioris, cui praesentatio facta est, recedere, & alium eligere, vel postulare nequeant. c. 4. & ibi Interp. h. t. Et hoc non ideo, quasi per illam praesentationem postulato jus aliquod acquiratur, sed ne Superiori illudatur, aut ejus iudicium a postulantium arbitrio dependere videatur, uti exprimitur in d. c. 4. ad fin. & facit Clem. un. de Renunt. ubi dicitur, illusionem & variationem in personis Ecclesiasticis maxime esse vitandam.

Ex quo a contrario sensu recte inferitur, antequam postulatio praesentetur Superiori, postulantes posse variare invito postulato; imò & nuntium, seu procuratorem revocare, antequam postulationem reipsa praesentariat, modo revocatio ad ipsum perveniat. arg. c. 33. de Rescript. c. 13. de Procuratorib. Atque in hoc est notabilis differentia inter electionem & postulationem, quod in illa mox publicato scrutinio omnis variatio excludatur. c. 58. de Elect. in postulatione autem admittatur etiam postea, modò superiori nondum sit praesentata. Ratio diversitatis est; quia electio innititur juri, postulatio verò gratiae. Et certè nec postulatus, nec superior de tali revocatione conqueri potest. Non postulatus: quia per postulationem nullum jus ei acquiratur, cum sit inhabilis, nisi dispensetur. Non Superior: quia nemo gratiarii aut dispensationem pro alio petere cogitur.

¶ *Effectus* Postulationis admissae est, quod habeat vim electionis, & confirmationis, detque postulato jus, ac si fuisset electus & confirmatus, ita ut non indigeat alià con-

firmatione, vel electione, per c. 2. & 4. h. t. Quod ideo constitutum, & Ayllo Curiae Romanae receptum est, ut evitetur circuitus, ne iteratò cum Ecclesiarum dispendio adeundus sit is, qui simul & licentiam dare, & electionem confirmare potest. Rectè tamen observat noster Panormit. ad c. 1. n. 34. h. t. hoc procedere duntaxat in postulatione solenni, non in postulatione non solenni, quando v. g. petitur licentia ab Abbate, ut assumi possit in Episcopum Religiosus ipsi subditus: tunc enim habità licentià sequi debet nova electio, & electionis confirmatio: quia Abbas non habet potestatem providendi Ecclesiae Cathedrali.



TITULUS VI.

De Electione & Electi potestate.

SUMMARIA.

1. Electionis homonymia. 2. Et definitio. 3. Eligendi jus pertinet ad Capitulares. 4. Non nunquam etiam ad extraneos Clericos.
5. Non verò Laicos.
6. Nemo seipsum. 7. Vel successorem sibi eligere potest.
8. Ex Capitularibus suffragio carent impuberes.
9. Sacris ordinibus non initiati. 10. Nondum Professi. 11. Mendicantes transmissi ad Ordinem non Mendicantium.
12. Censurati. 13. Non item irregulares. 14. Religiosi proprietarii. 15. Qui postulant minorem 27. annis ad Episcopatum, &c.
16. Qui tribus mensibus negligunt eligere notum Praelatum. 17. usque 20. qui eligunt per abusum secularis potestatis. 21. Qui non observant formam electionis. 22. Et qui indignum promovunt.
23. Ad electionem omnes vocandi sunt. 24. Qui debent. 25. Volunt. 26. Et possunt committi & interesse.
27. Alii.

27. Absens legitime impeditus votum dare potest per procuratorem, non scripto.
 28. In eligendo precipue considerantur natales. 29. Genus. 30. Aetas. 31. Ordo. 32. Usque 37. Professio. 37. Scientia. 38. Fides. 39. Usque 48. Et morum probitas.
 48. Eligendus est dignior. 49. Valet tamen electio digni omisso digniore.
 50. Quis dignior dicatur?
 51. Usque 60. De preparatoriis electionis.
 60. Quotuplex sit modus eligendi.
 61. Forma scrutini.
 62. Ad scrutinium requiritur Capitularium Congregatio.
 63. Scrutatorum constitutio. 64. Usque 70. Notarum exquisitio. 70. Publicatio. 71. & 72. Collatio.
 73. Electio communis.
 74. Electio fieri debet de die.
 75. Compromissum ad electionem a quibus. 76. In quos.
 77. Et quomodo fieri possit?
 78. Compromissarii ad eligendum dati possunt etiam postulare.
 79. Et unum ex seipsis eligere.
 80. Compromissum an revocari valeat?
 81. Inspiratio vel quasi quomodo fiat?
 82. De presentatione electionis.
 83. Quomodo electioni assensus praestari debeat?
 84. 85. Quando electus teneatur consentire electioni?
 86. Quando? 87. 88. Et a quo petenda. 89. Item quomodo concedenda sit confirmatio electionis?
 90. De Episcoporum consecratione. 91. Et Abbatum benedictione.
 92. Effectus electionis. 93. Confirmationis. 94. Consecrationis & Benedictionis.

§. I.

Electio, prout denotat delectum personarum ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas, sumitur vel late, vel strictè. Late accepta quamvis vocationem, aut institutionem ad beneficium, ideoque etiam Postulationem, Praesentationem, Nominationem, ac Collationem complectitur: quia in his omnibus eligenda est persona beneficio idonea. Strictè verò seu propriè usurpatur

pro vocatione ad Prælaturam vacantem per vota canonicè facta. Et hæc acceptio est hujus loci, in qua.

§. II.

Definitur Electio, quòd sit personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ vacantis canonicè facta vocatio, Colligitur ex c. 7. & 42. h. t.

§. III.

Causa efficiens Electionis sunt vota Eligentium. Eligere autem regulariter possunt, & ad electionem vocari debent soli, & omnes Capitulares Ecclesiæ vacantis, nisi speciali jure inhabilitati, aut ob censuram, vel culpam eligendi potestate privati sint. c. 1. & ibi Panorm. h. t. Quod ut prolixius intelligatur.

Dico I. Regulariter solos Capitulares Ecclesiæ vacantis eligere posse: nonnunquam enim electio etiam aliis Clericis extraneis competit; nempe I. ex privilegio S. Pontificis c. 8. de consuet. II. ex consuetudine, aut præscriptione quadragenaria. c. 3. de Causa possess. & propriet. III. ex fundatione, scil. si Patronus Ecclesiasticus aut sibi, aut alii Prælato, vel Capitulo in Ecclesia fundata jus eligendi reservet, prout reservare potest arg. c. 23. de Jure patronat. & c. 4. de Condit. appof. IV. ex pacto & unanimi consensu Electorum sede vacante, vel pro ea vice compromittentium, vel aliquem Clericum extraneum ad coeligendum admittentium. c. 8. c. 40. h. t.

Num autem Religioso, vel Canonico ad Prælaturam alterius Monasterii, vel Ecclesiæ translato pacto & consensu Capituli in Ecclesia, à qua translatus est, jus suffragii electivi reservari & concedi possit? ambigitur. Dixeris posse: cum tale jus suffragii cuique etiam alteri personæ Ecclesiastica communicari valeat. d. c. 40. h. t. Verùm contrarium aperte decisum est in c. 47. Eod. Ubi hujusmodi concessio frivola dicitur, puta, si fiat vel in perpetuum, & ad dies vitæ: quia tunc per eam eidem

daretur jus duplex, Monachatus aut Canonici-
 catùs contra *c. fin. de Religios. domib. c. 1. de
 Privileg. in 6. & c. 37. causà 16. q. 1.* vel sede
 nondum vacante: tunc namque præferret
 tractatum futuræ electionis, qui reprobatur in
c. 36. h. t. Secus est, si Religioso, aut Canonico
 translato jus eligendi concedatur sede va-
 cante, & pro una tantum vice: talis siquidem
 concessio subsistit, cum per eam non daretur
 Capitularis communio in duobus Monaste-
 riis, vel Ecclesiis, sed ut loquitur Panorm.
in d. c. 47. n. 3. solum fieret, ut pro utilitate
 Ecclesiæ haberentur plura iudicia in actu ele-
 ctionis; in quem sensum intelligi debet, &
 potest oppositum *c. 40. h. t.* Hæc doctrina
 notetur: etenim, ut monet Joan. Andr. *ad
 Marg. hujus cap.* relatus, experienciâ constat,
 sæpissimè Monachos vocatos ad alia Mona-
 steria hac de re dubitare.

5 Planè Sæculares jus eligendi, quippe spiri-
 rituale nec pacto nec fundatione, nec quâ-
 cunque do natione consequi possunt. *cap. 51.
 h. t.* Quin imò nec consuetudine, aut præ-
 scriptione etiam immemorali, cum Laici
 spiritualia possidere nequeant, sine possessio-
 ne autem non procedat ulla præscriptio. *c. 7.
 de Præscript. c. 3. de R. J. in 6. & textus est
 in c. 56. h. t.* Quòd vero Sæculares privile-
 gio Apostolico ad ritè eligendum, quemad-
 modum ad jus patronatùs, & alia jura spiri-
 tualia qualificari possint, tradit P. Engl. *h. t.
 n. 4. & olim factum fuisse perhibet c. 13. 18.
 22. & 23. dist. 63.*

Dico II. Omnes Capitulares Ecclesiæ va-
 cantis eligere posse, nisi speciali jure inhabi-
 litati, vel ob censuram, aut culpam eligendi
 potestate privati sint.

6 Ob inhabilitatem I. Nemo potest eligere
 seipsum, etsi in aliquo collegio unus solus su-
 perfit, in quo tunc universitatis jus adeoque
 etiam jus eligendi remaneat: tum quia inter
 dantem & accipientem debet esse distinctio

personalis *c. fin. de Instit. c. 26. de Jure pa-
 tron. c. 3. de excessib. Pralat.* tum ne ambiendi
 dignitates detur occasio contra textus in
*c. 9. causà 8. q. 1. c. 17. h. t. l. 1. ff. ad leg.
 Jul. de ambitu.* Vid. Gonzal. in *cap. 33. h. t.
 num. 4. & seq.*

II. Prælatus antecessor non potest sibi eli-
 gere successorem. *c. 3. 4. & 5. causà 8. q. 1.*
 Ratio est, ne in Beneficiis Ecclesiasticis intro-
 ducatur successio quasi hæreditaria, quam
 magnoperè detestantur SS. Canones *cap. 7.
 causà 8. q. 1. c. 7. & 11. de Filiis Presbyt. c. 17.
 de Jure patronat.* Accedit, quòd Prælatus
 non censeatur esse de collegio, nec veniat ap-
 pellatione collegii, utpote ejusdem Caput.
 Glossa notab. in *Clem. ut ii. 2. de Ætat. &
 qualitat.* Panormit. in *cap. 1. n. 6. h. t.* Ve-
 rum cum Successoris electio nec juri naturali,
 nec Divino, quo ad aliquas saltem personas,
 & casus adverteretur, autoritate S. Pontificis
 alicui Prælato concedi poterit per *cap. 17.
 causà. 7. q. 1.*

III. Ab electione arcentur impuberes,
 hoc est, minores 14. annis, si sint masculi;
 vel 12. annis, si sint fœminæ: quia carent
 discretionem & iudicio necessario in discernen-
 da cujusque qualitate & conditione, *cap. 32.
 h. t. in 6.* Nec refert, malitia ætatem sup-
 pleat, nec ne, cum canon non distinguat.
 Zoëf. *h. t. n. 3.*

IV. Submoventur omnes tum Canonici,
 tum Religiosi, qui sacro saltem Subdiaconatùs
 ordine non sunt initiati: quoniam tam in
d. Clem. 2. de Ætat. & qualitat. quam in *Trid.
 sess. 22. de Reformat. c. 4.* generaliter statuitur,
 ut quicumque in Cathedrali, vel Collegiata,
 seculari, vel Regulari Ecclesia divinis manci-
 patus officiis in Subdiaconatùs ordine saltem
 constitutus non sit, vocem in hujusmodi Eccle-
 siis in Capitulo non habeat. Atque ita teste
 Mirandà in *Manuali Pralator. Regular. tom. 2.*

q. 23. d. 5. *concl. 5.* observatur in communi praxi in omnibus Ecclesiis secularibus & regularibus.

10 V. Eligere prohibentur, qui in Ecclesiis Regularibus, vel Monasteriis non sunt tacite, vel expresse professi, ut Novitii. *d. cap. 32. §. in Ecclesiis & c. 43. h. t. in 6.* Ratio est: quod, cum actu membra Religionis seu Monasterii non sint, non conveniat, ut Caput constituent.

11 VI. Prohibentur Professi etiam in Sacris constituti Mendicantes, qui ad non Mendicantium ordinem transferunt, tametsi Apostolicam auctoritate transferint, aut hoc ab aliis Capitularibus sibi liberè concederetur: *Clement. 1. de Regularibus.*

12 Ob Censuram eligere non possunt. I. Excommunicati excommunicatione majori. *c. 14. & 39. h. t.* Minor excommunicatio, cum non exercitio officii, sed tantum Sacramentorum susceptione privet, haud obstat electioni activæ. *c. fin. de Clerico excommunicato & c.* II. Suspensi ab officio & multo magis beneficio & officio simul. *cap. 16. in fin. h. t.* non autem suspensi à beneficio tantum: quia suspensio à beneficio duntaxat privat à percipiendis fructibus: eligere verò non est fructus beneficii, sed potius actus officii vel jurisdictionis. *Gloss. apud Barb. f. F. II. lib. 1. c. 19. n. 59.* III. Interdicti interdicto personali, quod importat suspensionem, *d. cap. 16. h. t.* Interdictum locale non impedit electionem, eò quod solum prohibeat administrationem quorundam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus non est electio. Imò hodie post extravagantem Martini V. *ad evitanda.* excommunicati, suspensi, & interdicti, nisi sint denunciati, aut notorii Clericorum percussores, ad eligendum probabiliter admitti possunt: cum enim Ecclesia eos in officiis toleret, & cum iis etiam in spiritualibus communicare permittat,

acta quoque eorum erunt toleranda & valida, ne frustranea sit communicatio. *Zoëf. h. t. num. 10.*

An etiam quicumque irregulares eligere prohibeantur? in utramque partem disputatur. Layman. *in qq. Can. de Pralat. elect. affirmat arg. c. 18. §. is verò de Sentent. excomm. in 6. Barb. cit. cap. 19. n. 65.* cum aliis negat; quem ego sequor, & tu consule.

Ob culpam jus eligendi amittunt. I. Qui scienter in loco interdicto celebrant, nisi id privilegio, aut jure iis sit concessum. *d. c. 18. §. is verò de Sentent. excomm. in 6.*

II. Religiosi proprietarii, qui nempe Superioriore suo invitò peculium retinent: hi enim biennio activà & passivà voce carent. *Trid. sess. 25. de Regularib. c. 2.*

III. Jure eligendi excidunt, qui scienter postulant minorem 27. annis ad Prælaturam Cathedrali: aut Religiosos quorumcunque Ordinum Mendicantium ad Prælaturas alterius Ordinis Cathedralibus inferiores; non tamen nisi ista vice. *extravag. un. de Postul. Pralat.* Item qui attentant innovare postulationem ob vitium personæ cassatam. *cap. 2. de Postul. Pralat.* aut recipiunt postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam. *c. 23. & ibi DD. h. t.*

IV. Eligendi potestatem pro ea vice deperdunt, qui in Ecclesia Cathedrali, vel Regulari, iusto impedimento cessante, tribus mensibus à die habitæ notitiæ de vacatione novum Prælaturam eligere neglexerunt, eaque potestas ipso jure devolvitur ad Superiorem, cujus aliàs est electionis confirmatio. *cap. 41. h. t.* ubi monitum additur, ut is, ad quem fuerit devoluta potestas, DEUM præ oculis habens non differat ultra tres menses (à die devolutionis numerandos) cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius qui-

dem Ecclesia, vel alterius, si dignum non repertur in illa, canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem. Quodsi electio intra trimestre facta effectum non habuerit, puta, quia electus aut eam acceptare noluit, vel mortuus est, conceditur novum integrum trimestre pro celebranda electione, dummodo non fraudulenter egerint in præmissis. *c. 26. h. t. in 6. sup. de elec. in 6.*

37 V. Ab officiis & beneficiis per sententiam Judicis ad triennium suspenduntur, & ipso facto jure eligendi pro illa vice privantur, qui scienter & spontè eligunt per abusum sæcularis potestatis, id est, petunt, vel admittunt Laicos, v. g. Principem, vel ejus Commissarios, qui se cum autoritate ingerant electioni, & eligentium libertatem impediant. *c. 43. h. t. in 6.* Ubi etiam consentiens electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis inhabilitatur ipso jure: ad quancunque dignitatem Ecclesiasticam, donec cum eo dispensetur: & electio hujusmodi irrita declaratur. Quod adeò verum est, ut nec consuetudo in contrarium valeat. *cap. 56. Eod.* Hinc *cap. 57. h. t. in 6.*

38 Infero I. Si Capitulares eligentes per ignorantiam, vel per vim & metum gravem admittant dictum abusum sæcularis potestatis, Principe v. g. territorii, aut aliis potentibus Laicis contra eorum voluntatem se intrudentibus, nec ipsos Capitulares potestate eligendi esse privatos, vel privandos, nec electionem esse irritam, sed validam, quo ad suffragia nimirum Capitularium, non autem Laicorum, modò non obstante tali violentiâ liberè à Capitularibus ex parte eorum facta sit electio. Ratio est, tum quia hoc casu locum habet *Regula 37. in 6.* quòd utile per inutile non vitietur: tum quia ubi deest dolus, ibi non intelligitur delictum, ubi verò non est delictum, neque pœna infligenda est

per *l. 22. C. de Pœnis.* Attamen consultum est tali casu, ut Capitulares protestentur, non valitura Laicorum suffragia; ne si protestatio facta non sit, & postea forsan judicetur, violentiam aut metum gravem non fuisse, ipsi Capitulares censeantur voluntariè cessisse, ideòque dictam pœnam incurrisse. Fagnanus in *c. Massana. 56. h. t. n. II. h. t. in 6.*

Infero II. Dicta tantum procedere, quando Laici cum auctoritate se ingerunt electioni, vel ad coëligendum admittuntur; secus, si ob alium finem Ecclesiæ utilem, ut quando admittitur Laicus tanquam tabellio ad scribendum electionis processum: vel jurisperitus ad Capitulares electores minùs peritos instruendos in forma electionis &c. *c. vocata. 27. §. principibus. dist. 63. Fagnan. in cap. quisquis. n. 19. h. t. in 6.*

Infero III. Subsistere consuetudinem, quæ in aliquibus locis invaluit, ut nempe electio novi Prælati tam celebranda, quam celebrata Principi vel Patrono Laico intimari, ejusdemque desuper consensus peti debeat. per *c. 51. in fin. h. t.* si modò per eam nihil derogetur Ecclesiasticæ libertati, & Princeps, vel Patronus Laicus consentium super electione celebranda, vel celebrata à se postulatum non denegat, nisi canonicum adsit impedimentum. *P. Engl. h. t. num. 4. & alii ibidem laudati.*

IV. Jure eligendi pro illa vice privantur, qui in eligendo non observarunt formam à SS. Canonibus statutam. Quæ tamen privatio per sententiam Judicis Superioris declarari debet. *c. 42. & ibi Panorm. h. t.*

V. A Beneficiis Ecclesiasticis per triennium suspenduntur, & primà postea occurrente, non autem omni futura electione privantur, qui scienter Episcopum eligunt indignum, seu incapacem, maxime ob de-

fectum natalium, scientiæ & morum. *cap. 7. s. fin. & cap. 25. h. t. cap. 7. & 37. Eod. in 6.* Notanter verò dixi: *qui scienter eligunt indignum*: nam si appareat, per ignorantiam indignum electum esse, cassatâ eâ electione iterum proceditur ad secundam; quo modo textum in *cap. fin. de Filiis Presbye.* exponit Gonzal. in d. c. 7. s. fin. n. 8.

Potro, si omnes Capitulares indignum eligant, vel aliter potestate eligendi privati sint, factâ publicatione pro ea vice facultas eligendi devolvitur ad Superiorem; & quidem in Ecclesiis Cathedralibus (præterquam in casu negligentia) immediatè ad S. Pontificem, in aliis verò inferioribus, & in casu negligentia non ad Papam, sed ad proximum Superiorem, ad quem spectat electum confirmare. *c. 18. h. t. in 6.* Quod si aliqui tantum Capitulares eligendi jure exciderint, eligendi potestas residet penes reliquos, etiam unicum duntaxat: quia universitas remanet in uno. *arg. c. un. Ne sede vacante, in 6. & l. 7. s. 2. ff. Quod cujunque univers.*

23 Dico III. Ad electionem faciendam vocandos esse omnes, *qui debent & volunt, & possunt commode interesse.* Text. in *c. quia propter 42. hoc. tit.* Equidem si vel unus è vocandis spernatur, & non vocetur, eo prosequente contemptum, electio, licet à majore Capituli parte facta aut etiam confirmata sit, irritanda est, cum plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsentia *c. 36. h. t.* Nisi confirmatio facta sit ex certâ scientia, per habentem potestatem supplendi electionis defectus: vel contemptus, & non vocatus pacis studio aliorum electioni accedat, ratamque habeat, quòd facere potest, etiam ex postfacto. *c. 28. hoc. titulo. & ibi DD.*

Quando omnes & singuli interesse ha-

bentes legitime citati non comparent instante termino præfixo, nec se exculant, non immeritò quaritur, an præsentem ad electionem absque eorum contemptu procedere valeant? Quidam distinguunt, & si præsentem plures sint, quàm absentes, concedunt; secus verò negant, putantque absentes usque ad finem termini de jure statuti expectandos esse: quia quod à majore parte Capituli fit, pro eodem habetur, ac si à toto Capitulo factum fuisset, sed non quod fit à parte minore. *c. 1. de his, qua fiunt à majore parte capit.* Verùm cum mora in electionibus periculosa sit *cap. 18. h. t.* & absentes cum intimatione termini ritè citati ad assignatum terminum comparere teneantur, existimo, eos per præsentem non debere expectari, tametsi plures sint absentes, quàm præsentem. Cœpola cautela 79. ubi ait: etiam unum electorem absentibus vocatis ad certam diem & horam, illis non comparentibus, posse legitime eligere, & ita se vidisse judicari refert. Idque maximè procedet, si major pars per minorem vocata dicat, se nolle eligere, vel electioni interesse per *c. 19. s. item cum post. h. t.* aut si in litteris citatoriis expressum fuerit, quòd absentium contumaciâ non obstante ad electionis negotium procedatur: hæc enim cominatio designat citationem peremptoriam. *l. 71. ff. de Jud. Tholosan. rr. de Elect. c. 14. num. 1. & 15.*

Sed modò, quinam ad electionem vocandi sint, expendamus. Et verò juxta citat. text. *c. quia propter.* vocandi sunt, *qui debent*, id est, qui defacto jus eligendi habent, vel saltem sunt in quasi possessione juris eligendi per *c. 55. h. t.* Si inhabiles, vel alias privati jure eligendi vocati non sint, non possunt agere de contemptu. *c. 18. h. t.* Quæ doctrina obtinet, quamvis prius discussum non sit,

fit, an non citati inhabiles, aut privati sint, dummodo postea convinci possint. Gonzal. in d. c. 18. n. 11. Panorm. in c. 50. n. 13. h. t. & 25 volunt: quia cum cuilibet juri suo renunciare concessum sit, nemo invitus electioni interesse cogitur, aut cogi potest; nisi vel statuto aut consuetudine particulari aliud introductum fuerit, vel certe ob specialem aliquam causam Ecclesie viduatæ interfit, ut omnes ad electionem accedant. P. Pirrhing. h. t. n. 126.

26 Et possunt commodè interesse. Unde non sine ratione communius nostris placuit, absentes sive intra sive extra provinciam, in qua electio celebranda est, morentur, vocandos esse modò non sint ita remoti, ut juxta prudentis viri arbitrium consideratis locorum, & temporis circumstantiis, variisque periculis impendentibus acciri, & expectari nequeant; tunc namque, ne diu & cum gravi damno Ecclesia vacet, necesse non est, ut vocentur per c. 18. & 28. h. t. Nisi fortè alicubi obstat consuetudo: sicut enim consuetudine introduci potest, ut absentes omninò non vocentur teste Panorm. in c. 35. h. t. ita defacto consuetudo pluribus locis obtinuit, ut omnes, qui necdum in provincia, sed in toto aliquo regno & Imperio sunt, licet remotissimi, nuntio vel litteris destinatis citari debeant, si in mora non sit speciale periculum, & intra trimestre ad eligendum à SS. Canonibus præfinitum advenire possint, ut proinde hac in re non tam dispositio juris communis, quam usus cujusvis Ecclesie attendendus videatur. Vivianus ad d. c. 35.

27 Caterùm absentibus, qui sunt in loco, unde ad electionem vocari debent, & ex justa causa, juramento, si opus fuerit, comprobata, impediuntur, quo minus compareant, votum salvum manet: quod explicare possunt, non quidem scriptò (cum secretò & sigillatim in ipso, non ante scrutinium exprimendum sit) sed per alium de collegio, qui vocem activam

habeat, unum aut plures, quibus vices suas in solidum demandent. Text. in c. quia propter §. illud autem. h. t. & in cap. 46. Eod. in 6. Procuratorem extraneum Capitulares inviti recipere non tenentur, etsi nullus de Capitulo absentis Procurator esse vellet. cit. c. 46. §. fin. Neque plures admittere possunt, nisi absens singulis in solidum potestatem eligendi comiserit, ita ut unus sine altero eligere queat. Et hoc casu is reliquis præfertur, qui præoccupavit; aut si omnes simul concurrant, ne in diversos vota dirigant, unus tantum & ille admittitur, quem Capitulum, sive major ipsius pars elegit, vel si Capitulares desiderant, ille, qui primus in literis procurationis nominatus fuerit. d. c. 46. in pr. Ubi etiam discretè statuitur, procuratorem non posse alium suo, & alium Principalis nomine eligere, nisi speciale mandatum habeat de certa persona eligenda, tum enim in illam ejus, & in alium suo nomine licetè poterit consentire. Confer. Azor. Instit. moral. p. 2. l. 6. c. 14. q. 7. §. IV.

Objectum Electionis est persona eligibilis; in qua octo principaliter considerantur, nempe natales, genus, aetas, ordo, professio, litterarum scientia, integritas fidei & morum probitas.

o Natales: quia illegitimi absque dispensatione Pontificis ad Prælaturas promoveri nequeunt. c. innovit. 20. h. t. eaque dispensatione attento jure communi Religiosi quoque defectu natalium laborantes indigent; per solennem enim professionem in Religione approbata defectus ille quidem purgatur quo ad ordines sacros suscipiendos, non verò quo ad dignitates & Prælaturas. c. 1. & ibi DD. de Filiis Presbyt. Dixi: attento jure communi: nam afferuntur quædam privilegia, quorum virtute etiam aliqui Prælati regulares cum illegitimis sibi subditis dispensare possunt ad quasvis dignitates in ordine, secus extra-
Or-

Ordinem. Vid. Miranda in *Man. Pralat. Regul. q. 1. a 1. & 2.*

29 *Genus*: siquidem de iis, qui nati sunt ex genere maculato circa fidem, hoc est, ex hæreticis ac horum receptatoribus, defensoribus, & fautoribus descendunt, in *c. 2. §. hæretici & c. 15. de Hæreticis in 6.* constitutum est, ne usque ad secundam generationem, seu lineam paternam, & primam maternam ad ullum beneficium Ecclesiasticum, seu officium publicum admittantur, nisi eorundem parentes emendati, & Ecclesiæ ante mortem reconciliati sint. Notat verò P. Engel *b. 1. n. 25.* hanc constitutionem non obtinere in Germania, ubi zizania tritico impunè miscuntur.

30 *Ætas*; quæ non eadem ad quavis Prælaturas in eligendo desideratur. Ad Pontificatum jure scripto quidem nulla ætas determinata legitur, etsi jus naturale prohibeat, ne quis in totius Ecclesiæ Pastorem assumatur, qui & ætate, & judicio maturus non sit; unde de cæns est, ne saltem minor 30. annis eligatur. Azor. *Instit. Moral. p. 2. l. 6. c. 5. q. 15.* Ad Episcopatum, Archi-Episcopatum, & c. 30. anni completi. *c. 7. h. t. & ad alias dignitates minores, v. g. Abbatias, Præposituras, & c. quibus cura animarum annexa est, 25. anni inchoati requiruntur. d. c. 7. §. inferiora. Trident. sess. 24. de Reform. c. 12.* Circa Abbatias & præfecturas monialium Trid. *Sess. 25. de Regularib. c. 7.* statuit, ut nulla eligatur, quæ sit minor 40. annis & non ad minus 8. annis in Monasterio post expressam professionem laudabiliter vixerit. Si talis in loco non habeatur, & aliunde assumere non sit commodum, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigessimum excesserint, & 5. annis post professionem rectè vixerint, una eligi poterit, si ita videatur Episcopo, vel Superiori.

31 *Ordo*: nemo enim ad Episcopatum, vel Archi-Episcopatum promoveri debet, nisi qui ut minimum in sacro ordine subdiaconatus prius

sex mensibus fuerit. *c. 9. de Ætate & qualis.* Imò cum novissimè Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus Apostolica servitutis.* exigat sacros Ordines antea 6. mensium spatio susceptos, adeoque plurali utatur numero, infert Barb. in *Collect. ad d. c. 2. Trident. n. 2.* omnibus sacris ordinibus oportere initiatum esse eligendum in Episcopum, vel Archi-Episcopum. in Episcopum, inquam, vel Archi-Episcopum: quia ad alias prælaturas inferiores v. g. ad Abbatias Regulares, non requiritur, ut eligendus actu sacrum Ordinem, seu Ordines habeat, modò intra annum numerandum à die adeptæ possessionis Sacerdotium suscipere possit, & defacto suscipiat. *d. c. 7. §. inferiora h. t. c. 14. & 35. Eod. in 6.*

Professio: Quia in Prælatum Regularem³² eligi non potest, qui antea eundem Ordinem professus non est, & quidem expressè, nisi Papa dispenset: cum in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit. *c. 49. h. t. c. 28. & ibi Glossa Eod. in 6. Trident. Sess. 25. de Regul. c. 21.*

Dixi. *Qui antea eundem Ordinem professus non est*: non enim potest quis simul profiteri & in Abbatem, seu Prælatum regularem eligi, eò quòd talis potius amore dignitatis, quàm religionis, suæque salutis professionem emittere censeatur *c. 37. h. t.* Quod si idiplum in pactum deducatur, & religionem profiteatur cum hac conditione, ut Abbas fiat, simoniæ crimen est juxta *c. fin. de pactis.* adeoque electio ipso jure irrita.

Num autem in Abbatem assumi possit, qui paulò antè professus est? exploratum non est; sed ordinariè non posse concludo *exc. officii 38. h. t. ubi habetur*, quòd in Abbatem eligi nequeat, nisi instructus in regula monachali, qualis non censetur, qui paulò ante edidit professionem. Accedit, quòd minùs decere videatur, aliquem fieri magistrum, qui vix disci-

discipulus fuit. Quod si tamen necessitas, vel evidens utilitas Monasterii ita postularer, posset talis neo-professus saltem in extraordinario casu percepta prius ab ipso purgatione, quod nullus dolus, vel ambitio intercesserit, ad Abbatiam admitti, modò in Regula sit competenter instructus. Vid. Text. & Gloss. in *d. c. Officii*.

34 Dixi II. *Et quidem expresse*: nam licet tacite professus activè eligere non prohibeatur, eligi tamen ad regimen Ecclesiæ Regularis nequit, & si defacto eligatur, electio ipso jure nulla est, nisi Ecclesia illa Regularis sit simul Cathedralis: in tali enim in Episcopum etiam Novitius, vel Clericus sæcularis assumi potest ob excellentiam dignitatis Episcopalis. Text. & Vivianus in *c. nullus* 28. *h. t. in 6. & Clem. I. Eod.*

35 Dixi III. *Nisi Papa dispenset*: etenim minime repugnat, quin Pontifex de absoluta sua potestate interdum Religiosos alterius Ordinis præficere, vel ex urgenti, & publica causa Prælaturas Regulares, & Monasteria Clericis sæcularibus in commendam etiam perpetuam dare possit; id quod alioquin non tantum contra citatos Canones, & Concilium Trident. sed & Concordata Germaniæ est, quæ Monasteriis in Germania liberum jus eligendi relinquunt. P. Engel *h. t. n. 22.* Gonzalez in *c. 13. n. 6. h. t.*

36 Huc pertinet, quod eligi debeat, qui est de gremio vacantis Ecclesiæ: quia in *c. nullus* 13. *dist. 61.* aperte statuitur, ut nullus Clericis invitis detur Episcopus de aliena Ecclesia, adeoque nec Religiosis invitis Abbas de alieno Monasterio. Verum cum id principaliter in favorem Capitularium cedat, ideò huic juri renuntiare, & de alia Ecclesia, vel Monasterio (ejusdem videl. Ordinis *d. Clem. I. h. t.*) aliquem eligere permittuntur, maxime si è collegio nemo idoneus reperiat, vel extraneus ob singulares virtutes & qualitates præ cæteris Ecclesiæ

profuturus existimetur. per *c. 21. h. t.* Quod si verò idoneus adest, convenit, ut potius ex ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii gremio aliquis, quam extraneus, etsi cæteroquin dignior: item cæteris paribus oriundus potius, quam non oriundus: indigena seu diocesanus potius, quam alienigena præficiatur per ea, quæ tradit Azor. *Instit. Azoral. lib. 6. c. 4. q. 25.* & facit Text. in *c. 4. circa fin. de Postul. Pralat.*

Literarum scientia à Prælaturis excludit, deicitque illiteratos: quia sacris apti non sunt officii. *c. illiteratos* 1. & seqq. *dist. 36. c. 7. 17. 29. & 53. h. t.* Requirit autem Trident. *Sess. 22. de Reform. c. 2.* in eligendo ad Ecclesiæ Cathedralis, ut antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatius in S. Theologia, vel jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ, vel Superiorum, si Regularis sit, testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quin imò multi contendunt, ad Episcopatum plerumque non satis idoneum censei posse, nisi qui tam Theologiæ, quam SS. Canonum peritià imbutus est, arg. *c. omnes* 6. *dist. 38.* At in plerisque Provinciis ab hoc jure usus recessit: sæpius enim videmus eligi, & à S. Pontifice confirmari Imperatorum, & Principum magnorum filios literarum expertes, si aliunde hunc defectum suppleant, suâ potentia defendendo & protegendo Ecclesiam. Hi tamen sub gravi peccato tenentur assumere & constituere administratores Episcopatus, vel saltem officiales & Vicarios generales, viros eruditos & omnigenâ scientiâ conspicuos.

Integritas fidei in eligendo exigit, ut non tantum alienus ab Ecclesia Catholica, sed etiam neophytus, hoc est, recenter conversus non sit juxta illud Pauli 1. *ad Timoth. 3. oportet Episcopum non esse neophytum: & Canonem Apostolorum* 79. ibi: *qui ex vita gentili advenerit, & baptizatus est, aut ex conversatione prava, eum, justum non est, pro-*

sinus promoveri in Episcopum: injurium enim est, cum, qui non prius specimen, & documentum de se praberit, aliorum Doctorem existere, nisi alicubi dono divina gratia hoc fiat. sicut in D. Ambrosio ab infante in Episcopum nominato contingit. Relinquitur autem arbitrio Superioris (cujus est confirmare electum) conjicere ex moribus & pietate conversi, intra quantum tempus noviter conversus inter veteranos Christi milites, & ad praelaturas eligibilis censerit possit. P. Engel h. t. c. 26.

39 *Morum probitas*: Unde I. à Prælatibus arcentur ambitiosi, & qui eligi affectant. *c. nullus 118. causa 1. q. 1. c. 9. 10. 11. & 19. causa 8. q. 1. c. 46. h. t. junctâ l. un. ff. Ad leg. Jul. de Ambitu & l. un. C. Eod. ubi poena 100. aureorum cum infamia irrogatur his, qui honores, sacerdotia, & magistratus ambiunt. Ex quibus verò præsumatur ambitus, vide Panormit. in c. fin. de Transl. Episcop. n. 12.*

40 II. Submoventur simoniaci, hoc est, à quibus, aut pro quibus pecunia, vel quid simile datum, seu promissum fuit, ut eligerentur. *c. 3. causa 1. q. 7. c. 59. h. t. c. 27. de Simonia. extravag. 2. Eod. inter comm.*

Et hæc prohibitio adeò procedit I. ut si defacto aliquid fuerit datum, electio subsecuta ipso jure sit irrita. *d. extravag. 2.* si verò tantum promissum fuerit, electio quidem non ipso jure sit irrita, sed irritanda à Superiore, *d. c. 27. de Simonia.* II. Ut electio simoniacè procurata irrita, vel irritanda sit, etsi simonia per alium ignorante eligendo intervenerit. *d. c. 27.* imò etsi ipso renuente intervenerit teste Azor. *Instit. Moral. p. 3. lib. 12. c. 7. q. 1.* Excipitur: nisi pretium in fraudem eligendi daretur, aut promitteretur, tunc enim electio ob hoc non vitaretur. *d. c. 27.* III. Ut si electus ipse simoniam commiserit, vel alius eo sciente, & approbante, Episcopus cum eo dispensare nequeat, sed solus Pontifex, *d. c. 27.*

IV. Ut nec per novam electionem consequi possit illud beneficium, dignitatem, vel praelaturam, ad quam per simoniam quis fuit electus, nisi per interpositam personam prius purgetur simoniæ vitium. Quod addo: quia si irritatâ simoniacâ electione eligatur alius, isque resignet, vel moriatur, tum nil obstat, saltem illum, qui ob simoniam sine culpa sua repulsius est, denuò eligi. *d. c. 59. h. t. & facit c. 7. de Filiis Presbyr.* Multò minùs simoniacè electus eligi prohibetur ad aliam Ecclesiam, vel dignitatem, cum in ordine ad alia beneficia nihil in jure statutum reperitur; quamvis, si electus ipse simoniam commiserit, necesse sit, ut per Papam ab excommunicatione (in quam ipse cum mediatoribus juxta *d. extravag. 2. de Simonia.* incidit) absolvatur, & de crimine poenitentiam egerit, priusquam ad aliud beneficium, & Ecclesiam promoveatur. Conf. Azor. *cit. c. 7.*

III. Ob notam cupiditatis, & tanquam criminosi ineligibiles sunt, qui absque dispensatione Papæ tempore electionis habent plures dignitates, vel beneficia curata. *c. 54. & ibi Glossa & Vivianus. h. t.*

IV. Quisquis electioni de se factæ per secularis potestatis abusum consentire præsumperit contra canonicam libertatem, electionis commodo caret, & ineligibilis fit, nec absque dispensatione ad aliquam valet eligi dignitatē. Textus in *c. quisquis 43. & ibi Panormit. h. t.*

V. Intrusi, qui nimirum auctoritate propriâ, absque canonica institutione aut titulo praelaturam, vel aliud beneficium occupant, detinent, aut administrant saltem ad eandem praelaturam, seu beneficium inhabiles censentur, ut pluribus probat Lessius *de J. & J. l. 2. c. 34. n. 123.* Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 27.*

VI. Eligi ad praelaturas nequeunt infames infamiâ sive juris, sive facti. Infames infamiâ juris, per legem scilicet, aut Judicis sententiam inflictâ: quia cum infamiâ hæc ipso jure pri-

vet dignitatibus acquisitis per *l. un. C. de infamib.* multò magis repellat ab acquirendis. Infames verò infamiã facti, seu criminosi: tum quia juxta vulgatam regulam infamibus portæ dignitatum non patent. *c. 87. de R. J. in 6. l. 2. C. de Dignitatib.* tum quia *in c. 7. §. inferiora b. t. & in Trident. sess. 24. de Reform. c. 12.* nominatim quoque cautum est, ut nullus deinceps ad dignitates quasvis, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. annum attigerit, & morum integritate comènderetur. Interim tamen non quælibet crimina, præsertim occulta, inegibilem reddunt committentem, sed notoria duntaxat, & quæ in jure vocantur digna depositione, ut sunt hæresis, schisma, apostasia, incæstus, adulterium, sodomia, sacrilegium, simonia, perjurium, falsificatio literarum Apostolicarum, veneficium, usura, & his similia, de quibus prolixè Azor. *cit. l. 6. c. 7. q. 3. & c. 14. q. 10. Pirrh. h. t. n. 94. & seqq.*

45 VII. Ab electione passiva cohibentur innodati censuris Ecclesiasticis; nempe *excommunicati* excommunicatione tam majore, *c. 7. de Clerico excommunicato.* quàm minore. *c. fin. & ibi Glossa eod.* Electio tamen facta ab irretito excommunicatione minori, mero jure non est irrita, sed irritanda per text. in *d. c. fin. ibi: est electio irritanda.* *Suspensi* sive ab Officio *d. c. fin.* sive à Beneficio *c. 8.* junctâ Glossa *V. suspensus de Etate & qualitate.* Ne suspensio reddatur elusoria, si privatus officio, aut beneficio id per electionem denuò obtineret. *Interdicti* personaliter, quippe qui similes sunt suspensis ab officio. *arg. c. 16. h. t.* Comprehendit autem hæc prohibitio omnes excommunicatos, suspensos, & interdictos, etiam toleratos, & non denunciatos; neque enim extravagans Martini V. *Adevitanda.* ipsis suffragatur, cum per hanc Pontifex illis directè favere non intendat, ut docet Suarez *de Censur. disp. 13. sect. 1. n. 26.*

VIII. Ad prælaturas inhábiles sunt universim omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex alio quocunque defectu; prælatura namque sicut & aliud beneficium datur propter officium. *c. ult. de Rescript. in 6.* irregularis autem est inhábilis ad officium, & consequenter etiam ad beneficium per *d. c. fin. de Clerico excomm.*

IX. Juxta *c. 12. h. t.* qui semel est electus, & ob vitium personæ repulsus, nequit iterum eligi, nec ad eandem, nec ad aliam prælaturam: quia tale vitium electi personam quodammodo sugillat, eamque sequitur, ut lepra leprosum *c. citò 16. causâ 1. q. 1.* Refert tamen, sitne quis repulsus ob vitium animi, seu crimen, idque vel jure probatum, vel præsumptum: an verò ob vitium corporis. v. g. morbum, aut defectum ætatis, naturalium, vel ob alium defectum non culpabilem? Priore casu, & si crimen verè probatum sit, repulsus ab omni deinceps prælatura excluditur, nisi fortè se emendârît, idque probaverit; alioquin enim semel malus semper præsumitur malus. *c. 8. de R. J. in 6.* secus est, si crimen illud solum fuerit præsumptum, siquidem ob id repulsus ad eandem, vel aliam Ecclesiam denuò electus admittitur, modo se purgare possit ab illo crimine præsumpto per *c. 38. in fin. h. t.* Casu posteriore, si constet vitium illud, vel defectum sublatum esse, repulsam passum eligi posse, dubitare non sinit textus in *c. 21. h. t.* Panorm. Gonzal. & alii ad *d. c. 12.* Laym. in *qq. Can. de Pralat. elect. c. 6. q. 61.*

Reliquas dotes & qualitates, quæ in eligendo desiderantur, facillè colliges ex iis, quæ diximus *Tit. Præced. §. 5.* & quæ infra dicemus in *Tit. XI. §. 4.* & in *Tit. XIV. per tot.*

Cæterum ex ipsis eligibilibus sub gravi reatu eligendus est non tantum dignus, sed dignior; ita enim SS. Can. in *c. 5. dist. 61. in c. 19. dist. 63. in c. 45. causâ 1. q. 1. in c. 15. causâ 8. q. 1.* ita Trid. *sess. 6. de Reform. c. 1.* & *sess. 24. de Reform. c. 1.* ita post alios D. Th.

Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & ipsa iustitia distributiva evincunt, ut taceam, quod ex more multarum Ecclesiarum Capitulares jurato promittant, se digniorem electuros. Unde patet, vix defendendam esse eorum opinionem, qui cum Viviano *in c. 21. h. t.* assertum ajunt, salvâ conscientia eligi posse dignum, omisso digniore.

- 49 Ut ut autem dignior eligendus sit, de digno tamen facta electio valet in utroque foro, tam interno, quam externo, & consequenter qui præterito notabiliter digniore ad prælaturam electus est, tutâ conscientia eam acceptare, & retinere potest. *c. 19. §. illius & ibi Gloss. h. t. Covarruv. ad Reg. peccatum p. 2. f. 7. n. 3.* Ratio est: tum quia electus non debet se reputare meliorem aliis, hoc enim esset superbum & præsumptuosum; tum quia aliàs certè omnes electiones versarentur in discrimine, & infinitis litibus locus foret, si ea sola de causa everti possent, quod dignior non sit electus.
- 50 At quis hic dignior censebitur? eum dixerim, qui perspectis omnibus qualitibus ad Ecclesiam gubernandam, vel munus aliquod cæteris habilior est, non autem, qui sanctior & doctior, ut declarat D. Th. *in 2. 2. q. 18 f. a. 3. & quodlib. 6. art. 9.* Hinc teste Azor. *d. p. 2. l. 6. c. 15. q. 3.* sola quandoque stirpis nobilitas, & potentia constituit aliquem digniorem, ita ut nobilior, vel potentior præferri possit ignobiliori, etsi doctiori & sanctiori, præsertim in locis, ubi Ecclesia protectore indiget, qui eam ab hæreticis, schismaticis, aliisque Christiani nominis hostibus tueatur: tunc namque Ecclesiæ utilior est potentia, quam doctrina. Imò si nobilis & potens sit æquè doctus, & bonus, eò ipsò dignior habetur in Ecclesiis sæcularibus: in Ecclesiis sæcularibus inquam: quia in Regularibus, seu Monasteriis, Benedictinis saltem, cum non sit præponendus ingenuus ex servitio convertenti, ut ait SS. P. Benedictus *c. 2. Reg. nec*

nobilis ignobili præponi debet, nisi alia rationabilis causa existat, prout *ibidem* dicitur.

§. V.

Forma stat in processu electionis, qui tres partes continet. *Prima* versatur circa ea, quæ electionem præcedunt: *Secunda* circa ea, quæ in ipsa electione contingunt: *Tertia* circa ea, quæ electionem sequuntur.

*

Quæ electionem præcedunt, ita se habent.

I. Priusquam perveniatur ad electionem, oportet prælaturam vacare per mortem, amotionem, translationem, vel resignationem prioris Prælati. Quod adeò verum est, ut licet desperetur de reconvalescentia Prælati ægrotantis, de futura tamen electione definitoriè aliquid tractare, & pro ea aliquod tempus præfigere, aut absentes in hunc finem convocare, Collegium minimè possit. *c. 36. h. t. Quin imò*

II. Si Ecclesiam per obitum vacare contigerit, quamvis Capitularibus protinus competat potestas eligendi *c. 3. causâ 8. q. 1.* non tamen convenit, ut ante defuncti Prælati sepulturam, & tertium depositionis diem ad alterius electionem procedatur, nisi urgeat necessitas, vel consuetudine aliud obtentum sit. Text. & Glossa *in c. nullus 7. dist. 79. & ind. c. 36. h. t.*

III. Post diem tertium depositionis in Ecclesiis cathedralibus à Decano, aut seniore convocatur Capitulum, in quo à præsentibus assignatur dies & locus ad futuram electionem. arg. *c. si forte 9. dist. 69.* ac per civitatem, & diocesim preces publicæ, ac private indicuntur, pro bono pastore à DEO impetrando. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 1.* In regularibus verò Ecclesiis ab Ordinariis loci cum consensu Principis terræ terminus præfigi solet, sicut quotidie experimur.

H 3

IV.

- 34 IV. Constituta dies & locus per literas, vel proprium nuntium, nec non per publicum proclama, aut cridam valvis Ecclesiæ & curiæ capitularis affixam absentibus notificatur, & qui de jure vocandi sunt, ad electionem vocantur adjunctâ ex more clausulâ: si tali die aliqui non adfuerint, præsentés nihilominus processuros, non obstante eorum absentia, ipsis non expectatis, nec ulterius vocatis, etsi fortè terminus electionis ex certa causâ prorogaretur. Et hæc clausula valde utilis est: licet enim in hoc casu una citatio sufficiat, arg. *c. si quis 12. dist. 18. c. consuluit 24. de Offic. delegati. & ibi Hostiens.* tutius tamen est, ejusmodi cautelam, & clausulam attexere.
- 35 V. Ipsa die electionis Electores publico campanæ sono convocati, antequam electionis locum ingrediantur, debent audire Missam de S. Spiritu, & sub ea omnes sacri Synaxi refici, post eam verò clara voce recitare Antiphonam: *Veni S. Spiritus.* Ita statuit Concilium Basil. *Sess. 12. de Elect. & confirm. Episc. & Pralat.* idque passim & meritò receptum est: à DEL namque invocatione rerum omnium capienda sunt primordia. *c. in nomine 1. dist. 23. l. 2. s. nos itaque C. de V. l. E.* Quod si tamen de facto hæc sacrificii oblatio, sacra communio, & Antiphona omittantur, ex communi Canonistarum sententia propterea electio non vitatur, nisi fortè aliter in aliqua Ecclesia seculari, vel regulari caveatur cum clausula irritationis. *Conzal. in c. 14. h. t. n. 9.*
- 36 VI. Sacro finito per plebanum, vel alium quendam Sacerdotem è cancellis, vel per publicum notarium ante foras Ecclesiæ, seu capituli, aut loci, ubi electio celebratur, reprodu-
citur proclama, & denuò omnes, quotquot volunt, possunt, & tenentur mox futuræ electioni interesse, maximè verò absentes interpellantur.

VII. Electoribus in loco ad electionem de-

putato congregatis refertur reproductionem ritè factam esse, simulque per attestaciones, instrumenta publica, vel testes docetur, quòd absentes, qui vocari debuerunt, & potuerunt, legitime citati, & vocati fuerint; eaque relatione percepta, ut aliorum absentia non obstante præsentés ad electionem procedere possint, per Superioris Commissarium, si quis electioni, ut subinde fieri solet, interfit, vel per Præsidentem scrutinii, absentium contumaciâ per unum nomine totius Capituli acculatâ, in contumaciâ absentium decernitur.

Sed hic enascitur *questio*: an is, qui postquam in contumaciâ absentium decretum fuit, supervenit, adhuc admitti debeat? Et cum in S. Pontificis electione tardè veniens admittatur. *c. 3. & hac sacro in sin. h. t. in 6.* haud crediderim, ab electione inferioris cujusdam Prælati tardius occurrentem repelli posse; modo res adhuc sit integra, & electio necdum celebrata fuerit, nam si aliquis post electionem veniret, amplius audiendus non esset per *d. c. 3.*

VIII. Aliquis nomine totius Capituli protestatur, nolle se quenquam ad electionem admittere, aut ejus suffragium valere, qui de jure ad eligendum est inhabilis; quæ protestatio efficit, ut tali modo protestantes cum omnibus tuto possint eligere per *c. 50. h. t.* Quod tunc procedit, si inhabiles, vel propter scandalum, vel propter potentiam eorundem expelli nequeant; secus est, si expelli possint. *Pa normit. in d. c. 50. n. 13.*

IX. Si quis adsit potestate præditus, ut Legatus, vel Nuntius Apost. absolvit omnes Capitulares ab excommunicatione, & aliis censuris in ordine ad effectum electionis Canonice.

X. Tandem tractatus interdum præmittitur, in quo aliqua personæ palam nominantur præ reliquis idoneæ ad Prælaturam, item capitulariter deliberatur, quam eligendi formam & modum eligentes observare velint.

60 Ad ea, quæ in ipsa electione contingunt, pertinent modus eligendi, qui triplex: nempe per *scrutinium*: per *compromissum*: & per *inspirationem*, vel *quasi*. Alio modo facta electio non valet, & eligentes contrafacientes eligendi potestate pro ea vice privandi sunt *c. quia propter 42. h. t.*

61 Per *Scrutinium* fieri dicitur electio, cum presentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, assumuntur tres de collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, eumque denuntient, in quem pars numero major & sanior convenit. Text. *in d. c. quia propter 42.* qui uno quasi fasciculo complectitur, quæ ad scrutinium pertinent.

62 I. Igitur oportet Eligentes in Ecclesia, Capitulo, Choro, sacristia, vel alio conclavi publico & honesto esse collegialiter, seu capitulariter congregatos: electio enim in latibulis, & locis clandestinis celebrata reprobatur *in d. c. quia propter in fin.* neque sufficit consensus singulariter præstitus, puta, si quilibet eligentium in suis ædibus suffragium daret. *c. 55. h. t.* Certus autem locus non est de substantia electionis per *c. 14. & 28. h. t.* Fagn. *in c. c. quia propter n. 69.* In loco tamen interdicto fieri non debet. *c. 1. de Postul. Pralat. præcipuè Rom. Pontificis c. 3. §. porrò h. t. in 6.*

63 II. Tres Scrutatores fide digni de collegio assumendi sunt: nec pauciores, vel plures: nec alii, qui non sint de collegio; idque substantiale esse, cum communi docet Fagn. *l. cit. n. 43. & seqq.* contra Vincent. Trancred. & Innocent. Quod literæ *d. c. quia propter.* consonat, quæ dicit: *assumantur tres de collegio: subjunctâ clausulâ: aliter electio facta non valet.* A qua proinde recedendum non erit, præsertim cum in dubio semper, quod tutius est, sequendum sit. *l. 10. in fine ff. de Rebus dubiis. l. 192.*

ff. de R. l. c. 12. & 18. de Homicid. In quibusdam tamen Ecclesiis Germaniæ præsertim regularibus consuetudinem invaluisse, ut Capitulum communi consensu alios viros idoneos, & plures, vel pauciores ad scrutinium faciendum adhibere possit; testis est P. Engel *h. t. n. 34.* & alii.

III. Instita debet ipsum scrutinium, seu ex-64 quisitio suffragiorum; quæ his requisitis constat

Primum est, ut ante coeptum scrutinium, Scrutatores præstito juramento, quod fideliter agere, & vota secreta servare velint, ab Electoribus juramentum recipiant, aut singulos adjurent de digniore eligendo, & electione sine fraude celebranda. Quod usu quidem practico firmatum, sed nullo jure decisum reperies. Vid. Laym. *in qq. Can. de Pralat. elect. q. 72. & 73.*

Secundum, ut Scrutatores, si sint de colle-65 gio, omnium primò à se invicem vota exquirant, videl. duo à tertio; & successivè ab aliis secundum prærogativam, ac dignitatis gradum. Ratio est: ne Scrutatores aliorum votorum conscii sua ex illis vota instruere, & interdum pro arbitrato alicujus electionem ratam reddere, vel infirmare possint. Panorm. *in c. quia propter 42. n. 9. h. t.*

Quid verò, si aliqui è Capitularibus in civi-66 tate, vel in claustrò essent infirmi, & procuratorem nollent, vel non possent deputare, an & quomodo tunc eorum vota exquirenda sint? Tholosanus *de Elect. c. 16. n. 7.* censet, quòd Scrutatores scrutatis eorum votis, qui præsentès sunt in loco, infirmos accedere, & ab ipsis quoque vota recipere teneantur, nullòque actu extraneo interposito reversi ad locum capitularem cum cæteris publicare debeant. Et ita in facti contingentia hic Salisb. observari vidim.

Tertium requisitum est, ut vota singulorum 67 secretè & sigillatim exquirantur, hoc est, non in communi, sed seorsim ab aliis Capitularibus, & unus post alium; idque ob eam ratio-

rationem, ut quisque liberius votum suum possit exprimere, exemplò testium, qui propterea secretò & seorsim ab aliis examinandi sunt. *c. 52. de Testib. Panormit. ubi supra. n. 14. & 15.*

68. *Quartum* est, ut electores diligenter examinentur, quam personam tanquam maximè idoneam, & qua ratione ac zelò eligant, ut inde liceat collationem zeli ad zelum, & meriti ad meritum instituire, atque appareat, quæ vota sint saniora. Et hoc aliter fieri nequit, nisi vota oretenus dentur, & tam nomina, quam personæ eligentium Præsidi & Scrutatoribus innotescant. Fagn. *in c. quia propter h. t. n. 49.* Verùm hæc scrutandi forma non ubique servatur, sed passim receptum est, ut eligentes vota scripta in urnam vel in calicem ante scrutatores positum conjiciant, adè ut ipsos quoque Scrutatores lateat, cui singuli sua vota dederint. Layman. *d. q. 73.* Quin imò, cum Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 6.* districtè præcipiat, ut electiones Regularium ita fiant per vota secreta, ut singulorum eligentium nomina non publicentur, ideò sunt, qui cum Lud. Miranda *in Manuali Pralat. Regul. tom. 2. q. 23. art. 15. Concl. 2.* putent, priorem modum, viva scilicet voce eligendi, quoad Religiosos sublatum, & semper posteriori utendum esse; de quo tamen non immeritò dubitaveris, cum Trid. *d. sess. 25. c. 7.* subjungat, & decernat, ut præsidens electioni Abbatissarum vota singularum audiat, & recipiat.

69. *Quintum*, ut vota electorum à Scrutatoribus, Notario, vel Testibus in scriptis redigantur per *d. c. quia propter. ibi: in scriptis redacta. Pirrhing h. t. n. 67.*

IV. Exquisitis, & debitè receptis singulorum suffragiis, ea mox, unòque contextu in communi publicanda sunt; alioquin non solum is, qui se electum putat, verùm etiam quisvis alius de Capitulo apud eum, ad quem jus

confirmandi spectat, agere potest, ut publicentur, omni obstaculo appellationis remotò per *d. c. quia propter 42. c. publicato 58. & ibi Gloss. in V. compellantur. h. t. Rodriq. tom. 2. Regul. qq. q. 51. a. 14.* Vota autem in communi publicari dicuntur, quando ab uno Scrutatore, vel cui specialiter potestas data est, integer eorum numerus publicè Congregationi denuntiatur, non explicando, quot ex ipsis in unam, vel aliam personam consenserint, sed tantùm proferendo numerum personarum, quæ votum tulerunt, v. g. dicendo: *vota, quæ à Dominis Capitularibus exquisivimus, sunt universim 20. 30. & c.* Suarez apud P. Wagnereck *in sape d. c. quia propter, ad V. mox publicent.* Quamvis in nonnullis locis exprimi soleat, in quas personas, & quot in singulas vota directa sint.

Effectus hujus publicationis is est, quòd electores post illam censeantur perfuncti officio suo, ideoque votum variare amplius non possint. *d. c. 58. h. t.* Nisi facta collatione vota ita dispersa reperiantur, ut nemo ex electis absolutè majora habeat; tum enim, cum nulli sit acquisitum jus ad prælaturam, & in ipso effectu scrutinium fuerit nullum, necessariò vel ad novum scrutinium redeundum est, vel in aliquos communi consensu compromittendum. Quòd verò P. Engel *h. t. n. 40. P. Pirrhing n. 176.* & alii statuunt, in tali calu Electores mutatà sententià posse accedere ad numerum ejus, qui suffragia plura, sed non sufficientia nactus est, quæ electio dicitur per *accessum*; id quidem in electione S. Pontificis juxta *c. 6. ubi Panorm. n. 8. h. t.* ac Monialium, seu Abbatissæ juxta *c. 43. §. sanè. Eod. in 6.* locum habet, & in aliis quoque theoreticè defendi potest, in praxi tamen non suaferim, præsertim si electio à Sede Apostolica confirmanda sit, cum constet à Curia Romana electionem per *accessum* frequenter non admitti.

71. V. Post scrutinium publicatum sequitur collatio, scilicet numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum. Collatio numeri ad numerum nempe eligentium facienda est, ut inde appareat, an & quis à majore parte Capituli electus sit. Ubi de jure non sufficit, habere majora vota comparatione minoris partis, sed requiruntur majora respectu totius Capituli, puta, ut ex 30. v. g. Electoribus ad minus 16. stent pro electo; alioquin rata non erit electio. c. 48. c. 50. c. 55. h. t. Zeli ad zelum collatio fieri debet, id est, debet examinari, quò zelò, & quibus ex motivis Capitulares hunc potius, quam alium nominarint, ut constet quis à saniore Capituli parte sit electus: etenim, ut electio vim habeat, exigitur copulativè, ut & major, & sanior pars presentis & legitimè congregati collegii in eundem consenserit. c. 57. & ibi Panorm. n. 13. h. t. Tandem collatio metiti ad meritum, quæ ipsum electum respicit, instituitur, necesse est, ut elucescat, an idoneus sit, vel uter à duobus electis dignior, ac magis sit idoneus, d. cap. 57. h. t. Tholosan. d. c. 16. n. 15.

72. Verùm sunt casus aliqui, in quibus collatione zeli ad zelum, & meriti ad meritum opus non est, sed duntaxat numeri ad numerum; veluti primò in electione S. Pontificis, siquidem in c. licet. 6. h. t. disertè decernitur: *ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium electus fuerit, & receptus.* Secundo in electione Abbatissarum, ut ad concordiam faciliùs deveniatur, quod institutà collatione zeli ad zelum, & meriti ad meritum ob sexum ad querimonias proclivem admodum difficile foret c. 43. in fine h. t. in 6. Immo tertio etiam in virorum quibusdam Ecclesiis præcipuè Ordinum Regularium non alia collatio fit, quam numeri ad numerum, cum ob perspectam probi-

tatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non liceat, eum, qui à majore parte electus est, verè dignum esse. Etsi tales eligendi formæ, in quibus non omnes conditiones in sæpe cit. cap. quia propter. 42. h. t. præscriptæ servantur, plerumque Apostol. privilegiis munitæ sint, ut tradit Laym. de Pralat. elect. q. 76. per Clem. 1. §. demùm. de V. S. Quarto quoties duæ partes Eligentium (eorum videlicet, qui adesse poterant, debebant, & volebant) in unum consentiunt, non requiri collationem zeli ad zelum, ac meriti ad meritum, convincitur ex c. 9. h. t. in 6. ubi dicitur, quòd contra electum à duplo majori parte, vel contra ejus Electores nil à reliqua parte possit opponi quod votum extenuet, licet opponi possit, quod votum annullat. Vid. Gloss. in d. c. 9. in V. si quando.

VI. Si facta collatione appareat, vel omnes, vel majoram, & sanioreni partem in unum, eumque dignum convenisse, confestim, nulloque actu extraneo interveniente proceditur ad capitularem, seu communem electionem, hoc est, à Præsidente, aut qui primam vocem habet, vel ab alio ad hoc deputato, palam per verba numeri singularis vice omnium, accepta priùs ab iisdem facultate, nomen & persona electi Collegio publicatur simili modo: *Ego N. meo, & eligentium mibi, consentientium nomine, invocat à gratià S. Spiritus, in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesia eligo, & electum coram vobis pronuntio N. in nomine Patris, &c.* Text. & DD. in s. 21. h. t. in 6. & in c. 4. de Sent. & Re judicat. Tametsi verò sufficiat, quòd hæc publicatio in Capitulo coram Capitularibus fiat, & electio populo non occultetur, tutum tamen est, teste Panorm. in c. quia propter. n. 16. h. t. & in pluribus Ecclesiis consuetum, ut etiam populo per unum de Capitulo, vel per extraneum solenniter denuntiatur.

VII. Denique, ut per scrutinium ritè cese. 74

I

bre.

bretrur electio, necessariò de die fieri debet, adeò ut si de die coepta in vesperum protrahatur, & cum solis luce absolvi nequeat, proximè sequenti die peragenda sit, extracatum necessitatis. Quod addo: quia cum necessitas non subiaceat legi, per *c. 2. de Observ. jejun.* idèò urgente gravi causà, ut si instet ultima dies mensis tertii, ideoque peritura sit potestas eligendi, & ad superiorem devolvenda; vel immineat periculum intrusionis laicæ potestatis, etiam de nocte finiri & celebrari potest electio, adhibitis tamen tribus ad minimum luminaribus, ne clandestina dici possit, & fraus aut error contingat in dandis vel conscribendis suffragiis. Layman. *de Pralat. elect. q. 34. Barb. F. E. U. l. I. c. 19. n. 167. & seqq.*

75 Per compromissum fit electio, cum eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium (Capitularium) Ecclesia viduata provideant de Pastore. Textus in *d. c. quia propter. 42. h. t.* Circa quem

Noto I. non subsistere compromissum nisi fiat unanimi, & expresso consensu omnium, qui jus eligendi habent; eò quòd nemo invitus jure, & voce suà sit privandus: & quòd omnes tangit, debeat ab omnibus approbari per jura vulgata; quibus consentit recitatus textus: ibi: *qui vice omnium, & c. Zoël. h. t. n. 74.*

76 Noto II. In solos Clericos, aut Religiosos compromitti posse: hujusmodi enim actus spiritualis eligendi in Laicos transferri nequit arg *c. 51. & 56. h. t. c. 2. de Judiciis.* In extraneos tamen, id est, in eos, qui non sunt de corpore collegii, & non tantum in plures, sed etiam in unum v. g. Episcopum compromissum ritè fieri, apertè probatur ex *c. 8. & 21. y. post hac h. t.* Neque cum Nazone dixeris modò citata jura fuisse correctà per *d. c. quia propter in v. aliquibus viris.* quòd cum sit pluralis numeri, duorum saltem concursum requirit. Nam ne jura corrigantur, numerum

pluralem in singularem resolvere oportet arg. *c. ut privilegia. 24. circa fin. ubi Panorm. de Privilegiis.*

Noto III. compromissum hoc ad electionem dupliciter fieri posse: nimirum simpliciter seu absolutè, ità ut compromissarii possint eligere quemcunque idoneum, sive sit, sive non sit de gremio vacantis Ecclesiæ, ut in *c. 33. & 52. h. t.* Vel limitatè, seu cum conditione & restrictione: v. g. ut eligatur unus à Capitularibus, aut qui non sit ex compromissariis; quas limitationes ponit Laym. *de Pralat. elect. q. 85.* vel ut is eligi debeat, in quem scrutatis omnium votis major & sanior pars Capituli consenserit; qui modus dicitur forma compromissi limitati, seu determinati, & partim ex compromisso, partim ex scrutinio constat. *c. cum dilectus. 32. h. t. c. cum expediat. 29. Eod. in 6.* Sed

Dubitat I. an compromissariis, quibus simpliciter potestas eligendi data est, etiam potestas postulandi data censeatur? Communis atque vera sententia affirmat: tum quia recepta apud DD. regula est, quòd qui potest eligere, etiam possit postulare; tum quia in *c. 30. h. t.* traditur, quòd postulatio Episcopi facta à tribus ex quinque compromissariis approbata fuerit. Quibus accedit ratio quòd sub electione etiam postulatio intelligatur, ut diximus *n. 1. h. t.* & satis apparet ex publicis cridis, per quas absentes citantur: semper enim de electione, nunquam verò de postulatione fit mentio, licèt frequenter postulatio subsequatur. Ergò &c.

Dubitat II. possintne Compromissarii aliquem ex se ipsis eligere, si id in compromisso expressè concessum non sit? Negat Gloss. in *c. cum in jure. 33. h. t.* Verum mihi potius arridet sententia affirmativa: quia nemini officium suum debet esse damnosum. *c. cum non deceat. 30. h. t. in 6.* esset autem damnosum compromissariis, & sæpè quoque ipsi

ipſi Eccleſiæ, ſi jure electionis paſſivæ per compromiſſum privarentur. Et quidem omnino putaverim, compromiſſarium ab aliis electum conſentiendo ſuffragiorum majorem numerum complere, & ita electionem de ſe ipſo corroborare poſſe, eò quòd compromiſſarius tali caſu ſe principaliter non eligat, ſed acceſſoriè tantum coëligat, adeoque electio ortum non habeat ab electo, ſed ab aliis. Facit Textus *in d. c. cùm in jure. 33. h. t.* Ubi tamen Panorm. *n. 6.* & Vivianus *n. 4.* in tantum reſtringit, ſi compromiſſarii, prout poſſunt & ſolent, palam eligant, ut quiſque audiat & ſciat votum alterius; ſecus, ſi ſecretò, aut per ſcrutinium privatum procedant, tunc enim cùm quis neſciat, ſe ab aliis electum eſſe, donec ſuffragia publicata ſint, ſine ambitionis nota aliis conſentire, atque ita electionem de ſe perficere haud poſſet.

80 *Dubitat* III. an compromiſſum ſemel communi conſenſu factum revocari queat? Quod nego per text. *in c. in cauſis. 30. h. t.* Niſi vel I. compromiſſariis certum tempus ad finiendam electionem præfixum fuerit; tunc enim eò tranſactò, ſi non fuerit electio peracta, per ſe expirat compromiſſum. Vel II. niſi alia conditio appoſita defecerit, v. g. ſi conſilium aliorum, quod requiri debuit, non ſit requiſitum; quando enim mandatario, adeoque etiam compromiſſario forma ſeu conditio præſcribitur, cenſetur ſubſtantialis, quâ non obſervatâ actus corruat. Gloſſ. *in Clem. 1. V. cohibentes. de Jure patronatûs.* Vel III. niſi revocatio fiat re adhuc integra, hoc eſt, antequàm in negotio compromiſſi ad ſubſtantialia proceſſum ſit; quia compromiſſum æquiparatur mandato, & conſequenter ſicut mandatum procuratorium ante litis conteſtationem, etſi citationes & exceptiones fori declinatoriæ anteeſſerint, revocare licet, non autem poſt litis conteſtationem per *l. 16. ff. de Procuratorib.* ita etiam compromiſſum revo-

care licebit, licet v. g. jam miſſa de Spiritu S. aliæque ſolemnitates præparatoriæ electionis præmiſſæ ſint, modò compromiſſarii nondum proceſſerint ad ſubſtantialia electionis, incipiendo ſcil. de facto tractare, aut nominare aliquem ad Prælaturam. Vid. Pirrhing *h. t. num. 220. & ſeqq.*

Per *inſpirationem* fit electio, cùm electo- 81 res nulla præcedente conſultatione, quaſi Divino impulſu excitati, ſimul omnes in unum repente conſentiunt, ac ſimul unum nominant, ac eligunt. *d. c. quia propter 42. v. niſi h. t.* Refert autem, an manifeſtè per revelationem, aut miraculum conſtet, vel ſolùm ratione unionis & concordiæ veriſimiliter præſumatur, Deum talis electionis authorem eſſe? Si priùs, electio tanquàm per *veram inſpirationem* facta, legi aut formæ *d. c. quia propter.* non ſubjacet, nec alia confirmatione indiget. arg. *c. 8. ſ. econtrà. diſt. 61.* Si poſterius, electio per *quaſi inſpirationem* facta dicitur, & confirmationem ſuperioris requirit, cùm non ſit ſimpliciter à Deo, ſed quaſi, id eſt, creditur eſſe à Deo. De his plura Barb. *ad c. quia propter. n. 31.* Miranda *in Manuali Prælat. tom. 2. q. 23. a. 41.* & alii.

Et hæc de iis, quæ præcedunt, & comitantur electionem: Quæ factam ſequuntur, præcipue ſunt electionis *preſentatio; confirmatio, & conſecratio* aut *benedictio.*

Preſentatio electionis neceſſariò intra octi- 82 duum, vel quò citiùs conſideratâ loci diſtantiâ poteſt, electo fieri, & ab eodem conſenſus requiri debet; alioquin Electores quo ad ſe à proceſſûs proſecutione totaliter excluduntur, & ab omnibus beneficiis ſuis, quæ in ipſa Eccleſia, de cujus electione agitur, obtinent, totò trienniò ex tunc inchoando ſuſpenſi ſunt. Text. *in c. 6. & 16. ſ. caterùm. h. t. in 6.* Ubi

Quæſt. I. quo modo electioni aſſenſum 83

I 2

præ-

præstare oporteat? *u.* cum distinctione: num ante, vel post electionem consensus requiratur? Si ante electionem, ad vitandam notam ambitionis non licet saltem directè consentire, sed debet responderi juxta aliquos: *nolo, quòd me eligatis, & ita rogo*; vel secundum alios: *non intendo Dei vocationi resistere*; vel *optarem dignus fieri, cui tantum honoris conferatur*; vel: *ago gratias, quòd me talem iudicetis, cui dignitas hæc conveniat*, aut verbis similibus, quibus indirectè suam voluntatem declarat. Si autem post electionem factam consensus petatur, etsi deceat, ut electus non protinus consentiat, ne videatur ambitiosus, non tamen damnandus est, licet mox consentiat, maximè si vereatur, ne perniciosus se ingerat; quo casu dicere poterit: *charitas me consentire cogit*. Equidem Glossa *in c. cum post petitionem 46. h. t.* ait, si electus dissentiat, quòd non sit eligendus; at intelligo in casu, quo patet, eum nolle acceptare electionem, vel dignitatem, secus, si pro honestate duntaxat urbanis verbis (quæ non censentur inducere renuntiationem) dicat, se nolle consentire. Quinimo quamvis electus dissentierit revera ab initio, & serìò renuerit electioni de se factæ, mutatà voluntate potest eam acceptare, quamdiu Electores in priore voluntate manent.

84 *Quæres II.* intra quod tempus electus teneatur consentire electioni præsentatæ? Indubitati juris est, electum intra mensem, à die præsentationis sibi factæ numerandum, consensum suum exprimere debere, aliàs eò ipso omni jure per electionem acquisito privatus est *d. c. 6. h. t. in 6.* Ubi tamen excipitur: nisi conditio personæ electæ excuset, quemadmodum excusat Religiosum, ut qui sine obtentâ priùs licentiâ Superioris, eaque speciali (quia generalis non sufficit juxta *Clem. 8. h. t.*) electioni de se factæ extra cognobium suum consentire nequit. *c. 27. h. t. in 6.* Unde *in*

extra. 2. h. t. infer. Comm. constitutum est; ut Religiosus electus intra tempus pro superioris præsentia, vel absentia moderandum vel per se, vel per alium licentiam consentiendi impetret, eaque impetratâ ex eo tempore adhuc mensem habeat ad deliberandum, vel litine electionem acceptare, vel non? siquidem tempus impedito non currit per *c. 5. de Concess. præbend.*

Computantur autem pro mense tot dies, quot habet mensis ille, in quo fuit electio præsentata, & si jam dies aliqui de mense sint elapsi, suppletur de diebus mensis subsequenti: v. g. si in Majo præsentetur electio, pro mense 31. dies; si verò in Februario, 28. tantum electo ad consentiendum conceduntur arg. *c. 2. de Supplenda negl. Pralat.* Quod idem dicendum videtur de tribus mensibus ad eligendum, & de aliis tribus ad confirmationem petendam electo de jure concessis, ut notat Gloss. *in d. c. 6. V. mensem h. t. in 6.*

Porro acceptatâ electione, si electus præsens est, processionaliter sub pulsu campanarum in Ecclesiam deduci, & ibi post *Te Deum laudamus* solenniter decantatum in Episcopali cathedra inthronizari solet. In quibusdam etiam locis è suggestu populo adstanti electio publicatur. Greg. Tholos. *de Elect. c. 16. num. 18.*

Ad confirmationem electionis ritè obtinendam quatuor concurrant, necesse est. 1. enim requiritur, ut petatur intra trimestre à die dati consensus; alioquin justo impedimento cessante electus præsumitur juri ex electione quæsito renuntiâsse, eoque defacto privatus. *d. c. 6. h. t. in 6.* Limitatur: nisi electionis confirmatio immediatè ad Sedem Apostolicam pertineat; quo casu intra mensem à die consensus computandum, electus iter Romam arripere, & ex tunc, ut primum commode potest, consideratâ locorum distantia, jubetur personaliter comparere, aut si ex justa causa sit ini-

impediens, procuratorem de omnibus sufficienter instructum mittere. *c. 16. h. t. in 6.*

87 II. Requiritur, ut confirmatio petatur, & conferatur gradatim, hoc est, à proximo superiore, puta confirmatio Abbatis (nisi exemptus fuerit) ab Episcopo Diocesano arg. *c. 1. de Supplenda negl. Pralat.* Episcopi ab Archiepiscopo per *c. 22. h. t.* Archiepiscopi à Patriarcha. *c. quia. dist. 63.* Patriarcha à Pontifice. *c. scriptum. 40. h. t.* Nisi hujusmodi confirmatio peculiariter Sedi Apostolicæ reservata fuerit; prout constitutum est per Concordata Germaniæ inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem inita, ut Episcoporum Germaniæ, sicut & aliorum Prælatorum eidem Sedi Apostolicæ subjectorum confirmatio immediatè ad Papam per tineat, adeò quidem, ut quamvis aliis Legatus de latere, si in provincia sit, possit non tantùm talium Prælatorum v. g. Abbatum, sed etiam Episcoporum exemptorum electiones confirmare, juxta text. *in c. 36. h. t. in 6.* Germaniæ tamen Episcopi, & Prælati Apostolicæ Sedi subjecti sine speciali mandato à nullo Legato de latere, ne dum ab aliis Legatis, sed à solo Pontifice confirmari debeant, utpote quorum confirmationem Papa per illa specialia concordata reservasse videtur P. Engl. *h. t. num. 50.* ubi monet, hac in restylum, & usum Curie Romanæ consulendum esse.

88 Scrupulò non caret, an Capitulum sede vacante possit Abbatem, vel alium inferiorem Prælatum canonicè electum confirmare? Existimaveris non posse, eò quòd confirmatio sit quodammodo collatio, cum per eam electo conferatur jurisdictio, & potestas administrandi. *c. 15. h. t.* ergò sicut Capitulum sede vacante non potest alia beneficia minora conferre. *cap. 2.* *Ne sede vacante aliq. innov.* ita nec electo per confirmationem potest dignitatem & jurisdictionem v. g. abbatialem unàcum administratione concedere.

Sed communis & in praxi passim recepta sententia affirmat per *c. cum olim. 14. de Majorit. & obed.* ubi S. Pontifex electionem Abbatis pro confirmatione obtinenda jubet præsentari Capitulo, eò quòd Sedes Episcopalis pro tempore vacaret. Quem textum contrariæ sententiæ Authores sine sufficienti fundamento interpretantur, quòd loquatur & procedat de gratia speciali illius diocesis Monachis facta, non de jure. Neque urget argumentum contrarium; siquidem non omne illud, quòd habet speciem collationis Capitulo interdictum est, sed illæ duntaxat collationes prohibentur, quæ sunt alienatio, & non necessaria donatio rei ad Episcopatum spectantis; confirmatio autem est purus actus jurisdictionis, nullo modo donatio, aut libera alienatio; quia etiam ipse Episcopus, si viveret, non ex gratia, vel liberalitate, sed ex necessitate nolens volens electum confirmare deberet. Proinde confirmatio in hoc æquiparetur institutioni, quam propter eandem rationem à Capitulo sede vacante fieri posse, textus est *in c. 1. de Institut. in 6.* Vid. Panorm. *in d. c. cum olim.*

III. Requiritur, ut electi confirmationem præcedat vocatio volentium contradicere, & quidem nominatim facienda, si aliquis coelectus adsit, vel alius contradictor; sin nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigendum est, in quo peremptoriè ad diem definitum citantur, si qui velint, se electioni factæ opponere. Alias hac vocatione neglecta confirmatio est ipso jure irrita. *c. fin. h. t. in 6.* Vallens. §. 7. n. 6.

IV. Requiritur, ut superior, antequam electum confirmet, inquirat imprimis de ejus qualitatibus, præcipuè circa ætatem, morum honestatem, & scientiam. *c. 2. dist. 23. c. 3. 19. & 44. h. t.* Trident. *sess. 22. de Reform. c. 2. sess. 24. de Reform. c. 1.* Deinde de forma & processu electionis, an in ea omnia

observata sint, quo ad modum eligendi, quo ad scrutinium, scrutatores, tempus, &c. quæ constare possunt ex instrumento, seu, ut alii nuncupant, ex decreto electionis, Superiori unâcum humili petitione confirmationis, transmissio; cui, si à Notario publico in electionis actu adhibito ritè confectum, &, ut moris est à singulis Capitularibus manu propriâ subscriptum, communiq; Capituli sigillo munitum sit, plena fides habetur, ut latè docet Panorm. *ad c. 20. h. t. num. 14.* Formulam verò hujus decreti exhibet Bartol. Hegler. *in Directorio pract. ad election. p. 2. cap. 7.*

Tempus, intra quod Superior, cui jus confirmandi competit, electo confirmationem impertiri tenetur, à jure quidem definitum non est. Rebuff. *in praxi Benef. tit. de devol. n. 6.* quia tamen Ecclesiæ interest, ut quàm primùm potest, fiat, cùm electus interea administrare nequeat, idè si confirmatio absque causa legitima diu differatur, potest à Superiore confirmantis peti, ut is terminum, intra quem confirmatio fieri debeat, constituat, quo elapsò ipsemet confirmabit. arg. *c. 13. §. excessus. de Offic. Jud. Ord.*

90 Confirmationem Episcopi sequitur consecratio. Statuit autem Trident. *sess. 23. de Reform. c. 2.* ut Ecclesiis Cathedralibus, seu superioribus, quocunq; nomine, ac titulo præfecti, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses (numeros à die confirmationis) non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati: nisi legitimum adsit impedimentum, aut urgens necessitas ulteriorem prorogationem petat, ut notat Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 30. q. 1.*

91 In Abbatibus & aliis Prælatibus Episcopo inferioribus loco consecrationis est benedictio,

quam si Episcopus tertiò cum humilitate rogatus impendere malitiosè & absque causæ prætextu recuset, tum Abbati interim liberum est, omnia ad suum officium pertinentia, etiam munia Ordinis exercere, donec Episcopus depositâ duritie benedicat. *cap. 1. & ibi Gloss. de Supplenda negl. Pralat.*

§. VI.

Finis Electionis est, ut per eam Ecclesiæ viduatæ provideatur de Capite, Pastore, seu prælato idoneo.

§. VII.

Effectus Electionis tum publicatæ, tum confirmatæ, tum consummatæ insignes & varii se offerunt.

Electio publica effectus primus est, quòd electo jus ad prælaturam tribuat, ità ut eo invito Electores ab electione recedere nequeant, licèt nec dum consenserit. *c. 6. §. electus. h. t. in 6.* Diversum obtinet in postulatione, cùm enim postulatus per eam nec jus ad rem, nec in re acquirat, idè etiam publicato scrutinio variare, & postulationem revocare possunt, saltem quamdiu Superiore pro admissione præsentata non fuit, ut dictum *tit. precedent. num. 11.*

Secundus est, quòd electus prælaturam citra ambitionis notam acceptare, & confirmationem petere, seque contra eos, qui sine legitima causa obstitunt, tueri queat. *d. c. 6. h. t. in 6.*

Tertius, quòd Superior petitam confirmationem, si non adsit justum impedimentum, denegare nequeat, ob jus namque electo ad prælaturam ex electione quæsitum ex justitia debita est. *c. 3. h. t. c. fin. Eod. in 6.*

Quartus, quòd electio in concordia, id est, nullo sese opponente facta electis exemptis, & extra Italiam constitutis ante oblatam confirmationem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, exceptâ alienatione, omnem administrationem conferat, & consequenter, quæ in-

interim ab iis gesta sunt, tanquam valida sustineantur, licet fortè confirmatio postea nõ subsequatur. *c. 44. & ibi Pirthing. n. 300. h. t.* Plerumque tamen isti quoque electi hac facultate uti non solent, sed donec confirmentur, Capitulum, vel œconomus deputatus administrat. *P. Wagnereck. add. c. 44.* Certè alii non exempti, aut exempti, sed non ultramontani, vel in discordia electi, per electionem sine confirmatione nullum omninò administrationem nanciscuntur, & si defacto vel per se, vel per alium, sive in totum, sive in partem, sub quo cunque colore, & prætextu administraverint, eò ipsò privantur jure quæsito ex electione. *c. 9. & 17. h. t. c. 5. Eod. in 6. & impofterum redduntur ineligibiles arg. c. 12. h. t.* Quin imò juxta *extrav. 1. h. t. inter Comm.* ut electi ad Episcopatus, aliàsve prælaturas Sedi Apostolicæ immediatè subiectas, impunè ad commissas sibi Ecclesias accedant, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipiant, non solum desideratur confirmatio, verum etiam, ut ipsas litteras confirmationis obtinuerint, ediderintque ac exhibuerint coram Capitulo. Rectè verò *P. Engl. h. t. num. 51.* contra Passer. advertit, generali hac constitutione extravagante non corrigi *cit. c. 44.* nec comprehendendi Prælatos exemptos valde remotos, & in concordia electos.

In electione Monialium speciale est, quòd electa à majori parte in dissidio, videlicet repugnante parte minore, etiam ante confirmationem suscipere possit administrationem bonorum, dummodò de rebus Monasterii nil penitus alienet, nec aliquam in Monialem recipiat quoquo modo. *c. 43. h. sanè. & si verò. h. t. in 6.*

Quintus effectus est, quòd electus Episcopus ante confirmationem nullo modo pro Episcopo habeatur, nec absolutè Episcopus, sed tantum electus nuncupetur per *c. 33. de Testib. & c. 8. de his, qua fiunt à Prælat.* Hinc

licet S. Pontifex, dum rescribit Episcopis, *fratres*, alios verò filios salutet, dum tamen rescribit Episcopo electo, filium, non fratrem appellat per *c. 9. h. t. juncto c. quàm gravi. 6. de Crimine falsi.* Et Glossa. in *Clement. 1. de Pœnis.* docet, illam clementinam, quæ puniuntur, qui in Episcopos violentas manus iniecerunt, non complecti Episcopos electos.

Ad effectus electionis confirmata spectat. I. quòd electo conferat plenum jus, scilicet jus in re, ita ut ipse sine Superioris consensu amplius renuntiare non possit, ut infra dicetur. II. quòd matrimonium per electionem inchoatum, inter electum & Ecclesiam mediante confirmatione ratum faciat. III. quòd Prælati confirmati tanquam verus Ecclesiæ suæ pastor eorum, quæ jurisdictionis sunt (ut sunt v. g. judicare, punire, absolvere, dispensare, visitare, gratias, privilegia & beneficia conferre, electos confirmare, investire, juramenta & homagia à subditis accipere &c.) atque temporalium plenam potestatem & administrationem acquirat, ut textus est expressus in *c. nõsti. 9. & c. transmissam. 15. h. t.* Notanter dixi: eorum quæ jurisdictionis sunt: quia ea, quæ sunt Ordinis, v. g. Clericos ordinare, degradare, chrisma conficere, confirmare, altaria consecrare, dare solennem benedictionem, &c. non per confirmationem, sed per consecrationem obtinentur. IV. quòd Episcopis electis & confirmatis, etsi non dum consecratis competat privilegium *cap. quia periculosum. 4. de Sentent. excomm. in 6.* quòd nempe generali statuto, vel sententiâ interdicti, vel suspensionis non comprehendantur, nisi eorum fiat expressa mentio. Item illud de eligendo confessario juxta *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* & de usu altaris viatici juxta *cap. ult. de Privil. in 6.* atque alia his similia.

Effectus electionis consecratione consummata est imprimis, quòd matrimonium inter
Epi-

Episcopum electum, & Ecclesiam perficiat, & consummet. per *c. fin. de Translat. Episc.* Deinde, quod tribuat plenitudinem Episcopalis officii, ita ut Episcopus consecratus non tantum ea, quæ jurisdictionis sunt, sed & ea, quæ sunt Ordinis, hoc est, quæ jure Divino & Ecclesiastico Ordini Episcopali annectuntur, exercere possit. *d. c. transmissam. 15. h. t.* Excipitur Archi-Episcopus, qui etsi consecratus, attamen ante susceptum pallium se Archi-Episcopum nuncupare nequit, nec exercere ea, quæ ei ut Archi-Episcopo competunt, sive Ordinis sint, sive jurisdictionis, puta majoris, ut concilium provinciale indicare, aut provinciam visitare &c. *c. quod sicut 28. §. super eo. 7. præterea. h. t.*

Planè sicut Episcopo per confirmationem datur quidem potestas exercendi ea, quæ sunt jurisdictionis, non quæ sunt Ordinis, donec consecratus sit; ita etiam Abbati electo per confirmationem confertur quidem potestas jurisdictionis, non autem Ordinis, sed hæc primùm confertur per benedictionem, ubi usus habet, ut abbates benedicantur. Quod addo: quia ubi id usus non habet, cum ibi confirmatio benedictionis vim & firmamentum contineat, ideo per solam consummationem inibi omnis non tantum jurisdictionis, sed etiam Ordinis potestas Abbati confertur, modò sacerdos ordinatus sit. arg. *c. alienationes. causa 12. q. 2. & ibi Glossa in V. consecrandus. in fine. Pirhing b. t. num. 402.*

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIA.

1. Translationis homonymia. 2. Et definitio.
3. Quò jure prohibeatur translatio Episcoporum?
4. Quis transferat Episcopos? 5. Et alios Prælatos inferiores.
6. Quis, & an etiam inditus transferri possit?

7. Ad translationem requiritur licentia superioris
8. Justa causa, 9. Et gradatio.
10. Effectus translationis. 11. Quando incipiat vacare beneficium translato Episcopi? 12. Aut alterius Beneficiati?
13. Quid requiratur ad translationem Ecclesia de loco ad locum?

§. I.

Translatio, si specificè sumatur, juxta *Rubricam* de solo Episcopo intelligitur; genericè autem accepta etiam in aliis Prælatiis, ac quibusvis Beneficiatis locum habet. *c. 37. causa 7. q. 1. c. 7. de Consuet. c. 5. de Rev. permitt.* Et hoc posteriori sensu.

§. II.

Definitur Translatio, quòd sit personæ Ecclesiasticæ ab una Ecclesia ad aliam auctoritate Superioris ex legitima causa facta transpositio, seu commutatio. Ità DD. communiter.

§. III.

Causa efficiens Translationis duplex est, remota & proxima. Remota est jus permittens & approbans Translationem ex justa causa factam, regulariter enim est prohibita. *c. 19. 34. & passim causa 7. q. 1.*

Controversia est, quanam lege translatio Episcoporum sit prohibita: an Ecclesiasticâ, vel Divinâ? Negotium facessit *c. 2. & 3. h. t.* ubi dicitur, conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam suam non humana, sed Divina potius potestate dissolvi: & fortius esse hoc spirituale vinculum, quàm carnale; at dissolutio matrimonii carnalis, præcipuè consummati, jure Divino est prohibita, *Matth. c. 19.* ergò & dissolutio Matrimonii spiritualis per translationem, ut arguit *Fagn. c. quanto 3. h. t. n. 2.* Nilominus verius videtur, translationem Episcoporum propriè ac strictè loquendo non immediatè ex Divina constitutione, sed Ecclesiastica solum lege seu traditione esse prohibitam: quia Christus nihil determinatè præcepit, aut tradidit de officio Episcoporum perpetuo ac insolubili, sed id Ecclesiæ

fiæ, & suo in terris Vicario disponendum requirit, cum quandoque ad bonum Ecclesiæ universalis regimen necessarium sit sedium mutationes fieri. *c. 35. causâ 7. q. 1.* Et certe non ita facilè sicut passim videmus, permitterentur Episcoporum translationes, si Divino jure forent prohibitæ. Nec refragantur *c. 2. & 3. h. t.* cum enim dicitur conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam non humanâ, sed divinâ potiùs auctoritate dissolvi; id intelligendum est remotè & originaliter, quatenus scilicet summi Pontifices supremam suam potestatem (per quam solam translatio Episcoporum fieri potest, ut dicemus) non ab hominibus, sed ad Deo acceperunt *Matth. 16. Joan. ult.* non verò accipi debet, quasi immediate ex Divina institutione sit insolubile. *Laym. in d. c. 2. n. 9.* Quod ex *d. c. 2.* opponitur, fortiùs esse spirituale vinculum, quàm carnale verum est ratione durationis: quia matrimonium carnale morte solvitur *ad Roman. 7.* spirituale autem non tollitur per mortem ob impressum characterem indelebilem, ita ut Episcopus resuscitatus teneatur redire ad propriam Ecclesiam. *Zoëf. h. t. n. 2.*

Causa efficiens proxima Translationis est Superior Ecclesiasticus, per quem fit translatio. Ut autem scias, per quem fieri possit, & debeat.

4 Dico I. Episcopos, aliòsque Prælatos iis Superiores, puta Archi-Episcopos, Primates, Patriarchas, & Cardinales transferre pertinet ad solum S. Pontificem, *c. 1. 2. & 4. h. t.* ita ut neque Patriarchis, aut Archi-Episcopis, tametsi ad eos confirmatio electi Episcopi spectaret, arg. *d. c. 1. & c. 34. causâ 7. q. 1.* neque Legatis à latere competat illa potestas transferendi, nisi speciale desuper mandatum habeant. *c. 3. & 4. de Officio Legati.* Ratio est, quòd translatio Episcoporum, etiam confirmatorum tantùm, sit una ex causis majoribus, quæ specialiter soli S. Pontifici sunt re-

servata. *Text. & Panorm. in d. c. 1. h. t.* Ratio autem rationis est: quia inter Episcopum & Ecclesiam intercedit verum & perfectum matrimonium spirituale, quod initiatur in Electione, ratificatur in confirmatione: atque confirmatur in Consecratione. *d. c. 4. eod.*

Dico II. Abbates, aliòsque Prælati, & Beneficiati Episcopis inferiores ad alias Ecclesias transferri possunt à proximo suo Superiore, videlicet ab Episcopo, si v. g. Abbas non sit exemptus *c. 37. causâ 7. q. 1. c. 8. causâ 18. q. 2.* si autem exemptus sit, & immediate Sedi Apostolicæ subjectus, transferri debet vel à S. Pontifice, vel ab ejusdem Legato de Latere in provincia existente; quamvis enim Legatus de Latere Episcopos transferre nequeat, secundùm priùs dicta, potest tamen transferre alios Prælatos inferiores etiam exemptos. *c. 36. de Elect. in 6.* Ratio est, quia translationem inferiorum Prælatorum aut Beneficiatorum, ut causam graviorem, Romana Sedes sibi non reservavit, sicut translationem Episcoporum, aliorumque iis superiorum; Ratio autem rationis, & discriminis ea datur, quòd inter illos & inter Ecclesiam non ita propriè matrimonium spirituale contrahi censeatur, licèt in latiori sensu Ecclesiarum sponsi dicantur. *c. 4. causâ 21. q. 2.*

Porrò si Ecclesia, à qua aliquis transfertur, non sit subjecta jurisdictioni ejusdem Superioris, cui subjecta est Ecclesia, ad quam transfertur, tunc requiritur consensus Episcoporum utriusque Ecclesiæ. *s. 4. de Renunt. c. fin. de Cleric. peregr. Pirrhing. h. t. n. 10.*

Connexa questio est: an Capitulum Sede Episcopali vacante Abbatem, vel alium Beneficiatum inferiorem transferre, eique licentiam ad aliam Ecclesiam, vel Diocesim transeundi dare possit? Negativam tenet Glossa in *c. cum olim. de Maj. & Obed.* eò quòd hæc translatio, seu licentiæ concessio sit quasi alienatio & donatio personæ: cum

K

ergo

ergo Capitulum res Ecclesiæ alienare nequeat *cap. 42. causâ 18. q. 2.* multò minùs poterit alienare personam: majoris namque personæ, quàm res aestimantur. *c. 24. causâ 12. q. 1.* Sed affirmativa communis est, à qua neque ego discedo: quia hæc licentiæ concessio est purus actus jurisdictionis; quæ autem jurisdictionis sunt, à Capitulo sede vacante fieri possunt per *c. 3. de Supplenda negl. Prælat. in 6.* Neque alienationem personæ, nisi improprie dixeris: si enim vera esset alienatio, etiam ab Episcopo, vel Abbate fieri non posset sine solennitatibus ad alienationem requisitis, quod tamen liquidò falsum est per *c. si Religiosus. de Elect. in 6.* Accedit diversitatis ratio: nam in locum Abbatis vel alterius Clerici Ecclesiam & beneficium suum deserentis protinùs potest substitui alius, & ordinariè per hoc Diocesis aut Ecclesia non damnificatur; quod non est in alienatione rerum, quæ communiter est perniciofa, nec potest haberi alia similis, quæ priori alienatæ substituatur.

§. IV.

Objectum Translationis est persona, quæ transfertur ab una Ecclesia ad aliam. Transferri autem possunt Cardinales. *c. 3. de Postulat. Archi-Episcopi. c. 4. Eod. Episcopi per Rubr. & text. h. t. Abbates. c. 7. de Consuet. Præpositi per c. 22. de Elect. & denique Beneficiatus quilibet. c. 5. de Rer. permut.*

Dubitari nonnihil potest, an quis etiam invitus transferri queat? Affirmo, si id necessitas, vel communis aliqua Ecclesiæ utilitas exigat. *c. pen. & ult. causâ 9. q. 3.* quia plurimorum in Ecclesia utilitas unius voluntati & commoditati præferenda est *c. 35. causâ 7. q. 1.* Nego, si ejusmodi causa non subsit, per *c. 39. ead. q. 1.* quia jus suum sine culpa vel causa publica nemini est auferendum. *Cæterum licet Barb. f. E. U. lib. 1. cap. 19. n. 33.* existimet, translationem involuntariam

inferioris à solo S. Pontifice, non verò ab Episcopis fieri posse; cum tamen id nullibi reperiatur S. Pontifici reservatum, neque alicui juris fundamento inniti videatur, puto prædictam translationem etiam Episcopis respectu suorum subditorum permissam esse; præsertim quia causam & utilitatem publicam, ex qua fit translatio, non solum S. Pontifex, sed etiam Episcopi in suis subditis promovere possunt, ac debent.

§. V.

Forma Translationis desumitur à requisitis, quæ tria

I. Requiritur consensus, & licentia superioris: propriâ enim auctoritate se ab una Ecclesia ad aliam transferre haud licet, nec impunè est, siquidem, si Episcopus consecratus vel etiam tantum confirmatus id attentet, & propria auctoritate ad alium Episcopatum transeat, utroque sententiâ Judicis privari debet, tum in poenam commissi adulterii spiritualis, quatenus dimissâ priori Ecclesiâ, tanquam uxore legitimâ, ad aliam transit. *c. 11. causâ 7. q. 1.* tum etiam quia præsumitur priorem ex superbia despexisse, & posteriorem avaritiâ vel ambitione ductus concupivisse. *c. 31. d. q. 1. c. 3. & ibi Panorm. n. 5. h. t.* Quodsi Prælati, alique Beneficiati Episcopis inferiores sine Superioris sui indulto ad aliam Ecclesiam suâ relicta migrarent, communionem privandi sunt: donec ad priorem redeant; & si interim in eorum locum alii substituti sint, tam diu vacare debent ab officio & beneficio, quod in priori Ecclesia habebant, quàm diu substituti vivent. *c. 43. d. causâ 7. q. 1.* absolucè tamen & simpliciter priori beneficio non privantur, cum tam grave delictum ex parte ipsorum non censetur, utpote non ita fortiter suis Ecclesiis alligantium; nisi Episcopo regressum impetranti omninò inobedientes forent: tunc enim non tantum possunt & debent ab officio

cio deponi, sed nec aliquando spem restitutionis habere. *c. 24. cit. causâ 7. q. 1.* Specialiter quoque poena privationis statutur in illos, qui mediante permutatione ab uno beneficio ad aliud propriâ auctoritate transeunt. *c. 7. de Rer. permut.* Cujus specialitatis ratio est periculum simoniæ, quæ in beneficiorum permutatione propter spiritualium & temporalium permixtionem facile intervenire potest.

8 II. Ad canonicam Translationem requiritur justa causa, quæ generatim duplex est: utilitas Ecclesiæ, &urgens necessitas. *c. 34. 35. 37. & 39. causâ 7. q. 1.* Causa utilitatis subesse censetur, si quis in Ecclesia, ad quam transfertur, plus profuturus verisimiliter existimetur, vel si translationem suadeat bonum pacis, & concordia, arg. *d. c. 34.* Urgens necessitas tunc subesse creditur, si quis ob hostiles persecutiones, vel aliam similem causam in propria Ecclesia tutò subsistere nequeat; quo casu alteri vacanti præponi solet, donec necessitas cesset: ea autem cessante ad priorem Ecclesiam restituitur, & quasi jure postliminii reverti potest, imò tenetur, nisi dimissionem legitimam impetret. *c. 42. & 44. cit. causâ 7. q. 1.*

9 III. Requiritur, ut translatio fiat à minore ad majorem dignitatem: quia exinde facilius speratur major Ecclesiæ utilitas, quam si translatio fieret à majori dignitate ad minorem, v. g. ab Archi-Episcopali ad Episcopalem, quod non facile conceditur. *c. 1. h. t.* Hinc si quis licentiam impetret transeundi ad majorem dignitatem, non poterit vi illius transire ad parem vel minorem: quia tale indultum, utpote contra jus, est strictæ interpretationis, ac propterea ad literam servandum. Text. & Panorm. *in c. fin. h. t.*

§. VI.

Finis Translationis est, ut Ecclesiæ necessitati, & utilitati personis dignis rectè succurratur.

§. VII.

Effectus Translationes est I. quòd per illam spirituale matrimonium inter Episcopum transferendum, & priorem Ecclesiam contractum dissolvatur, isque ab ea omninò liberetur. *cap. 4. §. fin. de Postulat. c. 2. h. t.* Ratio est, ne alioquin translatus existat sponsus duarum Ecclesiarum.

II. Quòd translatus in posteriori Ecclesia eandem potestatem consequatur, perinde, ac si per electionem, vel alium modum legitimum eam obtinuisset. *d. c. 2.*

III. Quòd per translationem incipiat vacare prior dignitas, aut beneficium translati, & is omne jus amittat in Ecclesia, à qua discedit. *c. 3. causâ 21. q. 2.* Verùm hic

Quæritur, quando & an etiam ante adeptam possessionem alterius prior dignitas, vel beneficium vacet?

R. I. Episcopi translati prior Episcopatus vacat ipso jure, quam primum S. Pontifex translationem ratificat, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, & ante acquisitam possessionem posterioris Ecclesiæ, ad quam est translatus, ita ut abstinere teneatur à prioris jurisdictionis exercitio (utpote transeunte in Capitulum tanquam sede vacante) mox à tempore, quò in translationis notitiam pervenit etiam ex testimonio v. g. Secretarii Collegii Cardinalium P. Engl. *h. t. n. 5.* Ratio est: quia ex tunc Episcopus jam est spirituale matrimonio copulatus posteriori Ecclesiæ, ac in illa plenum jus acquirit; ne ergo spirituale adulterium committat, & sponsus existat duarum Ecclesiarum, à priori omninò solutus esse debet, nihilque juris in illa retinere, arg. *c. 2. h. t.*

R. II. Si alii Prælati & Beneficiati Episcopis inferiores transferantur, priora eorum beneficia ordinariè non vacant ante obtentam posterioris possessionem: *c. 7. §. cum verò & ibi Gloss. de Elect.* Ratio est: quia in his

cessat ratio prius allegata, cum inter illos & Ecclesiam non contrahatur matrimonium spirituale. Unde etiam in translatione Episcopi, si præter Episcopatum habeat alia beneficia annexa, illa probabiliter non amittet ante actualem possessionem posterioris Ecclesie: cum respectu illorum non contraxerit spirituale matrimonium, consequenter per eorundem retentionem non committat spirituale adulterium. Nisi forsitan ista beneficia omnino necessariam connexionem habeant cum priori Episcopatu; quo casu tanquam accessorium sequerentur suum principale, & vacarent vacante priore Episcopatu, scilicet immediate post translationem à S. Pontifice perfectam, etiam ante actualem possessionem.

Planè hæc omnia non aliter procedunt, quam si quis utilitatis causâ transferatur: si enim translatio fiat causâ necessitatis, veluti ob gravem persecutionem, aut infestationem hostium, tunc non solvitur conjugium spirituale, & prior Ecclesia non vacat, sed translatus retinet jus ad aliam quasi in pendentem & sub conditione, si nimirum ab hostibus liberetur, ut *supra* num. 8. notavimus.

§. VIII.

Hactenus de Translatione personarum Ecclesiasticarum. Huic *affinis* est translatio Ecclesiarum de uno loco ad alium. Unde

I. Ad hoc, ut transferatur Ecclesia cathedralis, requiritur auctoritas & consensus S. Pontificis. *Gonzal. in c. 1. h. t. num. 11.* Ratio est: quia similes mutationes Ecclesiarum Cathedralium sunt ex causis majoribus, & S. Pontifici reservatis non minus, quam translationes Episcoporum per *d. c. 1. h. t.* in illis verbis (*translationes Episcoporum, & mutationes sedium*)

II. Ad hoc, ut fiat translatio Monasterii, vel alterius inferioris Ecclesie, requiritur, & sufficit consensus Episcopi & Capituli. *c. 41. causa 16. q. 7.* Ratio est: quia Monasterio-

rum seu inferiorum Ecclesiarum mutatio non est ex causis majoribus, exemplo translationis suorum Præpositorum. Nihilominus tamen censetur esse quædam species alienationis, teste *Tulcho lit. 7. concl. 363. n. 1.* ac consequenter saltem juris solemnitates ad alienationem aliàs requisitas exigit, nimirum consensum Episcopi & Capituli: præsertim, quia ordinariè subest periculum, ne Ecclesie vel subditis graviter præjudicetur.

Limita tamen I. in Ecclesiis & Monasteriis Mendicantium; quæ de loco ad locum transferri nequeunt absque speciali Sedis Apostolice licentia expressam mentionem faciente de prohibitionem contenta *in c. un. de Excess. Prælat. in 6.* eò quòd ex eorundem translatione faciliùs orientur scandala, querelæ, & gravamina subditorum, maximè si posteriori loco viciniore sint alii Religiosi Mendicantes.

Limita II. ut aliarum Ecclesiarum translatio faciendâ sit intra eandem Diocesim: nam terminos Diocesis mutare est de reservatis Summo Pontifici: sicut enim Episcopus Diocesim non habet ex se, vel à suo inferiore, ita nec potest auctoritate suâ vel inferioris illam minuere, dismembrare, aut aliâ ratione mutare. *Barb. de Offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 50. num. 5.*

Limita III. ut quamvis privilegia non manent penes Ecclesiam antiquam, sed ad novam transferantur (nisi forsitan præcisè ad locum antiquum ratione specialis devotionis, peregrinationis, seu Religionis fuissent restricta) tamen in priori loco ad ministeria Ecclesie debeat dimitti Presbyter. *d. c. 41. & ibi Gloss. causa 16. q. 7.* modò id arbitrio Episcopi congruè fieri possit, ut insinuat *Tulchus d. concl. 363. num. 2.*

III. Etiam in hac locali translatione requiritur causa legitima, quarum tres referuntur *in c. 36. dist. 1. de Consecr. Prima, cum necessitas persecutorum locorum gravaverit.*

Secunda, cum difficultas locorum fuerit. Tertia, cum malorum societate gravantur. Quibus addi potest aeris magna intemperies. Glossa in d. c. 36. vel alia notabilis melioratio. cit. e. 41. causa 16. q. 7. Quae omnes reduci possunt ad duas supra n. 8. nominatas, scil. utilitatis & necessitatis.

TITULUS VIII.

De Auctoritate & usu Pallii.

SUMMARIA.

1. Quid sit Pallium?
2. Pallium hodie confert solus S. Pontifex.
3. Quibus competat usus pallii?
4. 5. 6. 7. Quando & quo loco pallio uti liceat?
8. Usus Pallii est privilegium personale.
9. Quando peti debent?
10. 11. Materia & figura pallii.
12. Et seqq. Archi-Episcopi, quae possit, quae non sine pallio?

Postulati, electi, vel translati interdum jus habent gestandi in signe suae dignitatis, quod hic Pallium nuncupatur.

Definitur autem Pallium, quod sit singulare aliquod ornamentum à Corpore D. Petri desumptum, dignitatem & plenitudinem pastoralis officii specialiter designans. Colligitur ex c. 4. in f. de Elect. c. 3. h. t. Dicitur à Corpore D. Petri desumptum; quia super altare D. Petro dedicatum benedici, indeque à petente, vel alio ejus nomine recipi solet, prout exponit Gloss. in d. c. 4. V. corp. assumuntur.

2. *Causa efficitur Pallii is dici potest; qui confert. Confert autem hodie solus S. Pontifex: quia ab eo, tanquam à supremo Hierarcha, & omnis plenitudo potestatis Ecclesiasticae (quae per pallii traditionem tribuitur) promanat. Gonzal. in c. 1. n. 8. h. t. Olim vero ex privilegio Papae etiam quatuor principales Patriarchae: Constantinopolitanus, Antiochenus,*

Alexandrinus, & Jerosolymitanus, postquam id à S. Pontifice acceperant, praestito prius eidem fidelitatis & obedientiae juramento, suis suffraganeis dare potuerunt. Text. & Panorm. in c. 23. de Privilegiis.

§. III.
Subjectum Pallii sunt personae, quibus pallii usus competit. Et licet ordinariè tantum Archi-Episcopis, aliisque superioribus Praelatis, ut S. Pontifici, principalibus quatuor Patriarchis, & Primatibus competat juxta c. 3. & 4. h. t. c. 1. & 2. dist. 100. Nihilominus etiam Episcopis nonnunquam ex speciali privilegio conceditur, ut patet ex c. 15. de Praesumpt. & legitimus concessum esse Episcopo Ostiensi prope Romam, qui Papam consecravit; Episcopo Papiensi in Longobardia; Episcopo Lucensi in Thuscia; item Bambergensi in Germania, & quinque Ecclesiensi in Hungaria. Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 34. q. 3.

Quò ad usum verò Pallii Innocentius III. in c. 4. h. t. his verbis rescribit: *Sane solus R. Pontifex in Missarum solenniis pallio semper utitur & ubique. Alii autem eo nec semper, nec ubique; sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus.* Cujus hanc rationem decisivam reddit: *quoniam Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis, quae per pallium significatur; alii verò vocati sunt in partem sollicitudinis, atque plenitudinem pastoralis officii, non respectu omnium fidelium, & in toto orbe, sed in certo solummodo genere & loco participant.* Ubi

Quaeres I. Quinam sint illi dies, quibus Archi-Episcopus, aliique pallio uti possint? Quamvis in jure non satis determinentur, congruenter tamen illos enumerat Glossa in d. c. 4. h. t. arg. c. fin. de Feriis. ubi principaliora festa nominatim adducuntur; quibus merito addit Ecclesiarum Dedicaciones, Ordinationes Clericorum, & Consecrationes

Episcoporum, tanquam actus & solennitates præcipuas. De reliquo attendendum erit ad speciales locorum consuetudines, & præsertim ad tenorem privilegiorum, uti notatur in c. fin. h. t.

Quæres II. num Archi-Episcopus, vel alius in Ecclesia exempta suæ Provinciæ, aut diocesis pallio uti possit? Ita putat Panormit. in c. 1. n. 7. h. t. & nonnulli alii, eò quòd in Clem. 2. de Privilegiis. Archi-Episcopis & Episcopis generaliter in quibusvis locis exemptis suæ Provinciæ aut Diocesis concedatur celebratio in Pontificalibus, quorum appellatione pallium continetur. Ego tamen in puncto Juris sine difficultate non ausim affirmare, cum in d. c. 4. h. t. usus pallii in iis tantum Ecclesiis permittatur, in quibus jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt. Neque ex eo, quòd Archi-Episcopo vel Episcopo per privilegium concedatur alicubi usus pontificalium, eò ipsò quoque concessus intelligitur usus pallii: strictior enim est usus pallii, quam Pontificalium, ut arg. c. extuarum. 5. h. t. docet Fagnanus in c. quia nos 6. n. 8. Eod. & alia est ratio pallii, alia reliquorum pontificalium, ac sæpe unum sine altero competit; ita namque pontificalibus uti licet etiam extra provinciã, saltem cum Episcopi illius loci licentia, non item pallio. Præterea celebrare in pontificalibus censetur esse præcisè actus quidam honoris, etiam ab exemptis Archi-Episcopo vel Episcopo deferendus; usus pallii verò simul actus officii, utpote pastoralis officii sollicitudinem denotans, quæ se ad exemptos non extendit. Accedit, quòd privilegium Archi-Episcopo & Episcopo in Ecclesiis exemptis concedens celebrationem in pontificalibus strictè interpretandum, neque extendendum ad alios actus officii, aut jurisdictionis, per quos personis exemptis facillè præjudicium, aut gravamen inferri posset, sicut expressè in d. Clem. 2. de Privil. cavetur, ut ibidem nec

ordinare, nec causas audire, nec delinquentes punire, aut quid simile permissum sit.

Quæres III. Utrum nullo profus casu extra provinciã pallio uti liceat? R. unicum in jure casum reperiri, quo ex speciali S. Pontificis gratia conceditur Archi-Episcopo usus pallii extra provinciã, si nempe necessitate aliqua præpeditus ad Ecclesiam sibi conceditam accedere nequiverit pro consecrandis suis suffraganeis, vel Clericis ordinandis, atque propterea ad alienam Ecclesiam declinare contigerit: dummodò tamen is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat. Text. in c. 5. h. t. Excepto hoc casu extra provinciã pallio uti nunquam licet. Sed neque in provinciã sua, nisi in Missarum solenniis, c. 6. & 8. dist. 100. imò ne quidem in Missarum solenniis semper pallio uti licet, sed tantum in Ecclesia, è qua, si contingat eum, cui jus pallii competit, processionaliter, vel alio modo egredi, pallium deponere debet, etiam cæteroquin sacris vestibus indutus. c. 1. h. t. sicut & tunc uti nequit, si celebrat sub tentorio, aut in aliqua privata domo, teste Honorio. h. t. in 6. sup. nullis. c. 2. h. t.

Quæres IV. Sitne usus pallii privilegium personale, an reale? Respondent communiter DD. absolute pallium esse privilegium tantum personale, eò quòd alteri commodari nequeat, neque in personam transeat, sed cum eò quisque sepeliri debeat. c. 2. h. t. Mihi videtur necessariò jus petendi pallium discernendum esse ab ipso pallio, seu usu ejus. Jus petendi pallium à Sede Apostol. loco seu dignitati Archi-Episcopali concessum est ex generali gratia, & ad quemlibet successorem in illa dignitate transit, consequenter privilegiis realibus, non verò personalibus accenseri debet. Ipsum autem pallium, seu usum pallii quamvis detur intuitu dignitatis, illamque in persona designet, & insuper ad certum locum seu provinciã restringatur, non tamen

dignitati, sed personæ solummodo conceditur, ita ut alteri cedi nequeat; ideoque sub hac acceptione est privilegium merè personale. Pirrhing. *h. t. num. 19. & 20.*

9 Cæterum is, cui jus pallii datum, id per se, vel per alium cessante iusto impedimento intra tres menses à die consecrationis, vel si jam ante consecratus fuit, à die confirmationis, instanter petere debet, alioquin commissâ dignitate privabitur *c. 1. & 2. dist. 100. Panormit. in c. 4. h. t. n. 8.* Consuetæ verò alias pallii traditio per cuiuscunque criminis seu defectus objectionem impediri vel retardari non potest, nisi obijciens præmissa calumniæ juramento intra bimestre probationes legitimas exhibere paratus sit. *Extravag. in h. t. inter Comm.*

10 Materia Pallii, ex qua conficitur, est lana candida, ut refert, & rationem reddit Clemens II. in *Epistola ad Joann. Salern. Episcopum*, quem, cum illi pallium traderet, ita allocutus fuit: *in quo, quia de vellere ovis est, intellige Te ovium pastorem.*

11 Formam Pallii describit Panormit. ad *Rubicam h. t.* quod sit vestis candida ex lana alba contexta, in corona seu circuli modum, pectus & humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta; anteriore parte non nihil dependens. Quæ omnia moralibus mysteriis plena sunt, ut tradit idem Panorm. *l. c. num. 5.*

12 Effectus Pallii est primò, quod tribuat Archi-Episcopalis nominis appellationem: etenim electus ad Archi-Episcopatum, tamen si confirmatus, vel consecratus sit, Archi-Episcopum tamen se nominare non potest ante pallium acceptum. *c. 3. & ibi Barb. num. 2. & 3. h. t.*

13 Alter effectus est, quod per pallii traditio-

tem conferatur auctoritas, seu plenitudo pastoralis officii. *d. c. 3. h. t.* nam licet Archi-Episcopus post confirmationem, & consecrationem habeat potestatem jurisdictionis & ordinis in aptitudine. *c. 11. & 15. de Elect.* antequam tamen pallium recipiat, non habet in actu, nec ea exercere potest, quæ sunt propria muneris Archi-Episcopalis, cujusmodi sunt visitare provinciam, convocare concilium provinciale, conficere chrisma, dedicare Basilicas, consecrare Episcopos, benedicere Abbates, ordinare Clericos, & alia, quæ in Pontificalibus inter Missarum solennia peragi debent. *c. 28. §. super eo. de Electione.* Ex quo

Infertur I. Archi-Episcopum ante obtentum pallium posse exercere actus Ordinis minus principales, & quos solâ tantum indutus peragere solet, sicut est benedictio calicis, paramentorum, cœmeterii &c. *P. Engl. h. t. num. 5.* Ratio est: quia similes actus non videtur facere ex plenitudine officii pastoralis, seu tanquam Archi-Episcopus, sed præcisè tanquam præditus simplici potestate pontificali, pallium autem requiritur ad dignitatem Archi-Episcopalem, aut plenitudinem pastoralis officii.

Infertur II. Archi-Episcopum ab alio Episcopo, extra suam provinciam invitatum posse ante receptum pallium etiam actus principales Ordinis exercere, modò sit confirmatus & consecratus. *Layman in c. 1. h. t. n. 4.* Ratio est: quia etsi pallium accepisset, eo tamen extra provinciam suam uti non posset, sicut diximus; ideoque extra provinciam non exercet similes actus tanquam Archi-Episcopus, sed tanquam alius simplex Episcopus consecratus.

Infertur III. Archi-Episcopo similiter ante receptum pallium, imò & ante consecrationem, suppositâ tamen confirmatione, permissum esse, exercere quoscunque actus juris-

ditionis, Episcopis alijs competentes, modo non sint Archi-Episcopales, seu soli Archi-Episcopo qua tali proprii. Sic potest causas audire, delegare, iudices creare, censurare, dispensare, Prælatos electos confirmare, &c. quò ad hæc enim & similia recipit potestatem per ipsum actum confirmationis; *c. 15. de Elect. c. 1. & ibi. Panormit. n. 9. de Translatione Episcop.* Hinc ulterius

17 Inferitur IV. Archi-Episcopum confirmatù posse alteri Episcopo delegare, & committere majores actus ordinis, quos ipse ante consecrationem, & obtentum pallium nequit exercere. *c. 11. de Elect.* Ratio est: quia delegare est actus jurisdictionis Episcopis quoque communis, neque ab Archi-Episcopo quâ tali procedens, sed quâ simplici Episcopo jurisdictionem mediante confirmatione habente.

18 Utrùm verò Archi-Episcopus, si acceptum semel pallium perdat, vel id incendio comburatur, licite possit absque pallio actus proprios dignitatis Archi-Episcopalis exercere, sicut prius cum pallio? affirmat Barb. *J. E. V. L. 1. c. 7. n. 124.* Negat Venerus apud Dian. *Moral. Resol. p. 3. ar. 6. Resol. 37. in fine.* Ego distinguo inter actus jurisdictionis, & ordinis: illos Archi-Episcopus videtur amisso pallio posse exercere, non istos, nisi sit moralis necessitas, & utilitas Ecclesiæ Ordinationem v. g. Clericorum exigat. Ratio discriminis est: quia obtentâ semel facultate exequendi, actus jurisdictionis alijs sine pallio, Ordinis verò cum pallio, seu singulari ornatu extrinseco exercentur, ac proinde in his licite omiti nequit, si commodè haberi possit, quamvis ad validitatem nihil faciat.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIA.

1. Renuntiationis homonymia. 2. Definitio. 3. Et divisio.

4. Renuntiare potest quilibet beneficiatus. 5. Etiam minorennis. 6. Et irâ, infirmitate, aliâve passione affectus. 7. Imò quandoque invidius renuntiare cogitur.

8. Renuntiatio etiam per procuratorem fieri potest. 9. Cui, seu coram quo fieri debeat renuntiatio? 10. Quæ beneficia per renuntiationem dimitti possunt? 11. Renuntiatio beneficii spontanea. 12. Expressa, 13. Cum Superioris consensu, 14. 15. Ac ex iusta causa facta esse, 16. Et publicari debet. 17. Causa renuntiationis est commodum Ecclesiæ vel salus propria renuntiantis. 18. Enumerantur effectus renuntiationis.

A Tque hæc de modis, quibus Prælati Ecclesiæ assumuntur. Nunc videamus de Renuntiatione, quâ Prælaturas acquisitas iterum amittunt.

§. I. Renuntiatio duobus modis sumitur: scilicet in communi, prout respicit quameunque rem, & jus, cui renuntiarî potest: & in particulari, prout respicit solum beneficia, vel præbendas, & dignitates Ecclesiasticas. Ita hic accipitur, &

§. II. Definitur Renuntiatio, quòd sit spontanea beneficii Ecclesiastici dimissio. *P. Engl. b. 1. n. 1.*

§. III. Dividitur Renuntiatio communiter in expressam & tacitam. Expressa est, quæ fit verbis accomodis, & voluntatem apertè declarantibus. Tacitam appellant, quæ ex facto aliquo colligitur vacationem seu resignationem beneficii aut ex natura sua, aut saltem ex dispositione juris annexam habente. Sic censetur renuntiare beneficio, qui religionem solenniter profitetur. *c. beneficium 4. de Regul. in 6. vel uxorem ducit. c. 1. & 3. de Cleric. conjug.* aut beneficium cum priore incompatibile suscipit. *c. de multa 28. de Præbend. extravag. execrabilis Eod.* vel Parochialis Ecclesiæ possessionem nactus intra annum sacerdos non ordinatur. *c. 14. de Elect. in 6.* & generaliter quotiescunque aliquid fa-

facit, propter quod ipso jure vacat beneficium, ut suis locis deducetur. At cum in istis casibus contra invitum quoque ab ipso jure privatio beneficii inducatur, ideo in latiori solum significatione renuntiatio dici potest, quatenus scilicet etiam in invitum cadit, & legitimam beneficii privationem inducit. Tunc autem proprie dicitur tacita renuntiatio, quando jura non inducunt vacationem, sed solum ex facto beneficiati præsumunt voluntatem dimittendi beneficium, quæ præsumptio per contrariam protestationem elidi potest, veluti si beneficiatus expressè dicat, se non intendere per talem actum beneficium dimittere. Atque in hoc distinguitur à privatione legitima, contra quam similis protestatio nihil operatur, cum jura privationem inducentia nemo possit infringere. *l. nemo potest 55. ff. de Legat. 1.* Exemplum verò proprie dictæ renuntiationis tacitæ exstat. *in c. transmissa 3. h. t.* ubi Clericus propter repetitionem honorum, quæ Ecclesiæ suæ donaverat, præsumitur, voluisse illam Ecclesiam dimittere. Similiter *in c. ex ore 3. de his, quæ fiunt à majore parte Capit.* litigans super quadam præpositura ex eo, quod colliganti suo reverentiam aliàs præposito debitam exhibuerit, juri suo renuntiâsse putatur.

Renuntiatio expressa rursus subdividitur in puram & conditionalem. Pura est, quæ fit simpliciter, id est, absque omni pactione, conditione, modo, restrictione, vel reservatione, eaque, ut notat Layman *lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 17. n. 6.* proprie dicta renuntiatio seu resignatio est. Conditionalis dicitur, quæ fit sub certa conditione, modo, aut pacto. Qualis est I. quæ fit in favorem certæ personæ, ut illi & non alteri beneficium dimissum conferatur. II. Quæ fit cum reservatione certæ pensionis, seu certæ partis fructuum sine aliquo respectu personæ, v. g. ut annuatim certam pecuniam ex resignato beneficio re-

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

cipere liceat. III. Quæ fit ex causa permutationis, ut si duo Beneficiati sua beneficia resignent, eâ conditione, ut uni alterius beneficium conferatur à Superiore. Pirrhing. *h. t. num. 11.*

§. IV.

Causa efficiens Renuntiationis est renuntians. Licet autem universim omnibus, qui beneficia possident, renuntiare, causâ justâ & legitimâ præsuppositâ: nam sicuti Ecclesiæ prodest beneficiatos, qui Ecclesiæ utiles sunt, eam pro libitu deserere non posse, ita etiam proficuum & necessarium est, ut iis, qui beneficiis amplius apti non sunt, hisque cum fructu ulterius præesse nequeunt, ea liberè resignare, & alios, qui Ecclesiæ plus commodi & utilitatis allaturi sperantur, admittere possint; quod quàm maximè procedit in dignitatibus, cum ab eorum, qui talia beneficia obtinent, habilitate & officio salus Ecclesiæ plurimum dependeat. Unde etiam S. Pontificem, quando se insufficientem agnoscit ad regendam Ecclesiam, & Pontificatus onera supportanda, liberè cedere & renuntiare posse, constituit Cælestinus V. moxque ipse resignavit. Ejus statutum Bonifacius VIII. in Papatu Successor refert, & probat *in c. 1. h. t. in 6.*

Dubitat I. Possitne Clericus minoræ beneficio suo renuntiare? communi DD. calculo receptum est, minorem 25. annis majorem tamen annis 14. posse renuntiare beneficio, etiam absque ullo consensu Curatoris: quia in causis spiritualibus, ac Ecclesiasticis & in his, quæ pendent ab eis, talis Clericus pro majorenni habetur. *c. ult. de Judiciis in 6. Gloss. & Pano mit in c. ex parte. 14. de Restit. spoliat.* Quod verò aliqui cum Acurcio *in l. 7. ff. de Minoribus.* & Carninale *in d. c. ex parte* ob hanc causam minori læto in renuntiatione beneficii restitutionem in integrum simpliciter denegent, displicet; cum

L

enim

enim pro minoribus magno favore sit adinventum, ut in beneficiis majores censeantur, hoc adversus illorum utilitatem iniquè converti non debet. *c. 61. de R. F. in 6. l. quod favore 6. Cod. de Leg.* Imò verius dixerim, Clerico minori restitutionem hanc concedendam esse, licet beneficium ab eo resignatum jam alteri collatum sit, eò quòd jura passim, & indistinctè velint minores læsos restitui, nusquam excepta læsione, quæ circa beneficium contingit. *Covar. lib. 1. V. R. c. 5. n. 3. Molina de F. & F. disp. 573. v. utrum autem. Neque obstat l. quod si minor. 24. §. 2. ff. de Minoribus.* ubi non succurritur minori, nisi re integra: procedit namque in casu, ubi agitur de lucro captando, nempe de acquirenda hæreditate repudiata; secus est, ubi agitur de damno vitando, & restituenda re semel à minore pleno jure possessa, uti hac in questione, per textus in *l. 9. princ. & l. 13. §. interdum ff. de Minorib.*

6 *Dubitatur II.* Num Clericus affectus iræ, tristitia, lætitiâ, vel dolore infirmitatis beneficium resignare valeat ita, ut resignatio rata sit, & firma? Sunt, qui negativam probant arg. *c. 1. causâ 17. q. 2.* ubi absolute annullatur renunciatio facta in infirmitate, & passione corporis. Sed cum ex justa causa coram legitimo Superiore renunciare sit de genere permissorum, & regulariter omnibus ratione præditi concessum, puto cum Tholosano *Inst. rei benefic. c. 31. n. 8. & seqq.* similes affectus validitatem renuntiationis non impedire, modò tam intensi non sint, ut animus, aut rationem sustulisse videantur; quod in calore iræ cunditæ facilius accidit, consequenter si sopitâ iracundiâ renunciatio protinus revocetur, non subsistit arg. *l. quid quid 48. ff. de R. F.* In dubio inter alia ad id quoque attendendum erit, utrùm nulla ratio intervenerit, quæ etiam sanum ad talem renuntiationem probabiliter impulisset; tunc enim aliis

circumstantiis concurrentibus, verbis scilicet & factis prudentibus, præsumi potest, sibi satis præsens fuisse, quamvis renuntiatio cæteroquin in dubio potius nulla, quam valida censeatur. Neque adversatur *d. c. 1. causâ 17. q. 2.* nam ibi renuntiatio non annullatur, ob causam infirmitatis, sed quia facta est in manu solius Advocati Ecclesiæ, qui potestatem admittendi renuntiationem non habuit, ut bene *ibid.* advertit Glossa, ac ex ipso textu manifestum est.

Hoc tamen circa resignationem infirmorum ex Regula Cancellariæ, quæ inscribitur: *De viginti.* vel: *De infirmis resignantibus.* notandum est, quòd si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendam cesserit, sive ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea infra 20. dies, à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per renuntiationem sibi factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare. De qua Regula extat *P. Engl. ad tit. de Præbend. n. 29. & seq. Azor. Instit. mor. p. 2. l. 7. c. 28. per tot.*

7 *Dubitatur III.* Anne invitus possit ad renuntiationem cogi? quod nego, si desit; affirmo, si subsit justa causa. Ita enim ille qui plures Parochiales, aut unam cathedralem, & aliam Parochialem Ecclesiam obtinet, cogitur omninò unâ tantùm Parochiali, vel solâ cathedrali retentâ reliquas intra 6. menses dimittere: alioquin tam Parochiales, quam beneficia omnia obtenta ipso jure vacare censeantur; ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferuntur; nec ipse antea illa obtinens tutâ conscientiam fructus post dictum tempus retinet, nisi speciali privilegio muniatur. Trident.

dent. *sess. 24. de Reform. c. 17.* Similiter Prælati, qui valde negligens, vel decoctor, aut aliter vitiosus invenitur, compelli potest, ut renuntiet, aut si nolit renuntiare, etiam absque strepitu judiciario deponi poterit. *c. 7. §. ordinentur c. 8. §. si verò de Statu Monach.* Sanè propter senium, vel infirmitatem, licet incurabilem, non facilè invitus ad renuntiationem adigi debet, sed coadjutor ei dandus est, eò quòd tutius sit, ut Ecclesia sub umbra fœnis gubernetur, quàm ut alteri novæ, incognitæque personæ gubernanda committatur. *Text. in c. 1. h. t.*

8 Illud non interest, an qui renuntiant, per se renuntient, an per procuratorem speciale ad id mandatum habentem: nam constat, valere renuntiationem sive dignitatis sive beneficii per ipsum factam, etiamsi prius revocata fuerit, ipso tamen & Superiore, in cujus manibus facta est renuntiatio, ignorante, nisi per malitiam ipsorum, vel aliorum revocatio fuerit occulta. *Clem. un. h. t. Vid. Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 7. c. 22. q. 14.*

§. V.

9 *Subiectum* hujus renuntiationis dici potest Superior, cui resignatur beneficium. Ubi refert, an purè resignetur, vel sub conditione? Si purè? renuntiatio faciendâ est immediato Superiori, ad quem aliàs pertinet institutio & destitutio, licet is sit Episcopo inferior: nam admissio renuntiationis aliam distinctam potestatem non requirit, arg. *c. 4. & ult. h. t. Panormit. in c. 8. n. 6. Eod.* Si sub conditione, interest, utrum beneficium dimittatur in favorem certæ personæ, vel cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel ex causa permutationis? Primo & secundo casu renuntiatio fieri debet S. Pontifici, nec ab alio admitti potest: quia quæ fit in favorem tertii, præfertur quandam speciem hæreditariæ successionis, quam SS. Canones execrantur in beneficiis Ecclesiasticis *c. 7. & 11. de Filiis presbyt.* quæ

verò fit cum reservatione pensionis aut fructuum, simoniam sapit, cum in effectu beneficium quasi pro fructibus permutetur. P. Engel *h. t. n. 10.* Tertio casu renuntiatio etiam ab Episcopo, aliisque Prælati Episcopali jurisdictione præditis ob causam recipi valet, ut colligitur ex *c. un. de Rerum permut. & Clem. un. Eod.*

§. VI.

Objectum Renuntiationis est beneficium, quod resignatur. Potest autem regulariter omne beneficium resignari arg. *c. 16. & 23. de Regularib.* ubi generaliter deciditur, quemlibet renuntiare posse ei, quod pro se noscitur introductum.

Excipitur I. beneficium, cujus titulo & jure aliquis ad SS. Ordines promotus est, juxta Trident. *sess. 21. de Reform. c. 2.* ubi statuitur, ut resignatio beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus est, non admittatur, nisi constituto, quòd aliunde vivere commodè possit.

II. Beneficium patronatum, quod saltem in favorem seu gratiam alterius dimitti nequit citra Patroni consensum: hujus enim interest, ne fortè insensus in beneficio instituat. Attamen renuntiatio inconsulto Patrono facta non est ipso jure invalida, sed rescindenda, si contradixerit. Layman. *in Theol. moral. lib. 4. tit. 2. c. 13. n. 12.*

III. Excipitur beneficium electivum, quòd similiter in favorem seu gratiam alterius resignari non potest inconsultis, imò non consentientibus omnibus, qui jus eligendi habent; nisi fortè non tam ob causam & favorem alterius, quàm ob necessitatem, vel utilitatem resignatio fiat: Quo casu sufficit majoris partis consensus. Pirrhing *h. t. n. 13.*

IV. Excipitur beneficium unitum Monasterio Religiosorum, vel Collegio Clericorum, aut Seminario Adolescentum; cujus resignatio, etsi fiat coram ipso S. Pontifice, nullius momenti est, si fiat in favorem alterius non facta mentione de unione. Colligitur ex

Trid. *sess. 21. de Reform. c. 5. & sess. 23. c. 18.*
 V. Excipitur beneficium reservatum Sedi
 Apostolicæ, quod quamvis absolute dimitti
 non prohibeatur, non tantum coram S. Ponti-
 fice, sed quovis Ordinario loci, in favorem tam-
 en alterius, aut etiam causâ permutationis
 coram alio, quàm Papa resignari, nequit juxta
 constitutionem Innocentii VIII. quam recitat
 Azor *d. l. 7. c. 25. q. 9.* VI. Excipitur bene-
 ficium litigiosum, cujus (sicut & cujusvis rei
 litigiosæ) alienatio lite pendente fieri nequit.
arg. tit. Ut lite pendente. Notat tamen Pir-
 hing *h. t. n. 14.* valere resignationem, si be-
 neficium litigiosum Adversario colliganti
 renuntietur, aut cedatur.

§. VII.

Forma Renuntiationis non uno, sed plu-
 ribus requisitis absolvitur.

- 11** *Primum* est, ut spontè & libera voluntate
 fiat: siquidem si dolo, metu, aut fraude ex-
 torta sit renuntiatio, per officium Judicis, aut
 edictum: *quod metus causâ*: irritari debet.
*c. 5. h. t. c. 3. & 4. De his, qua vi, metusve
 causâ sunt.* Ipso jure autem valet, nisi perso-
 na renuntians capta, vel detenta sit à personis
 secularibus, & ita ad renuntiandum coacta:
 tum etenim renuntiatio propter violentiam
 statui Ecclesiastico apprimè perniciosam ipso
 jure nulla erit ex nova decisione *Clem. multo-
 rum 2. §. sanè de Paris.*
- 12** *Secundum* requisitum est, ut renuntiatio
 fiat verbis specificis, & expressis; neque enim
 indubio quis præsumitur renuntiare benefi-
 cio suo, ex quo sustentari debet, & quod
 multis fortè expensis, ac laboribus compara-
 vit. *c. super eo 5. h. t.* Hinc est, quod lite-
 ras, quibus per S. Pontificem de beneficio fue-
 rat actualiter provisum, Episcopo vel Capitu-
 lo tradens, & simul ejus misericordiæ se
 subiciens non censeatur renuntiare juri, quod
 ratione litterarum in beneficio habebat. *c. 7.
 h. t.* nisi literas has manifestè intentione re-

signandi in manus Superioris deposuerit; tunc
 namque simul ea, quæ in iis contenta sunt, re-
 signata videntur. *arg. c. cum pridem de Pactis.
 l. 2. & 3. ff. Eod. l. 59. ff. de Legat. 3. Panor-
 mit. in c. 4. n. 10. Ut lite pendente.*

Tertium Renuntiationis requisitum est, ut
 fiat cum consensu Superioris. Text. & Gloss.
in c. 4. h. t. Quod adeò obtinet, ut consuetu-
 do contraria ceu invalida & corruptela repro-
 banda sit juxta *c. 7. de Cens.*

Reperias tamen casus, in quibus ad renun-
 tiationem Superioris auctoritate & licentiâ
 opus non est: Nimirum I. si ipse S. Pontifex
 resignet; quia in terris Superiorem non re-
 cognoscit per *c. 6. dist. 40.* nisi dicere pla-
 ceat, renuntiationem Pontificatûs fieri coram
 DEO acceptante, qui à renuntiante tollat po-
 testatem universalem, ut alius in locum ejus
 cum hac potestate substitui queat, ne alioquin
 Ecclesia fortè longo tempore à nullo Pastore
 visibili gubernetur. Layman *in c. 1. h. t. in 6.*
 II. Si jus, quod quis in beneficio habet, ad-
 huc sit litigiosum, neque pacificè possessum;
 tunc enim liberè etiam sine auctoritate Super-
 ioris litem deferere, & dubium jus alteri col-
 litiganti cedere licet. *Garc. de Benef. p. 11.
 c. 3. n. 249.* III. Superioris consensus non de-
 sideratur, si renuntians necdum habeat per-
 fectum & plenum jus in beneficio, ut si quis
 tantum sit electus, non dum verò confirmatus:
 vel si habeat rescriptum Pontificium ad
 beneficium vacans, aut vacaturum per *c. 31.
 de Rescript. & c. 26. de Elect. in 6.* IV. De-
 nique licet Episcopatum quis sine S. Pontificis
 licentiâ quacunque occasione deserere non
 valeat, ne quidem Religionis ingrediendæ
 causâ, seu ut saluti propriæ melius vacare
 possit. *c. 10. h. t. c. 18. de Regularib.* Secus
 tamen dicendum de aliis Beneficiatis Episco-
 po inferioribus, qui etiam absque Ordinarii
 sui consensu religionem ingredi liberè per-
 mittuntur. *c. dua sunt 2. causâ 19. q. 2.*

Glossa

Glossa in c. 4. h. t. Quamvis conveniens sit, ut sicut Religiosus ad Religionem strictiorem transiturus prius licentiam debet petere à Prælato, licet non obtineat, ita etiam Clericus Beneficiatus, transiturus ad religiosum statum, prius licentiam saltem petat: etsi non obtineat ab Episcopo per d. c. 18. de Regul. Panorm. in d. c. 4. h. t. n. 4.

Quòd si extra hos casus sine legitimi superioris consensu defacto fiat renuntiation, non valet in præjudicium Ecclesiæ, aut superioris, qui resignantem ad beneficium reassumendum compellere potest arg. c. mulier 3. causa 33. q. 5. Glossa in c. 8. h. t. Valet tamen ex parte renuntiantis, non quidem, quòd titulo & jure beneficii sui statim excidat, sed quòd Superior renuntiationem ratam habere, & eum, qui ita renuntiavit, etiam reluctantem privare possit, aliique conferre. Garcias d. c. 3. n. 219. cum communi. At crediderim, renuntiantem beneficio resignato privari non posse, si re integrâ, id est, antequam Superior auctoritatem interposuit, pœnitentiâ ductus ineptam hujusmodi renuntiationem revocârit arg. l. 3. & 5. ff. de Cession. Bonor. nisi resignatio spontè in manibus Laici facta sit; quo casu, non obstante, quòd per pœnitentiâ revocetur, renuntiantem spoliandum esse, ex d. c. 8. h. t. satis probatur, licet aliqui expendentibus verba textûs putent, huic pœnæ locum non esse, nisi renuntians ab eodem Laico beneficium denuò susceperit.

14 *Quartum* requisitum renuntiationis est justa causa, sine qua saltem licitè nunquam fieri potest. Tales causæ in c. nisi cum pridem 10. h. t. respectu Episcoporum 6. recensentur, videlicet *conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientia, malitia plebis, grave scandalum populi, & irregularitas persona.*

Conscientia criminis non cujuslibet, sed illius duntaxat sufficit, quod executionem officii etiam peractâ pœnitentiâ impedit; quale

est delictum simoniæ, v. g. si quis simoniacè fuit electus, vel institutus: nam erga simoniacos nullam milericordiam in dignitate servanda habendam esse decernitur in c. 110. causa 1. q. 1. Item delictum quodlibet quod ipso jure irrogat infamiam, si de eo in judicio Episcopus convictus fuerit. Glossa in d. c. nisi cum pridem V. sed duntaxat. arg. c. fin. de Temporib. ordinat. veluti si R. E. Cardinalem hostiliter persecutus est. c. felicitis de Pœnis in 6. Non etiam aliud crimen quodcumque licet grave: quia si omnes cederent, quos arguit conscientia cujusque criminis, pauci vel nulli in ministerio remanerent. Text. in d. c. nisi cum pridem §. propter conscientiam.

Debilitas corporis ex morbo vel senectute proveniens talis requiritur, quæ muneri Episcopali obeundo imparem reddat. d. c. nisi cum pridem §. alia verò. Quin etiam tunc, nisi ultrò cedere velit, coadjutor adjungi solet & debet. c. 1. 3. & 4. causa 7. q. 1.

Defectus scientia tunc est causa renuntiationis, cum quis ea non didicit, quæ ad officium suum pertinent, & quorum notitia ad regimen Ecclesiæ est necessaria. c. 1. & seq. dist. 38. Etsi autem scientia eminens in Episcopo desideranda sit, toleratur tamen scientia competens: quia imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis. cit. c. nisi cum pridem §. pro defectu quoque.

Malitia plebis ad renuntiandum impellit, quando plebs aded duræ cervicis est, ut Episcopus apud ipsam proficere nequeat, sed propter ejus pertinaciam, quò magis satagit, eò magis justò judiciò deficere permittatur. Text. in sape d. c. nisi cum pridem §. propter malitiam.

Scandalum renuntiationi locum facit, sed grave & pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum, quod populus forte patitur ex præsentia Episcopi, ita ut illud aliter evitari nequeat, quàm per medium resignationis.

Ob scandalum pharisaicum sive ex malicia profectum, Episcopatus dimitti non debet: utilius namque scandalum hoc nasci permittitur, quam ut veritas fidei & justitiæ deseratur juxta c. 3. de R. I. Et quò fugias, ubi Pharisæos non offendas?

Postremo *irregularitas* tunc causam præbet renuntiationi, quando in illa facile dispensari non solet, ut si ex homicidio voluntario notorio, aut ex bigamia provenierit. Secus est, si irregularitas sit dispensabilis, v. g. si ex natalium defectu præsertim adhuc occulto, neque ex damnata cõpula nascatur, tunc enim non expedit renuntiandi licentiam concedere, sed potius dispensandi gratiam largiri, modò cæteroquia laudabiliter vixerit. *d. c. nisi cum pridem §. persona.* ubi Layman n. 10. simili ratione dispensandum putat cum eo, qui in irregularitate ex homicidio occulto Episcopus factus est.

15 Et ex his 6. causis una saltem subsit, necesse est, ut Episcoporum renuntiationes in Curia Romana admittantur. Aliorum Beneficiatorum præcipue si in dignitate constituti non sint, resignationes ex levioribus quoque causis modò rationabilibus & jure non reprobatis, v. g. propter aëris intemperiem, adversam valetudinem, senectutem, vel aliam rationabilem commoditatem etiam privatam juxta Ordinariorum arbitrium recipi possunt: cum enim specialis aliqua causa jure communi expressa non sit, eò ipso Superiorum arbitrio relinquatur arg. l. 1. ff. de Jure deliber. quod & receptus usus comprobat. Unde non obstat Bulla Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesia DEI*, in certis solummodo, & ibi expressis causis renuntiationem inferioribus concedens: nam teste Zypæo in *Analysi Jur. Pont. h. t. n. 1.* Bulla illa vel sufficienter publicata, aut usu recepta non est; vel certe contraria consuetudine rursus abrogata. Illud tamen semper attendi debet, ut benefi-

cium renuntiaturus, si sacris Ordinibus initiatus sit, aliunde habeat, quo congruè, & absque dedecore statûs Clericalis vivere valeat, alioquin renuntiationis admittenda non foret arg. c. 16. & 23. de Præb.

Quintum requisitum renuntiationis supeditat Regula Cancellariæ 34. de publicandis resignationibus, quæ à diversis SS. Pontificibus, & novissimè à Gregorio XIII. innovata est; cujus constitutio in illius Regulæ locum substituta modò in hac materia Roma obtinet. Zypæus h. t. n. 2. Cavetur autem in illa generaliter, ut provisi de resignatis beneficiis in Ecclesia beneficiata, & cathedrali præsentem populo resignationem publicare teneantur, eam quidem, quæ in Curia facta est, intra 6. menses à die supplicationis oblatae computandos, si beneficium citra montes, hoc est, Italiae terminos fuerit, sin ultra montes, intra 9. menses; eam verò, quæ fit extra Curiam coram locorum Ordinariis, intra tres menses. Alioquin si contingat, resignantem mori, antequam resignatarius cõperit possessionem, beneficium censetur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur. Vide Azor. *Institut. moral. p. 2. l. 7. c. 24. per totum.*

§. VIII.

Finis Renuntiationis est vel commodum Ecclesiæ: quia beneficium, ut par est, aliquis præesse nequit; vel salus propria renuntiantis, ut quia vult ingredi Religionem, aut in loco beneficii periculum patitur &c. Layman in c. 12. n. 1. h. t.

§. IX.

Effectus Renuntiationis præcipui sunt. I. is, qui renuntiandi beneficio licentiam petit, ex quo illam obtinuit, ad renuntiandum compelli potest, ne videatur illuisse Superiori c. 12. h. t. Neque obstat, quòd in aliis actibus re integra pœnitentiæ locus sit per l. 3. & ff. de Cessione honor. id enim admiserim in actibus, qui à privatorum potestate dependent,

non verò in illis, in quibus superioris auctoritas desideratur, ut in renuntiatione. Pirrhing; *h. t. num. 12.*

II. Renuntiatio pura legitime facta, & à Superiore admittita inducit vacationem beneficii resignati, ita ut renuntians in illo omne jus amittat, nec illud repetere possit. *cap. 3. & 6. h. t.* nisi fortè metu vel dolo inductus renuntiasset, ut supra *n. 11.* dictum est.

III. Resignans non amplius potest beneficii fructus percipere, cum per renuntiationem canonicus beneficii titulus sit extinctus, sine quo beneficium iuste possideri nequit, & consequenter nec fructus percipi. Refert autem Barb. *de Officio & potest. Episcop. p. 3. alleg. 117.* in Rota decisum esse, quòd fructus naturales pendentes, & civiles, quales sunt pensiones ex locatione, usura &c. respectu quòrum tempore perfectæ resignationis necdum venit dies solutionis, spectent ad Successorem; fructus verò naturales & industriales à solo tunc temporis jam separati debeantur resignanti, etiamsi prædia frugifera essent locata, & dies solutioni præfixus, veniret primum post resignationem.

IV. Episcopus v. g. qui propter crimen renuntiavit Episcopatu, ad Episcopatum vel eundem, vel alium assumi nequit etiam per novam electionem, aut provisionem. Dixi: *qui propter crimen renuntiavit*: is namque qui ob persecutionem, infirmitatem, defectum scientiæ, vel aliud impedimentum resignavit, illo impedimento cessante ad Episcopalem dignitatem resurgere potest; quin imò, si quis ob simoniam Episcopatu cesserit, licet tunc saltem immediate ad eundem redire nequeat, ad alium tamen promoveri non prohibetur *Text. & DD. inc. 11. h. t.*

V. Si Prælati Regularis renuntiet, illius Monasterii, cui præfuit, religiosus manet, & secundum communem praxim locum primum post novum Prælatum in choro & con-

ventu habet. Secus est, si ob culpam deponatur; tum enim in ordinem redigendus vel quandoque in pœnam ad ultimum locum ponendus est, arg. *c. 6. de Statu Monach.*

TITULUS X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

SUMMARIÆ.

1. *Quid sit supplenda negligentia Prælatorum?*
2. *A quo?* 3. *In quibus?* 4. *Et quomodo committatur hæc negligentia?*
5. *Qualiter negligentia hæc suppleatur?*
6. *Usque 12. quibus casibus potestas negligentie Prælati ad inferiorem, vel superiorem remedium devolvatur?*

§. I.

Per supplendam negligentiam Prælatorum hic intelligitur ommissio illius, quod Prælati ratione officii, potestatis & jurisdictionis sibi commissæ de jure ac consuetudine facere poterat, ac debebat. Colligitur ex *c. 1. & 2. dist. 84. c. 45. causâ 2. q. 7.*

§. II.

Causa efficiens hujus negligentie est Prælati negligens; latè accepto nomine Prælati, ut non tantum Episcopos, sed & Capitula, Abbates, Præpositos, Priores, Archipresbyteros, Archidiaconos, & reliquos inferiores, usque ad simplicem curatum comprehendat: nam horum omnium negligentia supplenda est: siquidem quilibet per negligentem administrationem Ecclesiæ obesse potest. *c. 2. & fin. h. t.*

§. III.

Objectum sunt ea, in quibus talis negligentia committitur. Committi autem potest vel in iis, quæ ad jurisdictionem contentiosam spectant, & exercentur inter partes à se invicem dissentientes, proinde in invitum quoque; vel in illis, quæ ad jurisdictionem voluntariam, & inter partes volentes, seu con-

ficientes exerceri solitam, pertinent. Potissimum tamen *hoc tit.* agitur de supplenda negligentia commissa in provisione beneficiorum; quæ si sint majora, ut Episcopatus vel Prælatuæ Regulares, intra trimestre: si verò his sint inferiora, intra semestre à die innotescantis vacationis, iusto impedimento cessante, providenda sunt, alioquin jus conferendi pro ea vice ad alium devolvitur, & provitio postea facta non tenet, nisi ex misericordia sustineatur. *c. 4. h. t. c. 41. de Electione s. 2. & 5. de Concess. præb. Azor. Instit. moral. p. 2. l. 6. c. 27. q. 16.* Excipe beneficia regularia, quæ sunt de mensa prælatorum, seu ut inde Prælati, vel Religiosi sustentationem habeant, in his enim non observatur terminus 6 mensium, cum nunquam propriè vacent: quia Rector principalis est Abbas, & exercens curam animarum tantum Vicarius ad nutum Prælati amovibilis. *Clem. un. h. t. Honorius de Præb. p. 4. num. 60.*

§. IV.

4 *Forma* hujus negligentia stat in omissione ejus, quod à Prælato fieri potuit, & debuit. Duo igitur requiruntur posse & debere; quorum alterutro deficiente non datur supplenda negligentia, Barthol. Carthagenæ *h. t. obser. 2.* Hinc est, quòd tempus trimestre, vel semestre beneficiorum provisioni præfinitum currere non incipiat ante diem vacationis cognitæ. *c. 3. h. t. c. 5. de Concess. præb.* quoniam qui ignorant Prælatuam, aut beneficium vacare, necessarium impedimentum habent, quò minùs ad electionem aut collationem accedant. *Laym. in qq. Can. de Prælat. Elect. s. 9. q. 97.*

§. V.

5 *Effectus* consistit in commissa hujusmodi negligentia suppletionem. Suppletur autem vel per adjunctionem idonei coadjutoris. *c. 2. h. t. in 6.* vel, quòd frequentissimum, per susceptionem muneris neglecti: generalis nam-

que regula est, quòd potestas & jurisdictionis Prælatorum inferiorum in illo casu, in quo sunt negligentes, ad proximum Superiorem devolvatur, consequenter ab Abbate vel Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, & sic deinceps gradatim usque ad Papam P. Engl. *h. t. num. 1.*

Sed tamen inficias non iverim, regulam hanc quandoque fallere, & nonnunquam ex peculiari Juris dispositione etiam ad inferiorem, vel ad alium superiorem remotum fieri devolutionem. I. Enim si Episcopus Diocesanus, tertio cum humilitate, ac devotione requisitus, sine rationabili causa subditos Abbates benedicere negligat, aut recuset, negligentiam ejus supplet Jus Can. ac effectum benedictionis tribuit, ita ut etiam sine illa possint minores ordines suis Religiosis conferre, pontificalibus uti, ac omnia exercere, quæ aliàs nonnisi dependenter ab illa benedictione facere possunt. *c. 1. & ibi Gonzal. h. t.*

II. Si Episcopus negligat intra præfixum tempus conferre beneficia jure proprio (non devoluto) ad suam collationem separatim à Capitulo spectantia, collatio immediatè non devolvitur ad aliquem Superiorem, sed ad ipsum Capitulum propter communionem, quæ in iuribus propriis Ecclesiæ est inter Episcopum & Capitulum, ceu Caput & membra ejusdem corporis. *c. 2. de Concess. præb.* Nisi Episcopus sit exemptus, quo casu ejus negligentiam Papa supplet. *c. 3. h. t.* In reliquis locum habet adducta generalis regula. Hinc si Capitulum negligentiam committat circa collationem sibi separatim ab Episcopo competentem, fiet devolutio ad Episcopum tantquam immediatum Superiorem & in defectu illius ad Archiepiscopum. *d. c. 2. de Concess. præb.* si verò collatio conjunctim ad Episcopum & Capitulum pertineat, ob eorum negligentiam devolvitur collatio ad Archiepiscopum, qui respectu illorum est pro-

proximus superior c. 15. & ibi DD. de Con-
cess. preb.

8 Lubet subjungere, an in Germania propter negligentiam Capitularium, & moram eligendi Episcopum fiat devolutio ad Archiepiscopum, cui immediatè talis Ecclesia cathedralis subiecta est, an verò ad S. Pontificem? Id quod dicendum videtur: quia teste Gloss. in Clem. un. V. dispositionem h. t. Panorm. in c. 1. n. 10. de Elect. recepta doctrina est, quòd propter negligentiam Capituli, vel mortem omnium de Capitulo jus providendi devolvatur ad eum, qui habet potestatem confirmandi electum: atqui electos Episcopos in Germania non confirmat Archiepiscopus, sed S. Pontifex juxta concordata Germaniæ inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem in Bulla: ad sacram. Ergo ista devolutio hodie in Germania non fiet ad Archiepiscopum, sed ad S. Pontificem. Nec adversatur c. 41. de Elect. id enim exaudiendum est de eo tempore, quo Episcopi electi confirmatio Archiepiscopo permittebatur, sicut permissam fuisse, constat ex c. 32. Eod. Pirrhing. de Elect. num. 250.

9 Porro si Collegio vel Conventui regulari sine Prælato competat jus conferendi aliquod beneficium, eo negligente collationem, succedet Prælatus; si autem Prælato competat, tum Conventus beneficium ab eo neglectum conferre non poterit, sed si Prælatus ille Episcopo subiectus sit, jus conferendi ad ipsum devolvitur. Si verò sit exemptus, tunc vel beneficium etiam est exemptum, & collatio statim & immediatè devolvitur ad Papam: c. 32. §. prohibemus. de Præbend. in 6. vel non est exemptum, & hoc casu Episcopus ille, in cujus Diocesi v. g. Parochia sita est, Apostolica auctoritate providebit, ita tamen, ut quæ consueverunt per sæculares administrari, sæcularibus, quæ per regulares, regularibus conferat. Clem. un. h. t.

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

III. Quotiescunque agitur de peccato publico & scandaloso tollendo Ordinarius deficiam & malitiam delegati Pontificii supplere potest, quatenus necessarium est ad amovendum peccatum. c. 6. & ibi Panormit. de Offic. Ordinarii.

IV. Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 3. II alleg. 126. num. 6. Sustinet, jurisdictionem contentiosam Episcopi ob causam negligentiam circa appellationem non devolvi ad Archiepiscopum: eò quòd careat jurisdictione in subditos suffraganei, præterquam in casibus specialiter expressis, ut insinuet c. 1. h. t. in 6. in illis verbis: cum id non inveniat in jure concessum. Sed contrarium verius videtur: etenim non apparet, quare specialiter, in contentiosa jurisdictione Episcopi denegari deberet devolutio ad proximum superiorem, seu Archiepiscopum, cum tamen generaliter in h. t. permittatur, ut eò facilius & citius Ecclesiæ, & subditis congruum adhibeatur remedium, quod per remotiorem superiorem non tam facile contingeret. Deinde communiter admittitur appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, etiam in contentiosis, ergo admittenda quoque erit devolutio ad ipsum propter Episcopi negligentiam, ita nimirum, ut absque solennitatibus appellationis per viam simplicis querelæ adiri valeat, vel ex officio negligentiam ejusdem supplere. Neque obstat, quòd Archiepiscopus non habeat jurisdictionem in subditos suffraganei Episcopi? nam id tantum verum est directè & ordinariè, quando scilicet præjudicium fieret suffraganeo officium suum debitò modò implenti. Secus, si ejus negligentia interveniat per Superiorem supplenda, tunc enim in hoc sit. generaliter licentia & jurisdictio conceditur proximo Superiori. Textus autem in c. 1. h. t. in 6. loquitur de culpa & delicto Episcopi atque ex illo negat devolutionem jurisdictionis Episcopalis ad Archiepiscopum,

M

89

non autem ex negligentia. Imò à sensu contrario videtur concedere ex negligentia devolutionem. Quare verba supra allegata intelligenda sunt, quòd devolutio ad Archi-Episcopum tanquam proximum Superiorem ex causa negligentia, non ita generaliter in aliis, scil. in culpis, de quibus *cap.* loquitur, inveniatur concessa; id est, quòd Episcopi propter quascunque culpas non statim debeant jurisdictione privari ab Archi-Episcopo, sed potius alia pœna canonica infligi, prout in fine ejusd. *cap.* dicitur.

12. V. Ab Abbate exempto ordinariè quidem fit devolutio ad S. Pontificem; non raro tamen etiam ad Episcopum Dicecesanum, ita ut negligentiam exempti saltem tanquam Sedis Apostolicæ delegatus supplere valeat, prout videre licet in *c.* 7. de Officio Ordinarii, *c.* 8. de Statu Monach. & in Trident. *sess.* 25. de Regularib. *c.* 8. & 14. de quibus suo loco sigillatim dicemus.



TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

SUMMARI A.

1. Ordinationis definitio. 2. Et divisio.
3. Prima Tonsura non est Ordo. 4. Episcopatus est Ordo.
5. Ordinatio à Christo instituta est.
6. Minister ordinarius Ordinationis est Episcopus.
7. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos.
8. Ut quis validè ordinetur debet esse mas. 9. Baptizatus, 10. Et consentiens.
11. In Sacris ex metu ordinatus non tenetur ad continentiam.
12. Ad licitam Ordinationem in Ordinando requiritur confirmatio. 13. Usuratio. 14. Legitimitas. 15. Immunitas à peccato & censura. 16. Scientia competens. 17. Assensio

18. Cœlibatus. 19. Morum probitas ac bona fama. 20. Usque 29. subje. Bio. 29. 30. Titulus. 31. Et carentia cujunque irregularitatis.
32. Quæ sit Ordinationis materia, 33. Et an physion contatius ejusdem sit de necessitate Sacramenti?
34. Quæ Ordinationis forma?
35. Ordines debito loco, 36. Usque 40. debito tempore. 40. Et gradatim conferendi sunt.
41. Finis, 42. 43. Et effectus ordinationis.

Quia ad manus Prælatorum, maximè Episcoporum, pertinet Clericorum Ordinatione, idè de hac in isto & seqq. titulis agitur.

§. I.

Definitur autem Ordinatio, quòd sit sacre cœremonia, quæ alicui traditur spiritualis stabilis potestas consecrandi Evcharistiam, vel ad eum finem ministrandi.

§. II.

Dividitur Ordinatio in Minorem & Majorem. Minor est, quæ minores Ordines continet; Major, quæ Majores: hi sacri, illi non sacri dicuntur, non quidem ex eo, quod non quis Ordo sit Sacramentum, contra Trid. quod in *Sess.* 23. de Sacram. Ord. *can.* generaliter definit, Ordinem esse Sacramentum; sed quia Ordines majores majorem sanctitatem præferunt, & propius accedunt ad consecrationem Corporis Christi, votumque castitatis ex Ecclesiæ institutione annexum habent.

Minorum Ordinum sunt quatuor; scilicet Oltiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Fagnanus in *c. cum contingat. n. 4.* de Exate, & qual. cum pluribus ibidem laudatis addit primam Tonsuram, per Text. *d. cum contingat.* Sed verior & communior Theologorum sententia est, primam Tonsuram non esse Ordinem, sed, ut D. Thom. inquit, quoddam præambulum Ordinis: cum per illam nulla potestas spiritualis alicujus functionis vel Ministerii in Ecclesia circa Evcharistiam tribuatur, sed Laicus solum asse-

matum in sortem & statum Clericorum, atque ad Divinas laudes deputetur, quod est aliquid prævium ad susceptionem ordinum, sicut novitiatus ad professionem Religionis. Illud tamen non negaverim, quod juxta usitatum loquendi formam SS. Canonum prima Tonsura veniat nomine Ordinis arg. d. c. cum contingat. adeoque etiam recipiens aut conferens primam Tonsuram afficiatur pœnis contra recipientes & conferentes Ordines statutis; quamvis opinio contraria à veritate theoricæ non admodum remota sit. Vid. Bonacin. de Sacram. disp. 8. q. iii. puncto 4. n. 27. & de Censuris in genere disp. 7. q. I. puncto. I. num. 4.

4. Ordines majores communiter tres assignari solent: nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus c. 9. de Etate & qualitat. quibus Canonistæ adjungunt Episcopatum. Nec immeritò: siquidem Trid. sess. 23. de Ord. c. 4. expressè videtur Episcopatum inter alios Ordines enumerare: & in c. 1. dist. 32. Subdiaconatus vocatur quartus Ordo à capite, & Episcopatus primus. Ratio est: quia per consecrationem Episcopo confertur nova potestas relata ad consecrationem Corporis Christi, nempe potestas Ordinandi Clericos, & consecrandi templa, altaria, aliæque. Ex quo tamen non sequitur, contra communem calculum non esse 7. sed 8. Ordines: etsi enim Episcopatus sit Ordo à simplici Sacerdotio distinctus, comprehenditur tamen sub nomine Sacerdotii in generali illa septimembri divisione Ordinis: nam teste Anacleto Papâ Epist. 3. c. 1. Sacerdotum Ordo, prout Dominus eum instituit, bipartitus est &c.

§. III.

5. *Causa efficiens* Ordinationis est vel Principalis, vel Instrumentalis. Principalis est Christus Dominus, qui omnia Sacramenta, & consequenter etiam Ordinationis instituit, prout sæpius desuper in Trid. præsertim sess. 7.

can. 1. de Sacram. in gen. & speciatim in sess. 23. de Sacram. Ord. can. 3. Instrumentalis est Minister, qui alius est Ordinarius, alius extraordinarius,

Ordinarius Minister Ordinationis est Episcopus consecratus. c. 4. dist. 68. Trident. sess. 23. de Sacram. Ord. can. 7. & constat ex perpetua ac constanti praxi Ecclesiæ, quæ non nisi per Episcopos Ordines conferre solet. Nec interest, etsi Episcopus consecratus sit hæreticus, excommunicatus, suspensus, interdictus, ac degradatus, adhuc enim potest validè (quamvis illicitè & sine executione Ordinis collati) Ordines administrare: cum ordinandi potestas fundetur in indelebili caractere Episcopali, & effectus Sacramentorum non pendeant à bonitate, vel malitia ministri. c. 89. causâ 1. q. 1. c. 41. de Consecrat. dist. 4. Trid. d. sess. 7. can. 12. S. Thom. in 4. dist. 25. q. 1. a. 2. in C. Textus in c. 24. & 25. causâ 1. q. 7. in c. 2. & 3. causâ 9. q. 1. quibus asseritur, Ordines ab hæreticis, aut excommunicatis collatos reiterandos esse, adeoque irritos, procedunt, cum collati sunt non servatâ Ecclesiæ formâ. Gonzalez in c. 2. de Ordinac. ab Episcopo &c. num. 7.

7. *Minister* extraordinarius Ordinationis saltem minoris ex commissione S. Pontificis potest esse Sacerdos simplex. Sic enim Abbates, si Sacerdotes & Benedicti sint, usumque mitræ & baculi habeant, Tonsuram & Ordines minores conferre valent; at ex restrictione Trid. sess. 23. de Reform. c. 10. solis Regularibus sibi subditis; non verò aliis sive Regularibus, sive secularibus; nisi cum speciali consensu Ordinarii loci, & cum litteris dimissoriis propriorum Prælatorum, ut declaravit Congregatio Cardinal. ad d. c. 10. Trid. Et ratio est: quia Concilium ibi solum dimittit facultatem ordinandi Abbatibus vel jure communi, vel ex indulto Sedis Apostol. con-

cessam, non eam, quam consequi possent ex licentia vel delegatione ipsius Episcopi Diocesani: illud enim decretum in hujus favorem editum fuit, ut patet ex illis verbis: *sed horum omnium ordinatio ad Episcopos, intra quorum Diocesis fines existunt, pertineat, & consequenter Diocesano licere debet, in hoc favori suo renunciare, & consentire, ut sibi subjecti ab alieno Antistite promoveantur per Text. in c. 1. 2. & 3. dist. 71. P. Engel de Privil. Monaster. privil. 49. n. 4. in cujus annot. conciliat, & reprobatur contrariam Cardinal. declarationem allatam à Diana p. 4. tr. 4. resol. 148. asseritque se audisse, nostram sententiam in variis Diocesisbus practicari & antiquissimo usu receptam esse.*

§. IV.

Subiectum Ordinationis est Ordinandus, in quo plures qualitates & conditiones desiderantur tum ad validam, tum ad licitam Ordinationem.

- 8 *Ad validam Ordinationem* requiritur I. ut Ordinandus sit masculus: nam foeminae (idem dicendum de hermaphroditis, qui æquè ac magis ad sexum foemineum inclinant) jure Divino omnium Ordinum incapaces sunt, ita ut nec ad primam Tonsuram à S. Pontifice dispensari possint. *princ. causa 15. q. 3. c. 8. in fine de Convers. conjug. Pirrhing h. t. n. 6.* Ratio petitur tum ex voluntate Christi, qui nullam unquam mulierem ordinavit, ne quidem suam matrem sanctissimam, licet dignior & excellentior fuerit Apostolis universis. *c. 10. de Pœnit. & remiss.* tum ex natura Ordinationis, quæ est constituere ordinatum in gradu superiore & eminente inter reliquos fideles cum potestate eos docendi, & Sacramenta ministrandi, cujus superioritatis mulieres jure divino incapaces existunt, ut constat ex S. Paulo 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse lex jubet Genes. 3. sub viri*

potestate eris, & ipse dominabitur tui. Neque obstat, quòd sæpius apud antiquos mentio fiat Diaconissarum, Presbyterarum, &c. hoc enim non debet intelligi, quasi aliquo Ordine fuerint insignitæ, sed quòd essent uxores eorum, qui postmodum Diaconi, vel Presbyteri facti fuerant, ut videre est in *c. penult. & ult. dist. 3. 1. & passim alibi. Zoëf. h. t. n. 19.*

II. Requiritur, ut ordinandus sit baptizatus: quia baptismus est janua, & fundamentum omnium Sacramentorum. *c. 2. de Cognat. spir. rit. in 6.* Quare, si Sacerdos v.g. deprehenderetur non fuisse validè baptizatus, postea suppleto baptismo omnes Ordines, quippe antea nulliter collati, necessariò reiterandi essent. *c. 1. & 3. de Presbyt. non baptiz.*

III. In ordinando adulto requiritur consensus, & positiva intentio, saltem habitualis suscipiendi Ordines: quia cum Ordinatio hominem in novo statu constituat, id fieri haud convenit, nisi aliquo modo consenserit; quod satis probatur ex *c. 3. §. item quaritur. de Baptismo.* ubi id de Baptismo deciditur. Unde irrita est Ordinatio, quando quis reluctans, & absolutè invitatus ordinatur; quamvis secus sit, si metu solum ad suscipiendos Ordines compellatur: metus enim non causat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, ut habetur in *c. 1. causa 15. q. 1. & cum S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6.* tradunt Theologi uno ore.

Controversia incidit, an per metum gravem & injustum in Sacris ordinatus ex vi ordinationis teneatur ad perpetuam continentiam, & sit inhabilis ad matrimonium? Affirmant Panorm. Joan. Andr. Sylvester, Sotus & alii, quos refert Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 29. num. 4.* moti potissimum hæc paritate: Baptizatus ratione recepti characteris baptismatis tenetur ad professionem & observantiam vitæ catholicæ. *d. c. 3. §. item quaritur. ergo etiam ex tali metu ordinatus, cum characterem S. ordinis recipiat, tenebitur ad oblat-*

vantiam vitæ Clericalis, adeoque ad continentiam perpetuam & abstinendum à matrimonio. Sed negativa ut communior, ita probabilior videtur: quia obligatio Clericalis continentiae & inhabilitas contrahendi matrimonium Ordini sacro non ex natura rei, aut jure Divino annexa est, sed ex constitutione duntaxat Ecclesiastica, quæ non obligat sub gravi periculo arg. c. 2. dist. 4. c. 2. de Observat. jejun. & c. 31. de Sentent. excomm. Imò ipsa Ecclesia noluit coelibatum ordinationi metu susceptæ adnectere: textus enim in c. 1. dist. 31. c. 11. & 12. dist. 32. c. 9. de Ætat. & qual. & passim loquuntur de Ordine suscepto modo ordinario, ac proinde cum plena voluntate absque injusta hujusmodi violentia aut coactione. Et certè cum iste modus ordinationis sit contra intentionem juris, & alioquin onus castitatis omnino ab extrinseco impositum, nec propriâ voluntate spontè acceptum gravissimum sit, non potest rationabiliter jus commune & ordinarium ad hunc extraordinarium casum extendi. Atque ex his patet disparitas ad adductam superius paritatem: nam obligatio observandi & profitendi vitam, fidemque catholicam suapte naturâ, & jure Divino connexa est characteri baptismatis; at continentia perpetua, sicut & inhabilitas ad matrimonium ordini sacro conjuncta est ex solo jure Ecclesiastico, & ita obligatio illa nequit, hæc autem potest per metum, qui humana, non Divina rescindit, impediri; idque maximè quòd coelibatus non nisi Ordini sacro spontè, & liberè suscepto annexus sit.

Illud omninò certum est, quòd per metum sacris initiatus obligetur ad continentiam, & sit inhabilis ad contrahendum matrimonium, si postea spontè ratificaverit Ordinationem, vel verbo, vel facto, scil. ministrando etiam semel tantum in Ordine per metum suscepto: generalis enim doctrina est, gesta per metum,

etiamsi ab initio sint invalida, & nulla, per ratificationem tamen subsequenter convalescere, per c. 21. de Sponsal. c. 9. de Desp. impub. Sanchez d. disp. 29. n. 9. Pirrhing h. t. n. 9.

Porro ad licitam Ordinationem in Ordinando requiritur I. ut sit confirmatus Trid. sess. 23. de Reform. c. 4. ubi disertè statuitur: *primâ Tonsurâ non iniciantur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Non tamen peccaretur mortaliter, si contrarium absque contemptu fieret, eò quòd prædicta verba Concilii non significant obligationem gravem, sed tantum præscribant Episcopis, quid facere debeant. Navar. in Man. c. 22. n. 9. Dissentit Bonacina de Sacrament. Ordinationis. 8. q. un. puncto 5. n. 9.

II. Requiritur, ut sit præditus usu rationis. Hinc illicitè ordinatur infans, aut perpetuò amens; validè tamen, ut constat ex c. un. de Clerico per saltum promot. ubi Pontifex non jubet repeti minores Ordines infra annos discretionis receptos, & ratio est, quia Ordinatio adinstar Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ non nisi in adultis usu rationis aliquando donatis aliquem proprium liberi arbitrii motum præsupponit. Layman de Sacram. Ord. tr. 9. c. 6. n. 4. Interim Ecclesia in Sacris ante usum rationis ordinatum (nisi factus adultus Ordinationem verbo aut facto ratificaverit) ad coelibatum adstringere probabilis non vult, quin imò nec valet; non vult, quia juxta jura superius n. 11. allegata statum continentiae, & impedimentum dirimens solum annexuit Ordini sacro suscepto modo ordinario, scil. spontè & cum plena libertate; non etiam valet, cum enim castitas perpetua sit onus gravissimum, & res consilii, non præcepti, voluntariè assumenda est, nec ad eam quis ab humana potestate tantum ab extrinseco cogi & obligari potest. c. 5. dist. 28. c. 13. causâ 32. q. 1. Fagnan. in d. c. un. de Cler. per sal. prom. n. 27. & seqq.

14 III. In Ordinando requiritur legitima ætas: quæ olim pro diversis temporibus diversa requirebatur, ut constat *ex c. 2. & seqq. dist. 77. Clem. fin. de Ætate, & qual. & ord. pract.* Hodie verò ad primam Tonsuram & quatuor minores ætas determinatæ non est, consequenter arbitrio Ordinantis relinquitur, modò non conferantur infanti, seu minori 7. annis *c. fin. h. t. in 6. Gloss. fin. in d. Clem. ult. de Ætate & qual.* De ætate autem Ordinum sacrorum Trid. *sess. 23. c. 12. de Reform.* statuit, ut nullus impofterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteriatum ante vigesimum quintum atatis annum promoveatur: non tamen est necesse, hos annos esse completos, sed juxta Declarationem Cardinalium, & praxin Ecclesiæ sufficit vel per momentum, aut minutum esse inchoatos; præterquam in Episcopatu, in quo requiritur annus trigessimus completus. *c. 7. de Elect.* circa quod Trident. nihil innovavit. Num verò pro hac ætate computandus sit dies bissextilis, latè disputat Gobat. *in Theol. experimentali tr. 8. casu 13. sect. 2. per tot.*

15 IV. Requiritur, ut ordinandus nulli culpæ mortali scienter sit obnoxius: quia ordo est Sacramentum vivorum, per se & ex institutione sua conferens gratiam secundam, ideoque supponit ordinandum jam esse in statu gratiæ; ne, quantum est ex se, falsam reddat significationem Sacramenti ordinis.

V. Ut nullâ censurâ sit irretitus, pœta excommunicatus, suspensus, vel interdictus. *c. 32. de Sent. Excomm.*

16 VI. Requiritur, ut habeat debitam scientiam, quæ pro diversitate Ordinum diversa quoque à Trid. *sess. 23. de Reform.* exigitur: nam *c. 4.* exigitur ab initiandis primâ Tonsurâ, ut sciant rudimenta fidei, legere insuper & scribere: *c. 11. à suscepturis quatuor Minores*

exigitur, ut intelligant saltem linguam latinam, & ut scientiæ specimen, eos majoribus Ordinibus dignos futuros, ostendant. *c. 13. pro Subdiaconatu, & Diaconatu exigitur, ut promovendi sint literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, c. 14. à Presbyterandis exigitur, ut possint docere necessaria ad salutem & Sacramenta ritè administrare; quòd maximè intelligendum est de iis, qui curam animarum obire volunt: nam in aliis minor quoque scientia sufficit.*

Denique in Episcopatu *c. 6. dist. 38.* statuitur, ut qui ad Episcopatus promovendus est gradum, in promptu habeat legere scrutabiliter tam sacros Canones & S. Evangelium, quam omnem Divinam scripturam, adeoque spectato hoc Canone Episcopus deberet esse dignus laureolâ doctoralis tam Theologiæ, quam Juris Canonici: verum juxta Trid. *sess. 22. de Reform. c. 2.* sufficit si sit Magister, Doctor, aut Licentiatum in Theologia, vel Jure Canonico, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos.

VII. Requiritur intentio serviendi Ecclesiæ; unde peccaret (non tamen mortaliter) qui primam Tonsuram, vel quatuor Minores susciperet sine ullo animo inserviendi Ecclesiæ, sed tantum ut privilegiis Clericalibus gauderet: faceret enim contra mentem Ecclesiæ, ut colligitur ex Trid. *sess. 23. de Ref. c. 4.* Sed quid, si in Minoribus quidem vellet servire Ecclesiæ, at nunquam vellet suscipere Majores, sed ducere uxorem virginem? R. Cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. dist. 31. n. 16.* & aliis, omninò non peccare; nam Jus in *c. 1. de Filiis Presby. in 6.* permittit, ut illegitimi possint ex dispensatione Episcopi promoveri ad Ordines minores, cum tamen Episcopus sciatur, eos non posse promoveri ad majores; ergo nec Episcopus nec ordinandi illegitimi intentionem habere possunt quo ad majores Ordines, & tamen licitè ordinantur.

18 VIII. Requiritur, ut ordinandus sit cœlebs. *c. fin. h. t. in 6.* & passim per tot. *dist. 3. 1.* & tres seqq. quia cum conjugatus uxori alligatus sit, non ita liberè Divinis & Ecclesiasticis obsequiis, ad quæ ordinatus obligatur, vacare potest, ut insinuat in *c. 3. de Clericis conjug.* item *c. si Laicis & Sacerdotibus dist. 3. 1.* Idque procedit, ut imprimis non tantum sacri & Majores ordines, sed neque Minores, & Clericalis tonsura sit conferenda alicui conjugato sine uxoris licentia *d. c. fin. h. t. in 6.* quamvis Minoribus initiatus matrimonium contrahere possit. *c. 7. dist. 22.* ita ut nec ducendo, nec utendo conjugio peccet. Azor. *Instit. moral. p. 1. l. 1. 3. c. 13. q. 8.* Deinde ut si defacto conjugatus ordinetur in Sacris, quamvis characterem recipiat, perpetuò tamen maneat ab Ordinum executione suspensus, etiam matrimonio soluto, atque inhabilis ad majores Ordines suscipiendos, & ad quodcunque beneficium, aut officium Ecclesiasticum consequendum. *Extrav. un. de voto Joan. XXII. Dixi: si ordinetur in Sacris:* nam si quis tantum in Minoribus Ordinibus ordinetur, aut Clericali Tonsura insigniatur, durante conjugio non nisi ab ordinis executione suspensus est juxta *d. c. fin. h. t. in 6.* Interim hæc limita: nisi quis ante matrimonium consummatum, vel certè post consummatum matrimonium simul cum uxore (si juvenis sit aut suspecta de incontinentia) religionem ingrediatur, & ordinetur. Qua de re ex Instituto *Lib. III. ad tit. de Convers. conjug.*

19 IX. In ordinando requiritur morum probitas, honestas vitæ, & bona fama. *Trid. d. sess. 23. c. 5. c. 17. causâ 6. q. 1.* Hinc ordinationem impediunt incestus, adulterium, raptus, apostasia, schisma, hæresis, beneficium, perjurium, falsum testimonium, & omnia crimina, si vel per evidentiam facti, vel per sententiam judicis, vel per propriam rei confessionem in judicio factam sint notoria, ac talia,

quæ infamiam annexam habent, aut depositionem merentur. *c. 4. c. fin. h. t.* & ibi cum Glossa interpretes communiter. Quare si crimen non sit notorium, post peractam pœnitentiam non est impediendus reus ad Ordines aspirare. *d. c. 4. c. fin. h. t.* nisi & occultam inducat irregularitatem, ut homicidium. *d. c. 4. Pirhing. h. t. n. 18.*

X. Requiritur, ut ordinandus sit subditus ordinantis ratione vel Originis, vel domicilii, vel beneficii. *c. 3. h. t. in 6. Trid. Sess. 23. de Reform. c. 8.*

Ratione Originis subditus est, qui è Diœcesi ordinantis est oriundus, *d. c. 3.* Ex illa autem Diœcesi vel loco quis oriundus censetur, non in quo præcisè natus aut ortus est casu fortuito, v. g. in itinere seu transitu ut contra Hurtadum, & alios docet communis apud & cum Diana *p. 8. tr. 2. resol. 11.* sed in quo Pater ejus tempore nativitatæ fixum habuit domicilium, & civis, vel municeps fuit. *l. 1. l. 6. ff. ad municipalem. l. 3. C. de Municipib. l. 7. C. de Incolis.* Quòd si de hoc constare nequeat, filius sequitur Originem Patris, & domicilium Originis paternæ etiam censetur domicilium filii, per *l. 6. §. 1. ff. ad municipalem.* Si neque iste locus sciatur, aut Pater incertus sit, uti contingit in spuris, tunc attenditur domicilium vel origo Matris. *l. 1. §. 2. & l. 9. ff. Eod.* Liberi expositi, quorum uterque Parens ignoratur, sequuntur Originem loci, ubi inventi & educati sunt, cum alia Origo nesciatur. Steph. Gratian. *discepr. forens. tom. 1. c. 15. n. 12.* Barb. *de Off. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 4. num. 16.* Turcæ denique, alique infideles illic videntur Originem sortiri, ubi per Baptismum sunt regenerari. Gobat. *in Theol. expriment. tr. 8. casu 7. sect. 2. n. 280.*

Ratione domicilii subditus est, qui in ordinantis Diœcesi habitat, vel incipit habitare cum animo perpetuò ibi consistendi, nisi quid

avocet. l. 203. ff. de P. S. l. 7. C. de Incolis. Unde si quis in Diocesi ad longius tempus negotiorum vel studiorum causâ commoretur, animo tamen redeundi in patriam, verum illic domicilium non obtinet. l. 2. C. de Incolis. sed solum, ut vocant, quasi domicilium; quod quidem sufficit ad administranda vel recipienda Sacramenta Matrimonii, Poenitentiae & alia, non verò Ordinis. Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 23. per tot. Et ideo si studiosus alicubi uxorem duceret, animo post studia illam secum abducendi, nec filii ipsius ab ejusmodi loci Episcopo ordinari possent: sicut enim is non diceretur Episcopus domicili respectu Patris, ita neque foret Episcopus Originis respectu filii, qui fingitur natus in domicilio Patris per l. 3. C. de Municipib. Puto tamen in quibusdam casibus nomen domicili ad quasi domicilium extendi posse ex ratione æquitatis arg. l. 8. C. de Jud. v. g. si quis nec beneficium, nec aliud domicilium verum habeat, & locum Originis vel nesciat, vel ita remotus sit, ut ibi moraliter loquendo Ordines acquirere nequeat, licet ceteroquin idoneus. Tiber. in Instruct. Ordinand. c. 7. q. 46.

23 Sed quid dicendum, si quis in duobus Episcopatibus perpetuò habitare intendat, & æquè frequenter in uno, ac in altero moretur? Et talem ab utriusque loci Episcopo ordinari posse: quia utrobique sortitur verum domicilium, & utrique Episcopo ratione domicili est subditus per c. 2. de Sepult. in 6. l. 5. & l. 6. §. 2. ff. ad municipalem. Ejus tamen filius ab alio Episcopo deberet Ordines suscipere, in cuius Diocesi natus est, supposito quòd ibi Pater domicilium habeat: neque Origo respectu filii tunc extenderetur ad alterum Patris domicilium, ut etiam inde oriundus diceretur. Secus foret, si in neutro Episcopatu & extra Patris domicilia progenitus fuisset: tunc enim non apparet ratio, quòd unì magis, quàm alteri Episcopo ratione Originis subiceretur. Diana cum aliis p. 8. tr. 2. resol. 14.

Ratione beneficii Ordinanti subditus dicitur, qui in ejus Diocesi quaecumque habet beneficium, sive pingue, sive tenue, sive simplex, sive curatum; & sive exigat, sive non exigat residentiam: quia Textus in d. c. 3. h. t. in 6. generaliter, ac indistinctè loquitur, & quodcumque beneficium Beneficiatum Episcopo loci subjicit. Pirrhing h. t. n. 34. Hinc idem etiam Clericus, si obtineat plura beneficia in diversis Diocesibus, à quolibet earum Episcopo ordinari poterit. Gobat. l. c. n. 310.

Porro nomine Beneficii vel Domicilii hinc quoque intelligi potest Monasterium respectu Religiosorum, licet ex illa Diocesi non sint oriundi. d. c. 3. in fine h. t. in 6. Circa quos illud singulare est, quòd Episcopus eos ordinare nequeat contra Prælatorum suorum voluntatem. c. 5. h. t.

An autem Novitii ex aliena Diocesi oriundi ordinari possint ab Episcopo Monasterii, & in Minoribus ab Abbate? pro utraque sententia graves Doctores refert Barb. J. E. V. lib. 1. c. 33. n. 65. Ego affirmativè tanquam probabiliori subscribo: sunt enim Novitii Abbatis jurisdictioni, & mediante Abbate etiam Episcopo subjecti, atque pro tunc habent animum ibi perpetuò manendi, licet hunc animum mutare valeant, sicut alius quisvis Incola. Adde, quòd Novitii in materia favorabili adeòque etiam in præsentì, habeantur pro subditis regularibus, & in reliquis quoque gaudeant privilegiis religionis per c. 21. & ibi Archid. de Sentent. excomm. in 6.

Ex his igitur tribus modis aliquo subditus licet ordinatur, adeò ut si fortè ab Episcopo proprio Originis receperis Subdiaconatum, vel Minores, possit tamen reliquos Ordines ab Episcopo beneficii aut domicili absque facultate prioris accipere: quia hoc nullibi in Jure prohibetur, sed Ordinatio generaliter ex prædictis causis permittitur. Neque obstat, quòd aliàs regulariter concessa electione, & re-

non amplius integrâ non liceat variare. *l. 20. ff. de Oportione legat.* nam hoc admitti potest circa eandem materiam & subiectum, non verò respectu diversorum, quemadmodum in proposito ordines inter se distinguuntur. Itaque licet exclusa sit variatio quo ad unum, qui & naturaliter irrepitibilis est, nihil vetat quo ad alterum variare, & alium Episcopum adire. *P. Engl. h. t. n. 31.* Excipitur Ordinatus à S. Pontifice, qui sine ejus licentia non potest Ordines reliquos ab Episcopo inferiore recipere, idque ob reverentiam Summi Antistitis. *c. 12. h. t.*

28. Cæterum sunt etiam casus, in quibus alienigena, seu non subditus licite ad Ordines promovetur, ut I. si ab Episcopo proprio habeat literas dimissoriales, de quibus infra in *tit. 22.* II. si per triennium continuum in Episcopi alieni familia vixerit, & cum ipso fuerit commoratus; si modò ille Episcopus sit Ordinarius habens populum & clerum, non titularis solum *Trid. sess. 14. de Reform. c. 2.* & statim re ipsa conferat beneficium. Item *Trid. sess. c. 23. de Reform. c. 9.* vel ipse ordinandus sufficiens patrimonium habeat, ad quod ordinetur, & Ecclesiæ necessitas, aut commoditas id exigat, ut adnotarunt Tridentini Interpp. in *d. c. 9.* III. Quando proprius Episcopus scienter & notorie alienum subditum sine licentia ordinavit: tunc enim ejus Clerici (non purè Laici, ut docet *Sayr. lib. 4. de Censur. c. 12.*) possunt absque illius facultate alium vicinum Episcopum adire, & Ordines, qui ipsis desunt ab eo recipere. *c. 2. h. t. in 6.* Extra tres hoc casus verò si quis non subditus scienter ordinetur, Ordinans per annum à collatione Ordinum, Ordinatus autem ab executione Ordinum susceptorum usque ad beneplacitum proprii Episcopi suspenditur. *d. c. 2. h. t. in 6. Trid. d. Sess. 14. c. 2. & d. Sess. 23. c. 9.*

29. XI. Ad majores Ordines in ordinando re-

quiritur titulus, id est, remedium, quò ei provisum sit de sufficiente, eaque perpetua sustentatione, ne paupertate pressus in opprobrium status clericalis mendicare, aut sordidum quantum exercere cogatur. *Trid. sess. 21. de Reform. c. 2. c. 2. 4. & 16. de Prabend.* Censetur autem habere hujusmodi titulum I. qui in Religione approbata vota emisit: quia is sustentari debet à Monasterio, aut Religione. *c. 1. dist. 70.* II. qui pacifice possidet beneficium certum, perpetuum & sufficiens: unde non sufficit beneficium litigiosum, primùm conferendum, aut manuale, hoc est, ad nutum revocabile: item Vicaria temporalis, aut stipendium ab Episcopo super fructibus suæ mensæ assignatum: *Pirrhing h. t. n. 69. & seq.* III. Titulum legitimum habet, qui habet competens patrimonium, vel pensionem ad honestam sustentationem sufficientem, modò talem Episcopus judicaverit assumendum pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum. *Trid. l. c.* IV. ex recepta consuetudine titulum hunc patrimonii suppleat titulus mensæ, ut vulgò vocant, seu patentes litteræ, quibus Principes, Nobiles, Civitates, Monasteria, Hospitalia &c. obligatione reali promittunt, ex suis bonis sustentare Ordinatam, seu provisuros ipsi de cibo, potu, vestitu, aliisque statui suo convenientibus, casu quo ob senium vel infirmitatem non possit amplius fungi officiis Clericalibus, aut alia ex causa careat necessariis ad sustentationem, priusquam beneficio Ecclesiastico legitime investiat: de quo vid. *P. Engl. in Tir. de Etate & qual. & ord. presic. n. 14. & seqq.*

Quod si Episcopus sine ullo ex his 4. titulis aliquem scienter in sacris ordinaverit, tam ipse, quàm ejus successor in subsidium taliter Ordinatam alere tenetur, usque dum beneficium assequatur per jura supra citata Ordinatus verò sine titulo nullam incurrit suspensionem; tum quia hæc poena quidem olim erat

N

erat

erat in hujusmodi Clericos præscripta, per *c. 1. & 2. dist. 70.* sed deinde sublata est, in *d. c. 16. de præbend.* tum quia talis pœna suspensionis magis adhuc difficilem redderet Clerici sustentationem, utpote qui ob pœnam suspensionis sacrificium Missæ celebrare non posset, & ita stipendiis privaretur ad vitam Clericalem sustentandam necessarijs. Neque dicas Trid. in *d. sess. 21. c. 2.* antiquorum Canonum, adeoque etiam *c. 1. & 2. dist. 70.* pœnas innovasse: Cardinalium enim declaratione decisum esse testantur Garcias & Barbosa apud Gobat in *Theol. experim. tr. 8. n. 604.* quod Concilium in *cit. c. 2.* solum renovet pœnam *d. c. 2. 4. & 16. de Præbendis.*

31 XII. Denique ad licitam Ordinationem requiritur, ut Ordinandus nullâ irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu sit irretitus. Ordinari namque prohibentur aliqui ratione iterati Sacramenti irreiterabilis, ut rebaptizati & rebaptizantes, de quibus infra *tit. 16. n. 12.* aliqui ob defectum natalium, ut illegitimi & nominatim filii Presbyterorum, de quibus *tit. 17.* alii ratione statûs, ut servi, de quibus *tit. 18.* alii ratione officij, ut obligati ad ratiocinia, de quibus *tit. 19.* alii ob defectum corporalem, ut corpore vitiati, de quibus *tit. 20.* quidam propter defectum Sacramenti, ut bigami, de quibus *tit. 21.* Nonnulli propter defectum lenitatis, id est, ii, qui directè efficaciter, & propinquè concurrunt ad realem hominis occisionem, aut realem membri humani mutilationem, aut sunt causa, ut citius quis occidatur, aut mutiletur per *c. 9. Ne Clerici vel Monachi.* de quibus in *lib. V. Tit. de Homicid.*

§. V.

32 *Materia* cujusque Ordinationis, sicut aliorum Sacramentorum, duplex est, una remota, estque illa ipsa res, seu instrumentum, quod Ordinando traditur, potestatemque ei communicandam significat; altera proxima, quæ

est hujus ipsius rei, seu instrumenti traditio. Itaque materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ: Lectoratus, traditio libri continentis Divinas scripturas, aut lectiones: Exorcistatus, traditio libri exorcismorum: Acolythatus, traditio urceoli vacui, & candelabri cum cereo extincto: Subdiaconatus, traditio calicis vacui, cum patena vacua superposita: Diaconatus, traditio libri Evangeliorum, & probabiliter etiam impositio manûs Episcopi: Sacerdotij, traditio calicis cum vino & patenæ cum hostia, quæ Ordinatio datur potestas in Corpus Christi verum, seu potestas consecrandi Eucharistiam: & impositio manuum Episcopi, quæ conferret potestas in Corpus Christi mysticum, seu potestas remittendi peccata: Episcopatus denique, impositio manuum Episcopaliû super caput Ordinandi. Ita Theologi communiter

Dubium est, an sit de necessitate Sacramenti physicus contactus materiæ ab Ordinate traditæ, vel an sufficiat moralis, hoc est, ut quis manum extendat, & approximet rei potestatis cum voluntate illam tangendi? exillimo cum *S. Thom. in supplem. q. 34. a. 5. ad 3.* probabilius requiri contactum physicum: ita enim Christum instituisse colligitur tum ex determinatione materiæ palpabilis, palpabiliterque tradendæ per adjuncta verba: *accipe & c.* tum ex immemoriali praxi Ecclesiæ; quæ semper circa hunc contactum, utpote materiæ & formæ Ordinationis magis propriam magnam curam & sollicitudinem ostendit. Unde de merito Clemens VIII. iussit reordinari latetem sub conditione eos, qui à Sagienti Episcopo ostensâ tantum sibi materiâ fuerant ordinati, ut refert Ysambertus *de Sacra Ord. disp. 3. a. 8.* Non est tamen hæc sententia scrupulosè intelligenda, ita ut in Sacerdotio necesse sit hostiam & vinum immediatè attingere, sed sufficit attingere calicem & patenam: quæ enim calicem attingit, moraliter conferret

attingere vinum in eo contentum, & qui attingit patenam, censetur etiam attingere hostiam superpositam; imò sunt, qui patenæ quoque mediatum contactum in solius calicis contactu sufficere putant. Verùm in hoc omninò servanda est Rubrica Pontificalis præcipiens utriusque & calicis & patenæ contactum.

§. VI.

34 *Forma Ordinationis alia est essentialis, alia accidentalis.*

Essentialis consistit in verbis, quibus ab Ordinate inter tradendam materiam expressis significatur potestas cujusque Ordinis. Trident. sess. 23. de Ordine c. 3. *Forma autem in Ecclesia Latina usurpata in Ostiariatu sunt hæc verba: Sic age quasi rationem DEO redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur: in Lectoratu ista: accipe & esto verbi DEI relator, habiturus, si fideliter & viriliter officium tuum impleveris partem cum iis, qui verbum DEI ab initio bene ministraverunt: in Exorcistatu ista: accipe & commenda memoria, & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos. sive catechumenos, in Acolythatu, dum traditur candelabrum, ista: accipe ceterosferarium cum cetero, & scias te ad accendenda Ecclesie luminaria mancipari in nomine Domini; dum verò traduntur urceoli, hæc: accipe urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini: in Subdiaconatu ista: videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo admonéo vos, ut ita eos exhibeatis, ut DEO placere possitis: in Diaconatu ad traditionem Libri Evangeliorum ista: accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; ad impositionem manuum Episcopi autem hæc: accipite Spiritum S. ad robur & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus in nomine Domini: In Sacerdo-*

tio ad traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane ista: accipe potestatem offerendi sacrificium DEO, missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; ad impositionem manuum Episcopi hæc: accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt: in Episcopatu denique ista: accipe Spiritum Sanctum &c.

Ad formam accidentalem pertinet modus, locus, tempus & gradatio Ordinationis.

Quo ad modum attendendum est, ut in Ordinatione observentur ritus & cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ.

Quo ad locum ordinans observabit I. Ut in propria non aliena Diocesi Ordines conferat. Trident. sess. 6. de Reform. c. 5. ubi ita statuit: *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* II. ne quovis etiam loco in sua Diocesi conferat Ordines: nam idem Trident. sess. 23. de Reform. c. 8. jubet, ut Ordines conferantur in Cathedrali, vel aliàs digniore Ecclesia; usus tamen habet, ut non tantum Minores Ordines, sed etiam majores in quavis Ecclesia non interdicta administrantur, etiam in Sacello domus Episcopalis.

Circa tempus Ordinationis notandum est 36 I. Tonfuram quidem ex recepta consuetudine quovis die conferri posse, non autem ipsos Ordines: Minores enim extraordinariè die Dominico vel Festo: Majores: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus in Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, vel Sabbato sancto conferendi sunt. c. 1. 2. & 3. h. t. Episcopi autem consecratio die Dominicà fieri debet cap. 1.

dist. 75. Quod si quis extra prædicta tempora ad Sacros præsertim, seu majores Ordines promotus fuerit, valida quidem erit ordinatio, *c. 16. h. t.* ita tamen Ordinatus suspenditur ab executione Ordinum susceptorum *c. 2. 8. & 13. h. t.* & quidem ipso jure per claram constitutionem Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, & refertur à Gonzal. *in d. c. 3. h. t. n. 7.*

37 In ambiguo hæret, quisnam ab hac suspensione absolvere possit? Nam in *c. 8. & c. 13. h. t.* per verba finalia videtur ista absolutio, Pontifici reservata. Econtra in *c. 16. eod.* videtur eadem absolutio etiam Episcopis, & Archi-Episcopis, respectu suorum subditorum permessa saltem post impostam competentem pœnitentiam. Ego pro his juribus conciliandis puto dicendum: cum Gloss. *in d. c. 16.* quòd quidem juxta priores textus Episcopus vel Archi-Episcopus jure proprio, seu ordinario ab hac suspensione absolvere nequeat, benè autem tanquam delegatus Sedis Apost. delegatione clausâ in Corpore Juris scil. *cir. c. 16.* eò ipsò enim jam censetur impetrata absolutio à Sede Apostolica & consequenter verba *d. c. 8. & 13.* verificantur. Rectè tamen advertit Panorm. *in d. c. 8. n. 5.* Illi Episcopo vel Archi Episcopo hanc facultatem absolvendi non competere, qui in ordinatè extra constituta tempora ordinavit: quia non convenit Authorem delicti in eodem delicto Judicem constitui arg. *c. 3. causâ 1. q. 5. & c. 5. de Cleric. conjug.*

38 Cæterum præscripta hæc tempora non afficiunt S. Pontificem, quò minùs possit extra illa non tantum ipsemet ordinare *c. 1. & 3. h. t.* sed insuper inferiori per privilegium hanc facultatem ordinandi concedere. Pirrhing *h. t. n. 80.* & defacto Regulares quidam, præsertim Mendicantes extra tempora ex Pontificiis indulto ordinari possunt, ut videre est apud Rodriq. *qq. Regul. tom. 3. q. 23.*

a. 4. & 5. Imò cum tempora ista solum jure positivo statuta sint, consuetudine introduci poterit, ut extra ea ordines conferre & suscipere liceat: habet enim consuetudo posterior vim abrogandi legem priorem contrariam sive civilem, sive Canonicam per *c. fin. de consuet. l. 32. ff. de LL.* Nec obstat *c. 2. h. t.* ubi talis consuetudo specialiter reprobatur tanquam *institutiōi Ecclesiasticæ inimicæ*: nam videtur loqui de consuetudine nec dum perfecta & completa, ut ex sequentibus verbis apparet; deinde intelligi potest de consuetudine antecedenti, non vero consequenti: nihil siquidem impedit, etiam hoc ipsum capitulum per insequentem consequentem ex rationabili causa superveniente abrogari, eò ipsò quòd sit tantum juris positivi.

II. Circa tempus Ordinationis notandum est, quòd similiter sub pœna suspensionis prohibitum sit, ne plures Ordines majores, aut minores cum uno majore eodem die, vel duobus, etsi continuatò Jejunio, recipiantur, *c. 13. & 15. h. t.* sed per intervalla, seu interstitia unius saltem anni. Trident. *sess. 23. de Reform. c. 11. 13. & 14.* ubi tamen Episcopo ex causâ necessitatis vel utilitatis cum suis subditis dispensare permittitur, non item cum alienis, & alteri Episcopo subjectis, nisi id illi ab Ordinario ordinandi in literis dimissoriis concessum sit: quia dispensatio est actus jurisdictionis in extraneum non cadens. P. Engel *h. t. n. 20.* Potrò prima Tonsura & quatuor minores Ordines ex communi usu eodem die conferuntur; quamvis de jure rescripto etiam in iis observanda forent quædam interstitia arbitrio Episcopi determinanda. Trident. *d. c. 11.*

An verò, qui Sabbatho fuit ordinatus presbyter, sequenti statim Dominicâ possit consecrari Episcopus, controvertitur? Et affirmativam probabiliorem cenleo, cum consecratio Episcopi qualibet die Dominicâ fieri possit.

c. 5. dist. 51. adeoque etiam eâ die dominicâ, quæ immediatè sequitur post sabbathum Ordinationis generalis, cum nusquam prohibeatur. Accedit, quòd Canones & jura præallegata, dum interstitium inter Ordines sacros eidem conferendos requirunt, non de Episcopatu, sed de iis tantum Ordinibus loquantur, qui in ordinaria generali ordinatione conferri solent; ex quo proinde consequens videtur, si ob rationabilem causam continuatò jejuniò sabbathi aliquis etiam in dominica Presbyter ordinatus sit, eundem eadem die Episcopum consecrari posse, non obstante d. c. 13. h. t. prohibente aliàs, ut supra insinuatum, duos sacros Ordines eidem conferri uno die, vel in duobus diebus continuato jejunio. Layman de Sacramento Ordinis c. 8. n. 6. & alii apud ipsum. Quamvis nonnulli apud Barb. J. E. U. L. 1. c. 9. num. 42. contrarium tueantur. Quidquid sit, saltem negari nequit, quin ex dispensatione Papali licitè id fiat, teste eodem Barb. cit. n. 43.

40 Quo ad gradationem jure cautum est, ut nemo suscipiat Ordinem superiorem non habens Ordinem inferiorem, adeoque ut non ordinetur per saltum; etsi enim ordinatione per saltum (excepto Episcopatu, qui Sacerdotium essentialiter præsupponit) sit valida, est tamen illicita. c. un. dist. 52. c. 2. dist. 59. c. un. de Clerico per salt. promot. & ita ordinatus eatenus suspensus manet, ut nec officia Ordinis suscepti exercere, nec ad superiorem promoveri possit; licet tamen Episcopo cum tali dispensare, modò in ordine superiore non ministraverit ante susceptum inferiorem, ut colligunt DD. ex Trident. sess. 23. de Reform. cap. 14.

§. VII.

41 Finis Ordinationis est SS. Evcharistiæ Sacramentum & sacrificium, ad id quippe omnes Ordines ordinantur vel immediate ad illud consiciendum & offerendum, ut Sacer-

dotium; vel mediatè ad illud inserviendum vel ministrandum, ut reliqui Ordines, prout colligitur ex Trident. d. sess. 23. de Ordine c. 2.


§. VIII.

Effectus Ordinationis alii sunt immediati, alii mediati.

Immediati sunt, qui ad ipsam Ordinationem proximè consequuntur, iique duo sunt. Primus & primarius est augmentum gratiæ sanctificantis habens jus ad specialia auxilia conferenda pro ministerio Altaris, & actu proprio cujuslibet Ordinis debitè obeundo. Ratio prima partis est, quia Ordinatio est Sacramentum non mortuorum, sed vivorum, ergo ipsius proprius effectus non est prima gratia, sed secunda, hoc est augmentum gratiæ. Ratio secunda partis est, quia proprius effectus Ordinationis est gratia sacramentalis specificè distincta ab omni alia, sed per jus ad specialia auxilia actu & fini Ordinationis propria, distinguitur ab omni alia, ergo. Alter effectus immediatus minùs principalis est Character, hoc est, qualitas supernaturalis animæ indelebiter inhærens, per quam Ordinatus à non ordinatis distinguitur, & intrinsicè perficitur ad actus supernaturales Divini ministerii efficiendos. Constat ex Trident. sess. 23. de Ordine cap. 4. & ratio est: quia illa omnia Sacramenta novæ legis characterem imprimunt, quæ perpetuò sunt irreiterabilia, sed Ordinatio tam major, quàm minor est Sacramentum perpetuò irreiterabile, ergo.

Effectus mediati sunt ea, quæ ad ordinationem consequuntur, tanquam statui Clericali partim decora, partim consentanea; eaque ad duo capita revocari possunt, nempe ad privilegia & onera Clericalia. Privilegiorum appellatione tria hic veniunt I. aptitudò ad beneficia Ecclesiastica, & officia iis annexa: ut enim quis Ecclesiastici beneficii capax sit, debet saltem per primam Tonfuram in numero-

rum Clericorum esse cooptatus. Text. & Gloss. in c. 17. de Rpscript. quinam autem Ordines ad singula beneficia requirantur, dicitur infra tit. 14. II. Privilegium fori, quò Clerici iudicio seculari eximuntur, ut coram Iudice Laico conveniri non possint. c. 2. & 12. de Foro compet. & ibi Interpp. III. Privilegium Canonis, quòd scilicet Clerici sub poena excommunicationis ipsò factò incurrenda, & S. Pontifici reservata cædi, vulnerari, mutilari, occidi, violentæ manus in ipsos injici non possint c. si quis suadente 29. causâ 17. q. 4. Onerum Clericalium appellatione veniunt ea, quæ Clericis agenda, vel vitanda sunt, quæ in Decreto & Decretalibus hinc inde dispersa tam multa, ut vix numerari queant; magis tamen principalia sunt potissimum tria I. obligatio gestandi tonsuram & habitum Clericalem, quâ tenentur Clerici in majoribus constituti, & minoribus initiati, si aliquod beneficium habeant. Clem. 2. de Vita & honest. Cleric. Trid. sess. 14. de Reform. c. 6. & Canonistæ communiter in Lib. 3. Tit. 1. II. Obligatio recitandi Horas Canonicas, ad quas obligantur omnes Beneficiati, etiam si tantum in minoribus constituti, vel tantum tonsurati sint, itémque omnes Sacris insigniti, sive beneficiati sint, sive non sint, ut tradetur in Lib. III. Tit. 41. III. Obligatio perpetuè servandæ continentia, ad quam omnes majoribus condecorati, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri & Episcopi adeò tenentur, ut nec validè possint contrahere Matrimonium. Trid. Sess. 24. de Matrim. Can. 9. & t. t. Qui Clerici vel videntes, &c.



TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIA.

1. Scrutinii definitio.

2. Cujus sit examinare ordinandos. 3. & quinam examinari debeant?
4. De quibus examen instituitur?
5. An ordinandus in scrutinio occultum defectum teneatur aperire?
6. Qualiter, quando. 7. & cur scrutinium fiat?
8. 9. Quis sit effectus scrutinii?
10. Secundum scrutinium.

NE inepti ordinentur, duplex præscribitur scrutinium, seu examen: unum ante, alterum in Ordinatione.

§. I.

Scrutinium ante Ordinationem faciendum nil aliud est, quàm examen, quò in Ordinandis mores, scientiam, ætatem, natales, & alia requisita diligenter inquiritur. Colligitur ex c. 5. dist. 24. Trid. sess. 23. de Reform. c. 5. & 7. Zoël. h. t. n. 1.

§. II.

Causa efficiens hujus Scrutinii est scrutans, seu examinans; pertinet autem ad Episcopum Ordinantem vel per se, vel per alios viros à se deputatos Ordinandos examinare, per jura allegata. Unde quando Episcopus proprius subditum suum jam à se examinatum, & approbatum mittit ad alium Episcopum ordinandum, adhuc alter Episcopus examinare poterit præsertim in doctrina, ut tanto securior sit in conscientia; non tamen tenetur, ut vult Barb. sed stare potest iudicio & testimonio proprii Episcopi. Laym. ad rubr. h. t.

§. III.

Subiectum hujus Scrutinii sunt omnes ordinandi etiam Regulares: quippe omnes adveniente Ordinationis tempore scrutinium subire, & examinari debent, privilegiis quiscunque quoad hoc penitus exclusis. Trid. d. sess. 23. cap. 12. Possunt tamen Episcopi absque ullo scrupulo suam conscientiam conformare cum conscientia Prælatorum de suorum idoneitate in literis dimissorius attestantium.

Sed

Sed quid de Graduatis, Doctoribus scilicet & Licentiatibus in Theologia vel Jure Canonico dicendum? R. Quamvis nec ipsi liberi sint, quin saltem quò ad mores, & vitæ probitatem, aut similia examinari valeant; quò ad scientiam tamen teste Miranda in *Man. Pral. tom. I. q. 45. a. 9. Concl. 2.* juxta communem sententiam non debere in receptione Ordinum examinari, sicut neque in collatione beneficiorum arg. *Trid. sess. 7. de Reform. c. 13.* constituentis, ut præsentati, electi, aut nominati ad beneficia Ecclesiastica non admittantur, aut confirmentur, nisi prius fuerint à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperi exceptis iis, qui ab Universitatibus studiorum præsentati, aut nominati sunt.

§. IV.

4 *Obiectum* hujus Scrutinii sunt articuli, circa quos instituitur, debet autem juxta *d. c. 5. dist. 24.* & *Trid. d. c. 5. & 7.* institui circa genus, personam, ætatem, institutionem, doctrinam, fidem, & alia ad ordines requisita: de quibus *præced. tit.* dictum est, & partim adhuc dicitur. Interim si lubet, vide *P. Engl. h. l. n. 3. & seqq.*

5 *Quæstio* hujus loci est, an Ordinandus in Scrutinio suum impedimentum proderet teneatur? id quod omninò putaverim per textum in *c. 55. dist. 50. & c. 5. dist. 81.* Nec refert, quòd inde fortè seipsum oneraret infamiã: siquidem ad hoc non necessitate adigitur; cum ab Ordinum susceptione abstinere possit. *Gloss. in dist. c. 55. d. 50. Panorm. in c. 2. sub. n. 18. de Confessis.*

§. V.

6 *Forma* hujus Scrutinii præscribitur in *Trid.* partim in *d. c. 5.* ubi statuitur, ut ad *Minores* quidem Ordines promovendi bonum à *Parocho* & *Magistro Scholæ* testimonium habeant, si vero, qui ad singulos majores Ordines sunt assumendi, per mensem ante Ordinationem *Episcopum* adeant, qui *Parocho* aut *aliteri* com-

mittat, ut nominibus ac desiderio eorum publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vicia à fide dignis diligenter inquirat, & testimonium inquisitionis mox ad ipsum Episcopum transmittat; quæ tamen *Trid.* dispositio in Germania usu recepta non est; partim præscribitur in *d. c. 7.* ubi decernitur, ut omnes ordinandi feriã quartã ante ipsam Ordinationem vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur, Episcopus autem Sacerdotibus, aliisque prudentibus viris sibi adseitis Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter investiget, & examinet.

§. VI.

Finis hujus Scrutinii est, ut exinde de ordinandi qualitate & idoneitate ad Ordinationem constare possit; hinc si habitas ordinandi aliundè nota & perspecta sit, haud opus erit, ut ad Scrutinium vocetur arg. *c. 2. dist. 24. c. 4. dist. 47. & c. 1. dist. 49.* Quamvis *Holtiensis* videatur, semper aliquam saltem examinationem faciendam esse propter. *c. 44. de Elect.*

§. VII.

Effectus alius est Scrutinii præmissi, alius prætermissi. *Effectus* præmissi hujus Scrutinii est examinati ad Ordinationem admissio vel rejectio, prout examini satisfecerit, & in eo dignus, aut indignus repertus fuerit, *c. 5. dist. 24.* ubi monentur examinatores, ne favoris gratiã, aut cujuscunque muneris cupiditate illi indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent; quod si fecerint, & ille, qui indigne accessit, ab Altari removebitur; & illi qui donum S. Spiritus vendere conati sunt, coram DEO jam condemnati, Ecclesiastica dignitate carebunt.

Effectus prætermissi scrutinii est, quòd ordinatus, si sit ignotus, licet dignus, aut notus, sed indignus, deponi debeat. *c. ul. dist. 24. c. 55. dist.*

dist. 50. quod si verò notus & aliàs dignus fuerit, ut diximus, sine prævio examine admitti potest; furtivè tamen semet Ordinandis ingerens, & ordinari permittens suspensionem incurrit, & nequit in Ordine suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere sine dispensatione, quæ ita demum Episcopo permittitur, si non fuerit facta inhibitiò sub pœna excommunicationis, aut si furtivè ordinatus Monasterium ingrediatur, ibique laudabiliter versetur. *c. 1. & 3. de eo, qui furtivè Ordines suscep.*

§. VIII.

10 *Alterum Scrutinium*, quod in ipsa ordinatione faciendum est, & de quo agitur in *c. un. h. t.* in eo consistit, ut Episcopus in actu Ordinationis quærat, an ordinandi digni sint, ut eis Ordines conferantur? cui quæstioni olim Archi-Diaconus (ad quem spectabat Ordinandos examinare, dignosque Episcopo ad Ordines præsentare. *c. 7. de Offic. Archi-Diac.*) respondit: *quantum humana fragilitas nôsse finit, scio & testificor illos dignos esse, hodie autem quibusdam locis vel Capellanus vel Diaconus respondet Episcopo per eadem verba, P. Engl. h. t. n. 8.*

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

SUMMARIA.

1. Episcopus renuntians loco rectè confert Ordines.
2. Renuntians loco & dignitati non nisi minores conferre potest.
3. Pœna ordinati ab ejusmodi Episcopo.

Supra in tit. 1. n. 7. probavimus, Ministerium ordinarium Ordinationis esse Episcopum consecratum. Subsequitur hic quæstio: an etiam Episcopus, qui Episcopatu renuntiavit, Ordines conferre possit? quæ juxta

c. 1. h. t. sub distinctione resolvitur: an Episcopus retenta dignitate loco tantum, id est, officio & administrationi Episcopali renuntiaverit; an verò, tum loco, tum dignitati & titulo Episcopali, zelò v. g. ingrediendæ Religionis, aut metu promeritæ depositionis? Illo casu vice alterius Episcopi ab eo rogatus rectè quoslibet ordines conferret: quia renuntians manet Episcopus. *c. 2. §. sicut de Translat.* Hoc autem posteriore casu cum licentia ordinarii, seu proprii ordinandorum Episcopali licitè & validè dabit Ordines minores: hos namque qui scienter à tali Episcopo recipit, eorum executione caret, donec S. Pontifex dispensaverit. Secus est, si quis ignoranter recipiat, tunc enim (nisi crassa & supina fuerit ignorantia) Episcopus dispensare potest, sicut & cum ordinato ab Episcopo deposito vel excommunicato. *c. 2. h. t.*

TITULUS XIV.
De Ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum.

SUMMARIA.

1. Usque 3. Quæ ætas ad singula beneficia sit necessaria?
8. Hastians de legitima ætate ad beneficium nequit promoveri.
9. 10. 11. 12. In præficiendo considerantur natales
13. Genus. 14. usque 20. conditio personæ.
21. Morum probitas. 22. Scientia. 23. Integritas fidei. 24. & fama.
25. An occulto impedimento laborans possit acceptare beneficium oblatum?
26. Beneficia conferenda sunt dignioribus.
27. Laicus est incapax beneficii etsi mox primam tonsuram certò suscepturus sit.
28. Usque 35. Quis & qualis Ordo ad singula beneficia requiratur?
35. Num suscipiens simplex beneficium animo non perseverandi in statu Clericali teneatur ad restitutionem fructuum?

Cum

Cum ordinati beneficii Ecclesiasticis præficiendi sint, ideò hic de ætate, qualitate, & ordine ad singula beneficia requisitis agit.

§. I.

1 *Ætas* pro diversitate beneficiorum variat. Ad *S. Pontificatum* nulla præfinita reperitur; convenienter tamen ante 30. saltem annum non assumitur, eò quòd primum Episcopatum teneat, & munus Patris universalis subeat.

2 Ad *Cardinalatum* & *Episcopatum* exiguntur anni 30. completi *c. 7. de Elect.* juncto *Trid. sess. 24. de Reform. c. 1.*

3 Ad alia *Beneficia curata: Parochias, Decanatus, Archidiaconatus, Prioratus conventuales, Præposituras, Abbatias, & similia*, quæ curam animarum habent annexam, sufficiunt, & desiderantur 25. anni inchoati. *d. c. 7. §. inferiora. de Elect.*

4 Ad *Personatus, & ceteras dignitates*, quibus nulla animarum cura subest, non recipitur minor 22. annis. *Trid. d. sess. 24. c. 12.* eum eo tamen, qui 20. annum complevit, Episcopum dispensare posse, probabiliter tradit *Zoësius h. t. n. 2.* quia antea id concessum fuit per *c. un. h. t. in 6.* neque expressè per *Trid.* legitur revocatum.

5 Ad *beneficia simplicia, & inferiora*, licet olim suffecerit septennium, arg *c. 32. de Elect. in 6.* hodie tamen sine dispensatione Sedis Apostolicæ nullus ante annum 14. saltem inchoatum ea obtinere potest, nisi fortè in fundatione beneficii statutum sit, ut in illo etiam minor 14. annis admittatur. *Trident. sess. 23. de Reform. c. 6. & ibi Barb. n. 2.* Imò si præbenda, portio, aut Canonicatus certum Ordinem requirat necesse est, illum habeat. præficiendus; vel certè ejus ætatis sit, quâ intra annum ad ordinem requisitum promoveri queat. Quare cum de jure *Trident. d. sess. 24. c. 12.* in Ecclesiis Cathedralibus Canonici saltem Subdiaconi esse debeant,

promovendus ad minus 21. ætatis annum attingisse debet.

Denique ad *Abbatias, Prioratus, & quas- cunque Præfecturas Monialium Trident. sess. 25. de Regul. c. 7.* exigit, ut præficienda non sit minor 40. vel saltem 30. annis,posito, quòd idonea 40. annorum reperiri nequeat.

Notat verò *Garc. de Benef. p. 7. c. 4. n. 84.* adeò procedere dicta, ut provisio facta non habenti legitimam ætatem nulla sit, etsi ex ignorantia contigerit, & tantum dies defuerit, cum in his, quæ jure determinata sunt, non liceat arbitrari.

Sed quid, si ignoretur ætas ad beneficium requisita, & è duobus altercantibus neget unus, affirmet alter, cui probandi onus incumbit? breviter distinguitur: an quis primum petat; vel an defacto jam obtinuerit beneficium? illo casu, cum petens in sufficientia ætatis intentionem suam fundet, eam probare debet arg. *l. 43. ff. de Minorib. & l. 9. C. de Probat.* In hoc autem, si alius in contrarium excipiat, ipsi excipienti incumbit onus probandi, tempore provisionis fuisse defectum ætatis, quia tunc provifus habet intentionem fundatam circa ætatem. *Mascardus de Probat. vol. 2. concl. 666. n. 6.*

§. II.

Ad *qualitatem Præficiendorum Natales, 9* genus, conditio persona, morum probitas, literarum scientia, integritas fidei, & fama spectant.

Natales: Siquidem I. generaliter omnes 10 filii illegitimi ab Ecclesiasticis beneficiis submoventur, adeò, ut ad beneficia majora, præsertim curata, præter Papam à nullo, ne à Legato quidem de Latere, nisi ex speciali mandato habilitari possint. *c. fin. de filiis Presbyt. c. 1. Eod. in 6.* Ad beneficia simplicia verò licet etiam Episcopo indistinctè concedatur facultas dispensandi cum illegitimis, ad

Canonicatus tamen Ecclesiarum Cathedralium, cum post Trident. requirant ordinem sacrum, ad quem Episcopus illegitimos qualificare nequit, cum iis haud aliter dispensare poterit, quam si prius ex pontificis dispensatione ad SS. Ordines admissi sint. Vid. Less. lib. 2. de F. & F. c. 34. dub. 18. Azor. Instit. moral. p. 2. l. 6. c. 3. q. 11.

11 II. Specialiter, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur, circa filios illegitimos Clericorum constitutum est, ne in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtineant, nec in iisdem Ecclesiis quoquo modo ministrent, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, percipiant, quamvis quò ad ordines cum ipsis fuerit dispensatum. c. 2. 15. & 16. de Filiis Presbyt. Trident. sess. 25. de Reform. c. 15.

12 Imò III. filii legitimi Clericorum, puta ante Clericatum ex legitimo matrimonio nati, etsi in eadem Ecclesia cum Patre beneficia obtinere possint. c. 12. de Filiis Presbyt. Patri tamen in eodem beneficio sine dispensatione Papæ immediate succedere prohibentur, ne beneficia Ecclesiastica videantur transmitti successione quasi hæreditariâ, quam Canones oderunt in Ecclesia DEI. c. 7. 11. & 17. eod. Trident. d. sess. 25. c. 7.

13 Genus, quia SS. Canones à beneficiis excludunt natos ex genere maculato circa fidem, id est, descendentes ab hæreticis, ac fautoribus, & defensoribus eorundem, usque ad secundum gradum per lineam masculinam, & usque ad primum per fæmininam, nisi parentes eorum ante mortem pæniterint: & Ecclesiæ Catholicæ reincorporati fuerint. c. 2. §. hæretici. c. 15. de Hæret. in 7. In Germania tamen ac aliis partibus, ubi hæresis li-

centiosius grassatur, hæc constitutio circa hæreticorum liberos, si ipsi boni Catholici sint, & nihil aliud eis obsistat, recepta non videtur. Confer. Azor. d. l. 6. c. 4. q. 1.

Conditio Persona; circa quam desidero I. ut sit cœlebs: nam conjugatus ad Ecclesiastica beneficia admitti non debet; nisi forte castitatem voveat perpetuam, & qui unicam virginem habuerit uxorem, ut dicitur in c. 2. de Clericis conjug.

II. Desidero, ut sit indigena: cæteris paribus enim indigena alienigenæ, id est, oriundus non oriundo, Diœcesanus non Diœcesano præferendus est in beneficio. c. 12. & seq. dist. 61. l. 11. C. de Episcop. & Clericis. Nec immeritò: tum propter residentiam, ad quam dulcedine patriæ allecti indigenæ facilius quàm exteri inducuntur: tum ob linguæ & idiomatis similitudinem, quâ facilius communicantur ad salutem necessaria: tum quia indigenæ; & qui sunt ex eodem loco oriundi, magis amantur & coluntur à populo, quàm exteri. Ex quibus rationibus rescriptum Pontificium seu gratia subreptitia censetur, si extraneus illam impetrans suæ originis mentionem non fecerit, ut notat Glossa & Panormit. in c. 42. n. 3. de Rescriptis. quoniam si expressisset suam nationem, potuisset Papam retardare, qui credendus non est, quòd præficere velit extraneos, quàm diu indigenæ idonei reperiuntur. arg. c. 4. circa fin. de Postulat. Pralat.

III. Desidero, ut sit vel Clericus sæcularis, vel regularis pro qualitate beneficii: quoniam si beneficium sæculare & hæctenus sæcularibus Clericis conferri solitum sit, quantumvis collatio, præsentatio, vel institutio ad Abbates spectet, non potest propterea huiusmodi beneficium uni suorum Regularium conferre, sed sæculari conferendum est. c. 5. de Præbendis in 6. Econtra beneficium regulare, quòd scilicet vel ex prima fundatione, vel ex consuetudine, aut

aut præscriptione Religiosis hæcenus collatum est, ut ordinariè est Prioratus, Præpositura, Capellania Ecclesiæ Regularis, non solum potest, sed debet Religiosis conferri: neque enim Clericus sæcularis capax est beneficii regularis, nisi habitum illius Religionis, ad quam beneficium spectat, suscipere, & professionem emittere velit. Trident. sess. 14. de Reformat. c. 10. Clem. un. de Supplenda negl. Pralat. Hinc regula nata est, quod beneficia regularia regularibus, & sæcularia sæcularibus conferenda sint.

17 Excipitur: nisi vel Ecclesiæ utilitas, vel salus animarum contrarium suadeat, & unius generis defectum ex altero supplere oporteat: nam in defectu Clericorum sæcularium ad beneficia sæcularia curata Regulares quoscunque etiam sine dispensatione presentari posse & admittendos esse, evincunt. c. 5. de Statu Monach. c. 21. & 31. causa 16. q. 1. Trident. sess. 14. de Reformat. c. 11. P. Engel ad Tit. de Capellis Monach. num. 4. & seqq. ipsaque Ecclesiæ praxis. Atque inde quoque factum est, quod olim multæ Parochiæ fuerint Monasteriis incorporatæ etiam cum libera impostero facultate exponendi Clericos sæculares vel regulares. Similiter fieri potest, ut in defectu Regularium ad beneficia regularia Clerici sæculares promoveantur. c. 5. de Religiosis domib. observato tamen certo ordine: nimirum, ut beneficia Regularia imprimis conferantur ejusdem cœnobii Religiosis, si idonei adsint. c. 32. §. prohibemus de Præbend. in 6. sin minus, advocentur alterius Monasterii Religiosi ejusdem ordinis; quodsi & illi deficient, substituantur alterius Ordinis; & tandem deficientibus omnibus Regularibus Clerici sæculares. Tambur. de Jure Abbat. tom. 3. disp. 9. q. 6. n. 7. & communiter DD. idque satis probatur ex c. relatum 7. Ne Clerici vel Monachi. ubi statuitur, casu quo aliquando Religiosi propter

indisciplinam vitam è monasterio suo ejici mereantur, quod in illud non prius alterius Ordinis Religiosi inducendi sint, quam si ex suo Ordine assumptis aliunde Religiosis Monasterium reformari nequeat.

18 Frequens in praxi, & connexa quæstio est, an Religiosus à suo Pralato compelli possit ad acceptandam Parochiam, vel aliud beneficium? In qua distingendum est inter beneficia. Etenim si beneficium vel Parochia pleno jure Monasterio incorporata sit, adeoque provisio ejusdem immediatè ad Monasterium spectet, ac in ejus commune bonum redundet; sicuti ordinariè finis hujusmodi incorporationum & unionum est, ut Religiosi in Monasterio aliquid lucri percipiant, aut in majori numero DEO servire possint, hoc, inquam, casu omnino Religiosus cogi poterit, & jubente Abbate ex obedientia tenebitur acceptare tale beneficium, etsi redditus tenues habeat, modò in alimentis necessariis defectum pati non debeat: quia Religiosus tenetur obedire Abbati in omnibus, quæ vel ad observantiam regulæ, vel ad bonum commune Monasterii pertinent, teste D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. Econtra si beneficium vel omnino sæculare, vel regulare quidem sit, sed ad alium Ordinem, vel Monasterium spectet, ad id suscipiendum cogi nequit, ut cum pluribus docet Tamburin. d. disp. 9. q. 9.

19 IV. In persona præficienda desidero, ut prius non habeat aliud beneficium: habens enim unum certum beneficium eo ipso inhabilis censetur ad aliud obtinendum juxta c. 6. 7. 14. 15. 18. & 28. de Præbend. & præsertim juxta extravag. execrabilis Joann. XXII. Eod. item Trident. sess. 24. de Reformat. c. 17. Cum quo tamen hæc non pugnat, quin in certis casibus ob circumstantias & rationes particulares per dispensationem, vel etiam sine dispensatione uni eidemque plura beneficia con-

ferri queant, saltem si compatible sint, ut dicemus in *Lib. III. tit. 5. §. 3.*

20 V. Desidero, ut sit immunis ab omni irregularitate, & censura, nempe excommunicatione, suspensione, & interdicto personali. *c. is, qui 18. §. is verò de Sentent. excomm. in 6. c. 1. & fin. de Clerico excomm. Latè Zoëf. de Prabendis à n. 44.*

21 *Morum probitas* à beneficiis submovet criminosos, id est, talis criminis reos, quod depositionem meretur, vel infamiâ notatur, vel censuram, aut irregularitatem inducit, vel ad Judicem per accusationem, deauntiationem, vel inquisitionem est delatum, vel quodlibet aliud peccatum grave publicum, ob quod delinquens in aliorum offenssionem incurrit, si necdum publicè emendatum sit. *c. 3. §. criminis autem & ibi Gloss. V. unde dist. 25. c. 17. causâ 6. q. 1. c. fin. de Cohabit. Cleric. & mul.* Nam licet quodvis peccatum grave occultum impediât etiam à promotione ad beneficia, cum sit indignus, quamdiu in eo persistit, ipsa tamen promotio seu collatio beneficii non est ipso jure irrita; cum per pœnitentiam tolli possit, & nullus Canon existat irritans adeptionem beneficii ob peccatum occultum. *Conf. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 6. c. 7. q. 1. & 11. & ea quæ supra in Tit. de Elect. §. 4. n. 39. & seqq. diximus,*

22 *Literarum scientia* repellit illiteratos *c. fin. & ibi Gonzal. n. 4. & §. b. r.* Si enim in Laicis vix tollerabilis videtur inciticia, quantò magis in iis, qui præsumunt in Ecclesia *c. si in Laicis 3. dist. 38.* Eâ autem doctrinâ pollere debent, quæ necessaria est ad executionem officii, quòd cum beneficio recipiunt: unde Episcopus, Pœnitentiarios, Scholasticos, & Archidiaconos, ubi fieri potest, oportet esse Doctores aut Licentiatos S. Theologiæ, vel Juris Canonici; aut saltem habere sufficiens doctrinæ testimonium ab aliqua Academia, vel si regulares sint, à suis Superioribus. Tri-

dent. *de Reform. sess. 22. c. 2. sess. 23. c. 18. §. de cœtero sess. 24. c. 8. & 12.* Ubi etiam hortatur S. Synodus, ut dignitates omnes & dimidia saltem pars Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus Magistris tantum & Doctoribus aut Licentiatibus in Theologia vel Jure Canonico conferantur; quæ admonitio si in praxi observaretur, haberent utique multi Doctores, quod sperarent. An verò Theologus in promotione ad Beneficia & dignitates Ecclesiasticas sit præferendus Canonistæ, vel hic illi in utramque partem disputatur. Ego licet meam non facio.

Integritas fidei in præficiendo requirit, ne sit neophytus, id est, ex Judaismo, & paganismo recenter ad fidem Christianam conversus, & baptizatus. *c. 1. dist. 48.* qui tamen, postquam moribus & disciplinâ Christianâ sufficienter instructus fuerit, præfici poterit: nam sicut tempore infidelitatis extra jurisdictionem Ecclesiæ constitutus defectu baptismi ob infidelitatem puniri non poterat, ita nec post susceptum baptismum & post completam instructionem in fide & moribus impediri debet à Beneficiis.

Fama: enim verò apud omnes liquet, infamem ad Beneficia assumi non posse per *c. infames 17. causâ 6. q. 1. c. 11. de Excess. Prælat. c. 87. de R. J. in 6.* Et certè cum ad sæculares honores infamibus non pateat aditus. *l. 2. C. de Dignitatib.* multò minùs admitti debent ad Ecclesiasticas, ac Cœlestes dignitates. *c. miramur 5. dist. 61.* idque verum est, sive sint infames infamiâ juris, id est per legem vel sententiam Judicis inflictâ; sive infamii facti, seu populari ob publicam noticiam committi criminis. *Azor. d. l. 6. c. 7. q. 3.*

Denique cum ad beneficia Ecclesiastica, præsertim majora tantum admittantur in Ordinibus constituti, ideo eadem qualitates, quas in *Tit. de Temporib. Ordinat. §. 4. in or-*

dinando requisivimus, etiam in præficiendis requisitæ intelliguntur per *c. 13. h. t.*

25 *Dubitari* non nihil potest, si occulta sit irregularitas, vel inhabilitas, ob quam quis præfici nequit, an absque dispensatione liceat oblatum beneficium acceptare, ac retinere? Id quod nego per *Text. in c. 20. de Elect.* ubi de illegitimo electo S. Pontifex dicit, eum maluisse suum confiteri reatum, quàm *lasâ conscientia thronum conscendere pastoralem*. Cujus ratio est: quia Canones constituentes hujusmodi impedimenta sunt iusti in foro externo, consequenter etiam in interno. Neque hinc sequitur, quòd quis seipsum infamare debeat, cum possit beneficium non petere, aut oblatum repudiare, saltem ordinariè loquendo. Quod addo: quia non negandum, fieri posse, ut beneficium alicui deferatur, quòd facile non possit recusare, nec occultam inhabilitatem aliquam sine infamatione sui manifestare: quo casu probabiliter licet statim accipere beneficium, & tum datâ occasione dispensationem impetrare, eò quòd Canones, & constitutiones Ecclesiasticæ non obligent ordinariè cum tanto incommodo. Confer. P. Engel *ad Tit. de Præbend. n. 63.* & Layman *in 99. can. de Prælat. Elect. q. 59.*

26 Cæterum ex pluribus idoneis magis idoneus præficiendus est sine acceptatione personarum, nec habitâ ratione cognationis, aut notabilitatis. *c. penult. de Præbend. c. un. Ut Ecclesiast. benef. sine dimin. confer. Trident. sess. 24. de Ref. c. 1.* Si tamen cum nobilitate, aut cognatione merita concurrant, nihil vitii est, nobilem ignobili, cognatum externo præferre. Quin etiam promotio ex carnali affectu facta de digno omisso digniore subsistit, & nec promovens, nec promotus ad restitutionem tenetur præterito, utpotè cui nihil juris erat ad beneficium. *Covar. in Regula peccatum p. 2. §. 3. n. 6.*

S. III.

Quod ad *Ordinem* præficiendorum attinet, certum est, quod nemo sine Clericatu, seu prima saltem Tonsura ad beneficia promoveri queat. *c. ex literis 6. de Transact. c. 2. de Instit.* nam Laici omnium beneficiorum Ecclesiasticorum incapaces sunt propter spirituale officium & ministerium semper & ex natura rei beneficiis annexum. *c. fin. de Rescript. in 6.*

Num verò valeat beneficii impetratio & adeptio, si consequens tempore collationis adhuc quidem Laicus, sed mox primam Tonsuram recepturus sit, ambigitur? Siquidem cinctus miles censetur; qui confestim est miles cingendus per *l. filiusfam. 43. ff. de Militari testam.* ideòque etiam nunc pro Clerico videatur habendus, qui Clericus statim evadeat. At magis est, ut censeam non valere: cum namque ab initio, utpotè Laico facta, non valeat juxta *jura allegata*, consequenter lapsu temporis convalescere non potest; quia non firmatur tractu temporis, quod jure ab initio non subsistit *c. 18. de R. F. in 6.* Neque in substantialibus cingendus habetur pro cincto; alioquin enim cras v. g. ab excommunicatione certò absolvendus, hodie quo ad effectus juris pro absoluto habendus esset, quod nemo concedit. *Vallensis h. t. §. 3. n. 8. in fine.*

Potè ad Episcopatum requiritur, ut eligendus sacrò saltem Subdiaconatùs Ordine 6. mensibus ante electionem initiatus fuerit. *c. 9. h. t. Trident. sess. 22. de Reform. c. 2.* Ad alias Prælaturas inferiores, ut Abbatias, etiam non sit necessarium, ut promovendus actu aliquem sacrum Ordinem habeat. *c. 10. h. t.* requiritur tamen, ut intra annum numerandum à die adeptæ possessionis Sacerdotium suscipiat, aliàs ipso facto privatus existat. *Text. & Barb. in c. 1. h. t.* ubi id ipsum non tantum ad Abbates, sed etiam ad Præpositos,

Decanos & Archi-Presbyteros extenditur; sicut & ad Priores Conventuales, per *Clem. ne in agro 1. §. ceterum de Statu Monach.*

31 itemque ad Parochos *c. licet 14. & c. commissa 35. de Elect. in 6.* adeo quidem, ut si intra annum a die commissi sibi Regimini ad Sacerdotium non ascenderit, Ecclesia sibi commissâ, nulla etiam præmissa monitione, & ita ipso facto ante sententiam Iudicis privati sint, nisi fortè, (quod *ibidem* adicitur) legitimò impedimentò detenti ad Sacerdotium volentes pervenire nequiverint. Imò is, qui ab initio parochiale beneficium suscipit animò intra annum non recipiendi Sacerdotium, non tantum mortaliter peccat, sed ad restitutionem quoque omnium fructuum perceptorum tenetur. *d. c. 35. §. ceterum de Elect. in 6. Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 8.*

324. 10. & c. 9. per tot. Planè actu in Parocho, dum Parochiale beneficium in titulum suscipit, sufficit Subdiaconatus; & in Minoribus quoque tantum constituto dispensativè Parochia in titulum dari potest, modò habilis sit, ut intra annum Sacerdos fieri possit. *c. 5. h. e. c. 2. de Instit. in 6.* Notanter dixi: in titulum: quia in commendam dari non posse Ecclesiam parochialem, non constitutis in Sacerdotio, textus est expressus in *c. nemo 15. de Elect. in 6.*

333 Ad reliqua Beneficia, præsertim simplicia nullus certus Ordo actu requiritur, sed sufficit prima tonsura. Nec obstat, quòd Canonici Beneficiis simplicibus annumerentur, & tamen in Trident. *sess. 24. de Reform. c. 12.* statutum reperitur, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonici ac portiones annexum habeant Ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus, ita ut dimidia saltem pars Canonicorum Presbyterii sint, ceteri verò Diaconi vel Subdiaconi: nam licet beneficium aliquod ex institutione vel statuto requirat certum aliquem Ordinem,

attamen semper necesse non est, ut promovendus actu habeat illum ordinem, quem beneficium exigit, sed satis est de Jure communi, si intra annum justo impedimento cessante se promoveri faciat ad ejusmodi Ordinem. *Clem. 2. h. e. & confirmat Trid. sess. 22. de Reform. c. 4.* ubi præcipit, ut ii, qui dignitates, personatus, &c. obtinent, aut imposterum obtinebunt, quibus onera varia annexa sunt, videlicet, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos. Notat verò Layman in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 14. n. 2.* dicta procedere, nisi aliud exprimat, aut ex fundatione, vel etiam ex statuto, aut consuetudine speciali requiratur, ut quis tempore promotionis actu habeat Ordinem beneficio annexum. Et hoc est, quòd etiam docet noster Panormit. in *c. cum in cunctis. §. inferior a. n. 10. de Elect.* his verbis: *Si beneficium habeat Ordinem annexum, si illa annexio est respectu aptitudinis, requiritur, ut promovendus tempore sua promotionis habeat eam aetatem, ut infra annum possit ad illum Ordinem ascendere, non tamen requiritur, ut actu habeat illum Ordinem.* Aliquando verò est annexio respectu actus, & tunc necessario requiritur, ut qui promovetur, tempore promotionis actu illum Ordinem habeat. Undè autem colligi possit, an actu, vel, ut ita dicam, aptitudinaliter tantum Beneficio annexus sit Ordo. Vid. Vallens. *b. 1. §. 3. num. 5. in fine.*

Lubet subjungere, an teneatur ad restitutionem fructuum, qui simplex beneficium, v.g. Canoniatum accipit cum intentione determinata non manendi in Statu Ecclesiastico, nec ordinem suo muneri necessarium suscipiendi? Existimaveris cum Gabriele in *4. dist. 15. q. 8. a. 3. dubio. 1.* teneri: quia licet *d. c. commissa 35. §. ceterum de Elect.*

in 6. solum decernat, ut qui ad Parochialem Ecclesiam promoventur, cum tamen animo proponant ad Sacerdotium intra annum non ascendere, restituant fructus, quos intetum ex beneficio perceperint, tamen ratio in textu tradita, nempe fraudulenter recipi fructus non habita intentione recipiendi ordines, procedit etiam in beneficio simplici: neque enim in simili casu adest justus titulus percipiendi, & sibi appropriandi fructus ex beneficio, dum suscipitur contra mentem Fundatoris & Collatoris. Nihilominus probabile puto, eum, qui beneficium simplex accipit eò tantum animo, ut ejus fructibus alatur, ut opulentam postea ducat uxorem, &c. non obligari ad restitutionem fructuum, si interim suo muneri satisfacit, sive per se, sive per alium: cum nusquam in jure id statutum sit. Neque dispositio *c. commissa*, extra suum casum extendi debet, sed mitius & benignius est interpretanda, ita ut in cæteris Beneficiis *locum non obtineat*; maximè quòd multò levius delictum sit, recipere beneficia simplicia absque intentione assumendi Ordines sacros, & cum voluntate relinquendi statum Clericalem, quàm Parochialia. Ita Sotus lib. 10. de Just. q. 5. art. 6. concl. 1. Zoëus ad Tit. de prebend. num. 33. & alii.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

SUMMARIA.

1. Quid sit sacra Unctio?
2. Quis possit ungere? 3. usque 17. Quis ungi?
10. Hesitans an fuerit confirmatus, denuò sub conditione confirmari potest.
11. Agrotanti non est applicanda extrema Unctio, nisi ad sit probabile periculum vite.
13. Si dubitetur, an ager adhuc vivat, sub conditione danda est S. Unctio.

17. Materia unctionis est oleum sacrum.

18. Lyrum Chrisma sit de substantia Sacramenti confirmationis.

19. Oleum profanum commixtum sacro, sit sacrum, licet in majori quantitate commixtum sit.

20. Forma & solemnitates S. Unctionis remissivæ?

21. Effectus S. Unctionis.

Juxta antiquissimam Ecclesiæ cæremoniam in Ordinandis & præficiendis nonnunquam adhibetur sacra Unctio; nec alia ratio est, cur hoc loco titulus iste inferatur.

§. I.

Definitur sacra Unctio, quòd sit delibutio facta per materiale & sacrum Oleum juxta formam ab Ecclesia præscriptam.

§. II.

Causa efficiens sacre Unctionis est Minister inungens, puta S. Pontifex, Episcopus, Presbyter, vel alius unguendi potestatem habens. Colligitur ex *c. un. §. per frontis. h. t.*

§. III.

Subjectum sacre Unctionis est inungendus. Solent autem inungi Papa, Episcopus, Sacerdos, Imperator, & Reges, Baptizandus, Confirmandus, Infirmus, Ecclesia, Altare, & Calix.

Papa Chrismate ungitur in capite: quia personam Capitis, scil. Christum in Pontificali officio repræsentat. *c. un. §. unde in fin. h. t.*

Episcopus itidem Chrismate inungitur à Metropolitano vel Papa in capite & manibus *d. c. un. §. scire x. hoc unguento.*

Sacerdos inungitur ab Episcopo in ambabus manibus simul junctis in modum crucis, & cum oleo Catechumenorum. Pontificale Rom. de Ordinat. Presbyteri. Hostiensis in Summa h. t. n. 3.

Imperator & Reges in veteri quidem Testamento inungebantur in capite, at post adventum Christi, (qui est Caput totius Ecclesiæ, cujusque personam representant summi

Pon-

Pontifices & Episcopi) oleo Catechumenorum solum inunguntur in dextro brachio, sive humero vel in armo: quia in his partibus potissimum designatur principatus juxta illud Isaia. 9. *factus est principatus super humerum ejus d. c. un. §. unde.* Et quidem Imperator & Rex Romanus inungitur à S. Pontifice, vel ab alio Episcopo, quem is delegaverit. *c. venerabilem 34. de Elect.* Reges Hierosolymitanos solet ungere Patriarcha Jerosolymitanus: Reges Franciæ Archi-Episcopus Rhenensis: Angliæ Archi-Episcopus Cantuariensis: Bohemiæ Archi-Episcopus Pragensis: alios alii Metropolitanus, vel Episcopi, aut Cardinales, quos vel S. Pontifex delegat, vel qui longævâ consuetudine aut constitutione speciali regni hanc prærogativam sunt adepti. Barthol. Cartagena *in h. t. observ. 2.* Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 10. c. 5. §. 2.*

8 *Baptizandus* quater inungitur à Sacerdote baptizante: bis ante Baptismum oleo catechumenorum; primum in pectore, deinde inter scapulas: & bis post Baptismum Chrismate sacro: primum in vertice, demum in fronte *d. c. un. §. quia verò h. t.* ubi harum unctionum ratio, & cur in dictis partibus fiant, redditur.

9 *Confirmandus* Chrismate inungitur in fronte facto signo crucis sub præscripta verborum forma. Etsi verò solus Episcopus sit Minister Ordinarius hujus unctionis, ut apertè deciditur *in sepe d. c. un. §. per frontis.* ex delegatione tamen S. Pontificis ob causam rationabilem etiam per simplicem Sacerdotem administrari posse, satis constat ex *c. 1. dist. 85.* ubi Papa Gregorius M. ait: se concedere, ut Presbyteri ad evitandum scandalum, ubi desunt Episcopi, baptizatos in fronte Chrismate inungere possint.

10 Num hæsitans, an fuerit confirmatus necne, denuò Chrismate inungi, & sub conditione confirmari possit, ambigitur? Affirmo

cum Bonacina *de Sacram. dist. 3. q. un. p. 4. n. 10.* nam cum vi Sacramenti Confirmationis conferatur gratiæ plenitudo, & robur ad fidem contra Tyrannos tuendam, tanto fructu privandus non erit, qui pensatis omnibus anceps est, illudne receperit, vel non: maxime, quia conditionalis collatio tollit omne periculum invaliditatis, quatenus intentio Ministri est, non conferre Sacramentum, si confirmandus illud receperit. Non tamen negaverim, majus dubium requiri ad reiterandum etiam sub conditione hoc Sacramentum, quam illud Baptismi: quippe cum ex una parte Sacramentum confirmationis sit reiterabile, sicut Baptismus, & ex alia parte sit minoris necessitatis. Unde licet ad rebaptizandum sub conditione sufficiat quodcunque leve dubium, modò sit irrationabile, non tamen sufficit ad reiterandam confirmationem.

Infirmus & periculosò morbò oppressus, quando recipit extremam unctionem, oleo infirmorum inungitur in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, & more quarundam Ecclesiarum etiam in renibus, scapulis & pedibus. Vallensis *h. t. §. 3. n. 3.* Debet autem hæc Unctio fieri à Sacerdote, vel ab Episcopo juxta *c. illud dist. 95.* & Trident. *sess. 14. de Sacram. Extrema Unct. cap. 3. & can. 4.*

Dubitatur I. licitène ægrotans perungatur si de ejus vitæ periculo probabile iudicium ferri nequeat? & quamvis sint, qui in tali casu Sacramentum extremæ unctionis sub conditione: *si es capax &c.* conferendum existiment, eò quòd hoc pacto nulla irreverentia Sacramento fieret, & conditione positâ periculo irritationis non exponeretur, ægrotusque sufficeret adjuvaretur, si fortè in periculo mortis sit constitutus; verior tamen videtur sententia Layman. *lib. 5. tit. 8. c. 4. n. 4.* Qui negat in tali dubio Sacramentum esse applicandum: quia si infirmitas est talis ut probabile vitæ periculum non comiteretur, signum

signatum est, non esse talem, quæ Sacramentum hoc differri aliquantulum non permittat, ad hoc, ut ipsius infirmitatis progressu innotescat status ægroti, & iudicium de ipsa infirmitate à Medicis, seu aliis peritis certius ferri valeat, dilatione enim omnia ista componuntur. Interim, cum infirmi salus non periclitetur, adeoque nulla necessitas urgeat, non decet, ut Sacramentum hoc conditionatè conferatur. Ex quo ruit fundamentum contrariæ opinionis: hoc ipso namque Sacramento irreverentia irrogaretur, si absque sufficiente necessitate sub conditione applicaretur. Planè si ægritudinis conditiones tales sint, ut possint probabile indicium, timoremque de periculo mortis generare, licitè ministrabitur S. Unctio, ut insinuat Florentinum in *Decreto Eugenii*, cum ait, *dari debere eis, de quorum morte timeatur.*

13. *Dubitat. II.* An ægroti in dubio, num vivat, sub conditione Sacramentum extremæ unctionis conferendum sit? Ratio dubitandi est: quia ex una parte hoc Sacramentum non est necessarium, ut medium ad salutem, ex alia verò parte, si ille Sacramentaliter inungatur, exponitur periculo irritum faciendi Sacramentum, cum, si revera infirmus ille sit mortuus, frustra applicetur unctio. Nihilominus communis sententia sustinet, talem ægrotum sub conditione liniendum esse. Bonacina *de Sacram. dist. 7. q. 5. n. 9.* Siquidem etiam si demus ægrotum Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ adjutum esse, vi hujus tamen Sacramenti speciales causantur effectus, quos alia Sacramenta non tribuunt, quosve explicat Trident. *sess. 14. de Extrem. Unct. c. 2.* ergo, ne iisdem infirmus privetur, præsertim in eo articulo, charitas impellit, ut illi hæc viâ succurratur. Taceo, quòd, si forsitan talis ægrotus mortali culpæ obnoxius, de eaque solum attritus foret, sine hoc Sacramento mortuus damnaretur, adhibito autem ob causatâ

gratiam sanctificantem deletâ illâ culpâ salvaretur. Ad rationem dubitandi respondeo; quamvis hoc Sacramentum ex sui institutione non sit medium necessarium ad salutem, cum tamen tot bona infirmis afferat, magis præponderat charitas, ut casu illo subveniamus, quàm illud periculum irritationis, facile evitabile, si conditionatè Unctio sacra peragatur.

Ecclesia ab Episcopo in parietibus christi-
mate inungitur, cum dedicatur *d. c. un. s. ungitur. h. r. c. quævis dist. 68. c. nemo dist. 1. de Consecrat. in parietibus*, inquam, unde, quod obiter hic noto, si tectum, fornix, tabulatum &c. decidant, non est opus, consecrationem repetere, *c. ligneis de Consecrat. Eccles.* Secus, si parietes corruant, comburantur, abradantur, aut decrustentur, vel penitus vel saltem ex majori parte. *c. Eccles. dist. 1. de Consecr.* Et ratio est: quia teste P. anorm. in *c. proposuisti de Consecr. Eccles.* consecratio velut in subjecto consistit in superficie parietum, qui chrismate liniuntur.

Altare, cum consecratur, ab Episcopo in-
ungitur prius oleo simplici, & deinde chris-
mate in cornibus. *c. 32. dist. 1. de Consecrat.* Hinc si frangantur illa cornua, juxta multorum sententiam altare desinit esse sacrum. Dissentit Layman in *Theol. Mor. de Sacrificio missæ c. 6. n. 5.* eò quòd consecratio intelligatur inesse toti Altari, & in majori ejus parte capiendi calici idonea conservari.

Denique *Calix*, quando ab Episcopo, aliò-
ve privilegiato benedicitur, chrismate jungitur in superficie. Ex quo aliqui probabiliter concludunt, ipsaque praxi receptum esse testatur Layman, quòd calix argenteus, si post consecrationem in auretur, consecrationem amittat, & de novo consecrari debeat. Azor. *Instit. Moral. p. 1. lib. 10. c. 28.* sicut & tunc, quando calix à principio inauratus, postea auro per usum amisso, rursus interius deauratur,

P

ma-

maximè quò ad illam superficiem, quà tangit sacrum sanguinem. P. Engl. *ad Tit. de Consecrat. Ecclesia n. 6. Quamvis Diana p. 2. tr. 15. resol. 3.* Æquè probabiliter contrarium defendat.

17 *Materia sacre Unctionis est oleum sacrum & benedictum.* Triplex autem oleum distinguitur, scil. oleum Catechumenorum, quod præcipuè inservit in Baptismo; oleum Infirmorum, quod inservit in Extrema Unctione; & Chrisma, quod adhibetur etiam in Baptismate, in Confirmatione, in Consecratione Episcopi, Altarium, Calicum, & Ecclesiæ. Priora duo materialiter, & in substantia non differunt, cum sint simplex oleum olivarum ab Episcopo benedictum, diversis tamen & specialibus benedictionibus. Unde si Sacerdos casu & per errorem oleo Catechumenorum ungeret infirmum, Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferretur, nihilque repetendum esset. Chrisma verò etiam conficitur ab Episcopo, sed ex oleo simul & balsamo.

18 Illud hic indagandum est; num Chrisma sit de substantia, & necessitate Sacramenti Confirmationis? Affirmant Theologi cum D. Thom. p. 3. q. 72. a. 2. Negant. Covar. l. 1. P. R. c. 10. n. 4. Navar. in Man. c. 22. n. 8. aliique complures; quos sequor; quia Innocent. III. in c. 1. de Sacr. non iterandis, disertè rescribit, in casu, quo confirmandus solò oleo unctus est, *non esse aliquid iterandum* (sicut tamen iterari deberet, si Confirmatio laboraret substantiali defectu, & consequenter nulla foret) *sed tantum cautè suppleendum, quòd incautè fuerat prætermissum.* Accedit, quòd S. Pontifex iisdem verbis respondeat ad casum propositum, & ad illum, quo sine impositione manuum fuit quis Subdiaconus ordinatus; atqui iste defectus in Subdiaconatu tantum est accidentalis, non immutans materiam, aut formam substantialem.

ut patet. Ergo idem dicendum erit de casu proposito; præsertim cum in cit. c. 1. Papa in plurali & ad utrumque casum rescribat, non verò tantum de Subdiaconatu loquatur. Ea, quæ pro contraria sententia à Theologis adducuntur, & Chrisma requirere videntur, convenienter intelligi possunt de necessitate præcepti.

Quid verò illud est, quod Pontifex jubet suppleri? non hoc, ut unctus oleo, jam etiam ungetur balsamò: quia non fuit à Christo institutum, nec unquam in Ecclesia usitatum, ut quis solo balsamo ungeretur. Ergo hoc, ut jam ungetur Chrismate. Quomodo autem sine nova unctione, adeoque iteratione Confirmationis Chrisma applicari poterit? Iterationem impediendam esse per intentionem confirmantis: si nempe postmodum, inunctio fiat cum Chrismate ex intentione tantum supplendi defectum, non verò absolute conferendi, vel iterandi Sacramentum.

Cæterum adverte, quòd, tametsi oleo sacro affundatur oleum profanum, illud per hoc non excretur, sed hoc per illud sacrum fiat. c. 3. de Consecrat. Eccles. vel alt. Quod & de commixtione aquæ benedictæ cum profano docuit Diana p. 11. tr. 3. resol. 15. Ne tamen autumes hinc sequi, quòd etiam vinum non consecratum admixtum cum consecrato transeat in sanguinem Domini: Dispar enim est ratio; quia vis convertendi vinum in sanguinem Christi non est concessa mixtioni, sed verbis Consecrationis, quæ non operantur, nisi quando proferantur physicè, & circa materiam tunc præsentem; nec est simile in aqua & oleo benedicto: cum illa benedictio nullam immutationem faciat in substantia aquæ, aut olei, sicut facit consecratio circa vinum S. Thom. 3. p. q. 77. a. 8.

Sed quid si oleo consecrato admisceatur major quantitas olei non consecrati, fietne tunc quoque totum sacrum? in negativam

propendet Diana *d. resol. 15.* Ego pronior sum in affirmativam, eò quòd virtus & dignitas partis sacræ trahat ad se totum non sacrum, modò sit ejusdem speciei: nam juxta rectam Philosophiam, quando duo liquores, qui admiscuntur, sunt ejusdem speciei, habentque qualitates valde similes ejusdem virtutis, & vigoris, ut duo vina alba, vel duo olea, ex admixtione nulla fit corruptio, nec resultat aliud quod tertium, sed unio duntaxat & continuatio illarum partium. Consultum tamen est, ut oleum profanum non statim in æquali, aut majori quantitate consecrato admisceatur, sed ut additio sensim fiat: tunc enim semper censetur idem esse, quod immediatè ante fuit.

§. V.

20 *Forma sacræ Unctionis alia est essentialis, alia accidentalis. Essentialis stat in solenni illa verborum conceptione, quibus Episcopus vel Presbyter in unguendo utitur. Accidentalitatis consistit in modo, cæremoniis, & solennitatibus harum inunctionum; quæ ex Pontificali Romano & Ecclesiæ praxi desumi possunt.*

§. VI.

21 *Finis & Effectus sacræ Unctionis pro eisdem diversitate variat. Potissimus autem & potentissimus est augmentum Divinæ gratiæ ad exequendum rectius ea, quæ cujusque Ordinatio, dignitas & conditio requirit; vel arrestatio diabolicæ potestatis.*



TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIA.

1. Sacramenti definitio. 2. 3. & divisio.
4. Sacramentorum Author est Christus.
5. Minister ordinarius. 6. & subiectum homo fitator.

7. *Qua materia. 8. Qua forma. 9. Quis finis Sacramentorum?*

10. *Effectus Sacramentorum.*

11. *Baptismus Confirmatio, & Ordo impune non iterantur. 12. Nisi prudenter dubitetur, an Valide collati sint.*

PORRò quia Ordo est Sacramentum, quod iterari nequit, ideò in genere hic agitur de Sacramentis Novæ-Legis, eorùmque iteratione.

§. I.

Definitur Sacramentum, quòd sit invisibilis gratiæ visibilis forma. 6. sacrificium 32. de Consecrat. dist. 2. Vel explicatius: quòd sit sensibile signum invisibilis gratiæ ad nostram justificationem divinitus institutum.

§. II.

Dividuntur Sacramenta Novæ Legis juxta præsentem Rubricam in iterabilia, & initerabilia. Iterabilia, quæ scilicet sapiùs suscipi possunt, sunt quatuor: Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium. quia hæc solum conferunt gratiam facillè amissibilem, ideòque reiteratione Sacramenti recuperabilem. Initerabilia sunt tria: Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Quia hæc ultra gratiam sanctificantem etiam imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis. Trident. sess. 7. de Sacrament. in gen. can. 9.

II. Dividi solent in Sacramenta mortuorum & vivorum. Sacramenta mortuorum sunt duo: Baptismus & Pœnitentia: quia per se conferunt gratiam primam, adeòque profunt homini spiritualiter mortuo in peccato mortali, originali, vel actuali. Per accidens tamen hæc Sacramenta sæpe conferunt gratiam secundam. Sacramenta vivorum sunt quinque: Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium: quia per se conferunt gratiam secundam, seu augmentum gratiæ præexistentis; adeòque profunt solum homini jam vivo spiritualiter, seu existenti in statu gratiæ, quamvis eadem per

P 2

acci-

accidens quandoque conferant gratiam primam. Ita Theologi omnes.

§. III.

4 *Causa efficiens* Sacramentorum Novæ Legis est vel principalis, vel instrumentalis.

Principalis est Christus, ipsum namque omnia Sacramenta instituisse, est de fide sæpius definitum in Trident. *sess. 5. 6. 7. 13. 14.* præsertim verò *sess. 7. de Sacram. in gen. can. 1.* ubi dicitur anathema in eos, qui dicunt Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta.

5 *Instrumentalis* est Minister. Est autem minister Ordinarius Sacramentorum solus homo viator non tamen omnis, sed qui ad hoc in Ecclesia ritè ordinatur & potestatem accipit. *Prima pars* colligitur ex facto Christi, qui *Matth. ultimò* solis hominibus viatoribus dedit potestatem baptizandi; & *Luc. 22.* conficiendi Evcharistiam; & *Joan. 20.* remittendi peccata. *Secunda pars* constat tum ex Trident. *d. sess. 7. Can. 10.* ubi damnatur, qui dixerit, Christianos omnes in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: tum ex communi sensu DD. & praxi Ecclesiæ, quâ docemur, etsi quilibet homo sit sufficiens minister Baptismi propter summam ejus necessitatem, & matrimonii ipsi contrahentes, ordinarium tamen Confirmationis, & Ordinis ministrum esse solum Episcopum, ministrum verò Evcharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis solum esse Sacerdotem.

§. IV.

6 *Subjectum* Sacramentorum est homo viator: omnis quidem respectu Baptismi: respectu verò reliquorum solum baptizatus: cum Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum. *c. 2. de Cognat. spiritali in 6.* Requiritur tamen præterea ad Sacramentum Ordinis in suscipiente sexus masculinus, ut supra *Tit. 11. §. 4. n. 8.* probavimus: & ad

Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, ac Matrimonii usus rationis: hæc enim supponunt hominem doli, peccati, aut contractus capacem. Cætera nempe Baptismus, Confirmatio, Evcharistia, & Ordo validè etiam ab infante recipi possunt, quia non nisi in adultis rationis usu præditis aliquem proprii liberi arbitrii motum & intentionem prærequirunt. Layman *de Sacram. tr. 1. c. 6. n. 4.*

§. V.

Materia Sacramentorum est duplex, remota & proxima. Remota est res illa sensibilis, in qua, vel circa quam exercetur actio Sacramentalis. Proxima in Sacramentis, quæ in usu consistunt, est ipsa actio exercita in & circa materiam remotam. Sic in Baptismo materia remota est aqua, proxima ablutio: in Confirmatione materia remota est Chrisma, proximo inunctio in fronte; in Pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, proximo sunt actus, qui circa illa versantur, nempe contritio & confessio: in Extrema Unctione materia remota est oleum infirmorum, proxima est ipsa inunctio: in Ordine materia remota sunt instrumenta tradenda ordinando, proxima eorundem traditio: in Matrimonio materia remota sunt corpora sponsi & sponsæ, ipse verò mutuus consensus, quatenus est traditio mutua juris in corpus proprium ad usum Matrimonii est materia proxima. In Evcharistia autem, quæ non est Sacramentum in usu transiente consistens, sed permanens, materia remota quidem est panis & vinum, proxima verò non est consecratio hujus materiæ, sed species panis & vini relictæ continentes corpus & sanguinem Christi.

§. VI.

Forma in quolibet Sacramento sunt verba certa unacum applicatione materiæ proferenda à Ministro, ut tradit Concil. Florentinum

in Decreto Eugenii. his verbis: *Hac omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Non tamen eadem conjunctio exigitur in omnibus Sacramentis, quo ad eorum materiam & formam; sed in aliis major, in aliis minor, juxta varias conditiones rerum, aut verborum, quibus quodlibet Sacramentum componitur. Unde quia forma baptismi significat abluionem fieri à ministro, inter illa requiritur tanta similitudo, quanta necessaria est, ut ex usu communiter verba proferens censeatur actionem illam efficere. Quia verò per formam Eucharistiae demonstratur materia, in quam verba cadunt, necesse est, ut illa actu sit praesens, quando forma profertur. At Pœnitentia, quia se habet per modum iudicii, stare potest, etsi qui hodie peccata sua confitetur alicui Sacerdoti, cras ab eodem absolvatur. Interim in praxi consultum est, procurare similitudinem materiae & formae majorem, quam potest minister, non tamen nimis scrupulosè. Videatur Suarez *disp. 2. sect. 2. §. sed quares.*

§. VII.

9 *Finis Sacramentorum Novae Legis est sanctificare hominem per gratiam DEI in via, & consequenter mediante perseverantiâ etiam per correspondentem gloriam in patria.*

§. VIII.

10 *Effectus Sacramentorum alius est generalis, alius specialis. Generalis, seu communis omnibus Sacramentis est gratia sanctificans, prout definit Trident. sess. 7. de Sacram. in gen. Can. 6. & 8. ubi sic detonat: si quis dixerit, per ipsa Sacramenta Nova Legis ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit. Effectus specialis quorundam Sacramen-*

torum, nempe Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, est vel proximus, vel remotus. Proximus est character, id est, insigne, seu signum spirituale, & supernaturale, indelebiter animae impressum, quo Christiani ab aliis discernuntur, & tum in perceptione, tum in administratione Sacramentorum specialiter apti efficiuntur. Remotus & moralis quasi Characteris effectus est, Sacramentum, à quo impressus est, reddere irreiterabile. Trident. d. sess. 7. can. 9.

Quid si ergo quis tale Sacramentum iteret, I. secundò baptizetur, confirmetur, ordinetur? Talis nullum effectum suscipit, cum Sacramentum illud iteratum simpliciter sit nullum: & si scienter fiat, tam conferens, quam suscipiens gravi sacrilegio se contaminet; & insuper in reiteratione Baptismi uterque incurrit irregularitatem juxta *c. 2. de Apostatis c. 10. causâ 1. q. 7.* non item in reiteratione Confirmationis, & Ordinis: de his enim nihil expressum in jure reperitur; non est autem statuenda irregularitas, nisi in casibus jure expressis. *c. is qui 18. de Sentent. excomm. in 6. Zoëf. h. r. n. 2.* Dissentit Navarr. in *Manuali. c. 27. n. 247.*

Planè hæc Sacramenta sub conditione re-iterantur, quoties prudenter dubitatur, & omnibus benè expensis non minùs invalidè, quam validè collata esse præsumuntur, præsertim si pro nullitate fortiores præsumptiones urgerent; quamvis etiam æquales probabiliter sufficiant, cum tunc rationabilis causa adjectionem conditionis excuset, & conditio efficiat, quò minùs fiat irreverentia, vel iteratio aliqua Sacramenti. Ad hæc communiter receptum est, circa Sacramenta in dubio præferendam esse opinionem animabus faventem. Interim quivis scrupulus, aut vanus timor absque prudenti dubitationis fundamento non sufficit, utpote ex levitate aliqua duntaxat procedens: ut si quis non re-

cordeur, vel sibi absolutè imaginetur, quòd materiam Ordinationis non debitò modò tægerit, vel Ministrum non debitò modò pronuntiassè formam, &c. nisi forsan ex confessione propria Ministri, vel aliunde constaret, quòd tunc temporis ex malitia, vel ignorantia formam substantialem corruperit, v. g. baptizaverit plerosque in nomine Dæmonis, vel aliò modò invalidò: tunc enim utique sub conditione saltem rebaptizari deberent omnes, circa illud tempus ab eodem baptizati. arg. *c. si nulla* 113. *dist. 4. de Consecr.*

TITULUS XVII. De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

SUMMARIÆ.

1. *Quid sit defectus natalium? 2. Et unde probentur?*
3. *Usque. 8. Recensentur illegitimi.*
4. *Proles habita ex Conjugibus solemnè voto castitatis obstrictis est legitima.*
5. *In dubia quis præsumi debeat legitimus?*
9. 10. 11. *Illegitimi sunt incapaces Ordinum. 12. Et beneficiorum.*
13. *Defectus natalium non annulat Ordinationem, bene verò collationem beneficii & electionem.*

UT Tit. 11. §. 4. n. 31. diximus illegitimos præsertim Presbyterorum filios ab Ordinum receptione impedit defectus Natalium; qui dicitur vitium originis, & hoc tir. examinatur.

§. I.

1. *Definitur defectus natalium, quòd sit vitiosa conditio natalium, ex injustis nuptiis, vel illicito Parentum coitu contracta.*

§. II.

1. *Causa efficiens defectus natalium est illicitus coitus extramatrimonialis Parentum, puta concubinatus, fornicatio, stuprum, sacrilegium, incoestus, aut adulterium.*

§. III.

Subiectum hujus defectus sunt liberi illegitimi, quò nomine appellamus omnes extra matrimonium procreatos, ut sunt.

I. *Liberi naturales*, seu *nothi*, ac *bastardi*, hoc est, illi, qui ex concubina, quam quis unicam uxoris locò domi suæ retinebat, nati sunt. *t. r. C. de Naturalib. lib.*

II. *Spurii*, quales sunt, qui vulgò concepti, id est, ex fornicatione vel stupro geniti sunt, & dicuntur ita, quasi sinè patre filii; non quòd Patrem non habeant, sed quòd non habeant demonstrabilem, vel legitimum: Pater enim in acceptione civili est, quem iusta nuptiæ demonstrant. *§. penult. Inst. de Nuptiis. l. 23. ff. de statu hom. l. 5. ff. de in jus voc.* Unde scitè Martialis: *cui populus Pater est, non habet ille Patrem.* Planè hodie Nothorum ac spuriorum nomina fermè confusa sunt, postquam concubinatus æquè cœpit esse sub pœna ac quilibet alius concubitus extramatrimonialis. *Covar. de Matrim. p. 2. c. 8. §. 4. n. 3. & 4.*

III. *Liberi sacrilegi*, id est, ex sacrilego commercio progeneriti.

Dubium est: an suscepti ex vero matrimonio, sed Parentibus eò sacrilegè ob emissum solenne votum castitatis utentibus, legitimi, vel illegitimi censendi sint? Rationem dubitandi suppeditat textus in *c. 14. h. r.* ubi Papa dispensat ad Ordines cum illo, qui à Patre Sacerdote, quantumvis ex legitima uxore conceptus & genitus sit. Ex quo talem filium illegitimum esse docent Glossa *ib. in pr.* Ego ita distinguendum puto. *Primo*, si ante consummatum matrimonium unus Conjugum profiteatur Religionem, & postmodum ad sæculum & conjugium revertatur, sine dubio non nisi illegitima proles nasci potest: quia matrimonium ipso jure dissolutum fuerat per Religionis ingressum. *c. 2. & 14. de Convers. conjug.* *Secundo* si unus Conjugum post-

consummationem matrimonii sine licentia... alterius Religionem ingrediatur, & postmodum ad conjugem etiam non revocatus redeat, vel revocatus debitum petat, proles erit legitima: quia matrimonium est legitimum, & professio non nisi per modum voti simplicis valet. *c. 3. eod. Tertio* etiamsi Maritus SS. Ordines susceperit, aut Religionem professus sit etiam consentiente uxore, adhuc verius videtur, prolem fore legitimam: quia ex vero legitimo matrimonio nascitur. Nec refragatur *d. c. 14. h. t.* nam ibi filius non declaratur illegitimus, sed propter scandalum & paternam incontinentiam ad modum illegitimorum irregularis, ita ut promoveri nequeat neque ad Ordines, neque ad Beneficia. De cetero autem quod ad successionem, dignitates, & alios Juris effectus pro legitimo habendum esse, tenet Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 38. n. 7.*

IV. Illegitimi sunt *incestuosi* proprie sic dicti, nati videlicet ex linea transversali in gradu prohibito; *nefarii*, procreati scilicet ex nuptiis contractis cum Parentibus, vel cum Affinibus, qui sibi Parentum, liberorumque loco sunt, puta inter Vitricum, & Privignam, inter Privignum, & Novercam; & *adulterini* ex adulterio nimirum quasi.

Interim monendum, quod in dubio quisque censeri debeat legitime natus potius, quam illegitimè, etsi forte temporis ordinarii, scilicet septem, aut novem Lunarium mensium spatium (quod à conceptione usque ad natiuitatem plerumque intercedere solet. *l. 12. ff. de stat. hom.*) non nihil restringere, vel ampliare oporteat ad legitimitatem defendendam, utpote maximè favorabilem. *Gail. l. 2. observ. 79. n. 19. Mynsing Cent. 6. observ. 40.* Ratio est, quod in dubio præsumatur id, quod honestum est, non quod inhonestum per *l. merito. ff. pro socio. Bald. in l. filium n. 1. ff. de his. qui sui vel alieni jur.* Ex qua ratione

etiam Menochius *de Arbitr. casu 396. n. 15.* & alii rectè concludunt, expositos (vulgo Die Findling) legitimos, & consequenter Ordinum, successionum, & dignitatum capaces esse, ut in *Lib. IV. ad Tit. Qui filii sint Legit. ostendemus.*

§. IV.

Effectus defectus natalium est primò, quod juxta *c. 1. & passim h. t.* illegitimi, Presbyterorum maximè filii, vel alii quicumque non ex iustis nuptiis nati ad sacros, aut etiam minores Ordines promoveri nequeant; tum propter statum dignitatem, & Ordinis excellentiam, quæ turpiter natis, & vilibus quasi personis committi non debet arg. *c. 11. de Excessib. Pralat.* tum in detestationem paterni criminis, quod Jus plerumque punie in filiis arg. *c. 10. de Hæreticis & c. 2. & 15. eod. in 6.* tum denique ob metum incontinentiæ paternæ, cujus imitatores futuri præsumuntur liberi, prout insinuat in *c. 14. h. t.*

Ampliatur I. Ut illegitimi ad Ordines promoveri nequeant, etsi per Imperatorem, aliòsque Principes sæculares legitimati fuerint, cum hi legitimare nequeant, nisi ad officia civilia, secus, si per subsequens matrimonium, vel certè à Papa legitimati fuerint in ordine ad Ecclesiastica Jura, prout ex *c. tanta 6. c. quod à nobis. c. pervener. 13. infra. Qui filii sint legit.* supponitur, & supra in *tit. de Rescript. n. 4.* dictum est.

Ampliatur II. Ut cum talibus illegitimis tantum Papa dispensare possit ad Ordines sacros recipiendos. *Ad sacros* inquam: quia ad Ordines minores etiam Episcopum dispensare posse, expressum est in *c. 1. h. t. in 6.* Imò ad Religiosos quod attinet, ii ipso jure dispensati censentur ad Ordines sacros quoque suscipiendos: *c. 1. dist. 56. c. 1. h. t.* est enim Monachalis vita sic honesta, ut omnem humanam maculam detergat, teste Imperatore in *prafat. ad vovsl. 5.*

Al

12 *Alter Effectus est, quod illegitimi arceantur à beneficiis Ecclesiasticis. c. 7. & 20. de Elect. c. 1. & fin. h. r. Et quanquam per ingressum Religionis ipso jure reddantur habiles ad SS. Ordines suscipiendos, tamen ad beneficia curata & dignitates non habilitantur. d. c. 1. ubi Panorm. n. ult. Barb. n. 3. Nec refert, an defectus natalium sit publicus, an occultus: nam etiam occultus hanc irregularitatem inducit per c. 10. §. persona de Renunciat. ibi: quem subicere non potuit.*

13 *Quid si ergo defecto contingat illegitimum, qui putabatur legitimus promoveri? Hic distinguendum est inter Ordinationem & electionem: Ordinatio enim erit valida, & imprimet characterem, quippe nulla irregularitas per se sola irritat ordinationem quod ad substantiam, modò in aliis sint servata substantialia Sacramenti. Barb. J. E. U. l. 1. c. 33. n. 165. Impeditur tamen executio ministerii & exercitium Ordinum, donec super impedimento dispensetur. Beneficium quoque Ordinato irregulari conferri non potest; quin collatio actu facta est ipso jure nulla, secundum Covarr. in c. alma mater. p. 1. §. 7. n. 1. & communiorem sententiam: quamvis etiam nonnulli teneant, non esse ipso jure irritam, sed irritandam. Quò ad electionem, exploratum est; eam de illegitimo factam, ipso jure invalidam esse. d. c. 7. de Elect. Et hoc verum est, licet defectus natalium sit occultus. Text. & Gloss. in d. c. 20. Eod. aut etiam ab ipso illegitimo ignoratus: quia decreta irritantia, & impedimenta Canonica non dependent à scientia alicujus, ut communiter tradunt DD. & probatur ex c. 1. de Concess. prob. in 6. Confer, quæ diximus in Tit. de Elect. n. 28. & in Titul. de Etate & qualit. num. 10.*

Tertio Effectibus defectus natalium accensere possem, quod sine legitimo matrimonio nati sequantur statum, & conditionem matris.

l. 19. & 24. ff. de Statu Hom. quod ex damnato complexu geniti à Parentibus suis heredes institui nequeant. Novel. 89. c. fin. & plura alia; quæ hic loci attingere non vacat.

TITULUS XVIII. De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

SUMMARIA.

1. Servitutis definitio. 2. Origo.
3. 4. 5. Ex quibus causis servitus nascatur?
6. 7. Servorum nomine quæ veniant?
8. Servitutis effectus.
9. 10. Cur servi ordinari prohibeantur?
11. Quid juris, si servus defecto ordinetur?

Hoc t. agitur de impedimento conditionis, seu status personæ, quod est servitus.

§. I.

Definitur Servitus, quod sit constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subijcitur. §. 2. Inst. de Jure person.

§. II.

Causa efficiens est vel remota, vel proxima. Remota est Jus gentium, à quo totam suam essentiam habet. c. 9. dist. 1. & princ. Inst. de Libertinis. Neque obstat §. 4. Inst. de Jure person. ubi dicitur, servos etiam jure Civili fieri: etenim distinguendum est inter servitutem ipsam, & modos eam constituendi. servitus ipsa est originaliter & essentialiter juris gentium; sed modi illam constituendi alii à Jure Gentium prodiit sunt, alii à Jure Civili. d. §. 4. Proxima sunt modi constitutivi servitutis, qui plures.

Primus est Nativitas. d. §. 4. Sic, qui nascitur ex matre, quæ toto uteri tempore ancilla fuit: servus nascitur. l. 5. §. 1. ff. de Statu Hom. Ratio est: quia partus ventrem, id est, statum, &

& conditionem Matris sequitur. l. 7. C. de R. V. Atque ita etiam illud Ulpiani capiendum: *lex natura*, hoc est consuetudo ab aliqua ratione naturali ducta, *hac est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur.* l. 24. ff. de Statu hom. Et quomodo ex servili concubitu natus conditionem Patris sequatur, cum inter servos non sint nuptiæ, quæ solæ Patrem demonstrant. l. 6. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt.

4 Secundus modus est captivitas. d. §. 4. Inst. de Jure person. d. l. 5. §. 1. ff. de Statu hom. Ita omnes, qui capiuntur in bello justo, fiunt servi capientium. §. 17. Inst. de Rerum divis. Quod tamen generali & antiquissima consuetudine eò redactum, ut capti in bello inter Christianos gesto libertatem non amittant, sed prælitto redemptionis lytro liberi abeant. Aliud dicendum: si bellum nostri cum infidelibus gerant, v. g. cum Turcis; tunc namque quemadmodum illi nostros, sic & nostri jure talionis Turcas captos pro servis habent, ut dedilcant insolentiam contra Christianos. Christiani tamen in servitum turcicam abducti à nobis liberi, omniumque jurium capaces reputantur: ne afflictis afflictio addatur. Covarr. in c. peccatum. de R. F. in 6. p. 2. §. 11. n. 6. Ut proinde (quod obiter hic insinuo (testamentum ab iis durante captivitate factum easdem vires habeat, at si conditum foret ab aliquo in plena libertate constituto.

Terius est venditio sui ipsius; cum scilicet quis major 20. annis ipsum, sciens se esse liberum, ignorantem id emptori pretii participandi causâ venundari patitur. d. §. 4. Inst. de Jure person. Hostiensis in Summa h. t. num. 6.

Quartus est revocatio ingrati liberti in servitum. l. 2. C. de libert. Reliquos profertur Azor. Inst. moral. p. 2. lib. 2. c. 31. & interpp. ad d. §. 4. Inst. de Jure person.

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

§. III.

6 *Subjectum servitutis sunt, qui contra naturalem libertatem alieno dominio subiciuntur: Servi inquam proprietales, sunt enim, qui servi minùs propriè dicuntur, comprehendendo nimirum servos etiam adscriptitios id est, homines colendis agris perpetuò adscriptos, & originarios, seu ex adscriptitiis natos; item mancipia, seu homines proprios, quales in quibusdam Germaniæ locis reperiuntur, & denique omnes illos, qui per se alicui conditioni quasi servili perpetuò & personaliter sunt obstricti.*

7 *Scrupulus incidit: an Monachus servus sit? Ita videtur: quia Superioribus est subiectus: omnia Monasterio acquirit: & testamentum facere non potest. aub. ingressi. C. de Sacrosanct. Eccles. Sed veriùs comparatus filio, quàm servo: nam Monachalis subiectio magis filialis est, quàm servilis. Bart. in l. 1. de Vulg. & pupill. substit. Et etiam Schneidew. ad §. fin. Inst. de Jure person. n. 5. (quem aliàs pro Religiosorum Patrono haud optaverim, cum Monachatum in Tit. de Nupt. appellet superstitionem, acque cum S. Scriptura pugnare contendat, quod perspicuè hæreticum est) sentit, quòd Monachus reverà liber sit. Addo, quòd nec nobilitatem amittat, ut ad eò etiamnum hodie eidem nobilitatis titulus de jure quadret, modò omnis ambitio, & vana jactantia, quam per ingressum Religiosus abscedit, ab eo exulet; hinc Romanus Singulari 37. ait, non esse subreptionem, si se Monachus in literis dicat nobilem. Quo ad acquisitionem tamen Monachum servo comparari, notat Glossa in l. cum heredes. §. fin. V. non puto. ff. de Acquir. vel amitt. possess. & in genere Monachum æquiparandum esse vel servo vel filio-familias, secundum quod utilius est Monasterio, tradit Baldus in l. 1. C. qui admitti ad bonor. possess. poss.*


§. IV.

§. IV.

- 8 *Effectus servitutis sunt* I. quòd servus, quidquid acquirit, acquirat Domino, cujus juri subjectus est. *l. 1. §. igitur. ff. de his, qui sui vel alieni jur.* II. quòd servo omnes actus juris Civilis interdicti sint: unde nec bona propria habere, nec exercere commercia, nec testamenta condere, nec testificari, nec aliis juribus civilibus frui potest, licet ex persona Domini possit contrahere. *l. 16. l. 20. §. servus ff. qui testam. facere possint.* III. quòd vilitas servilis conditionis servum ab ordinibus, & dignitate Clericali repellat, nisi libertati fuerit restitutus per manumissionem expressam vel tacitam: ne aliàs injuria & præjudicium Domino fiat, dum servus ordinatus propter decentiam statûs Clericalis non amplius audet opera servilia præstare, sicut antea *c. 1. & passim h. t. c. 10. & 21. dist. 54.* ubi hæc prohibitio etiam ad servos improprie dictos, puta ad servos adscriptitios, originarios, & homines proprios proportionaliter, id est, habito respectu ad interesse Domini, extenditur. Non obstat, quòd juxta Apostolum relatum in *c. 1. de Conjug. serv.* nec liber, nec servus à Sacramentis Ecclesiæ removendus sit: quia loquitur de Sacramentis, quæ suscipientis gratiã conferuntur, ut Baptismus, Confirmatio, Evcharistia, &c. à quibus nullus fidelis excludi debet, secus est de ordine, qui aliorum potius, quàm suscipientis causã institutus est.
- 10 Sed quid juris, si defacto servus ordinetur? R. referre, an sciente nec contradicente, an verò ignorante, vel contradicente Domino ordinetur? Priori casu eò ipsò tacitè præsumitur manumissus, & confestim fit liber. *c. 20 dist. 54.* Posteriori autem casu subdistingendum est: quia si servus tantum ordinetur in Minoribus, redigitur in pristinam servitutem, si Dominus petat juxta *c. 9. ead. dist.* Si verò ordinetur in sacris ordinibus, tunc

ex peculio suo oblatò pretiò semet redimere, vel alium servum substituere debet, si potest; si non potest, tunc & ipse depositus domino petenti restituitur in servitutem. *c. 2. & 7. h. t.* nisi Sacerdos ordinatus sit, quo casu in ordine permanet quidem liber, sed peculii sui amissione mulctatur, aut si peculio careat, domino in spiritualibus officiis servire debet, si velit. *d. c. 9. & 10. dist. 54.* Planè quando servus ab Episcopo sciente ejus conditionem ad sacros ordines promotus est, ipse quidem manet liber, sed ordinans pro illo satisfacere tenetur, & domino dare alios duos æquales servos, vel eorundem æstimationem. *c. 19. ead. dist. Hostiensis in Summa h. t. n. 7.*

Quod attinet modum tollendi hanc irregularitatem, in comperto est, eam cessare statim sublata servitute, absque alia dispensatione, quacunque demum ratione servus redimatur, cum non fundetur in ulla ignominia, aut defectu decentiæ remanente, sed omnino sedem habeat in servitute, ut docent *Canonnes citati.*



TITULUS XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIÆ.

1. Quid sit obligatio ad ratiocinia?
2. Quinam obligentur ad ratiocinia?
3. Quinam obligati ad ratiocinia ordinari nequeant?
4. Quid juris, si defacto ordinentur?

Aliud impedimentum suscipiendi ordines inducit obligatio ad rationem reddendas rationes.

§. I.

Definitur obligatio ad ratiocinia, quod sit obligatio reddendarum rationum de generali administratione rei alienæ.

§. II.

2 *Subiectum* huius obligationis sunt obligati ad ratiocinia. Dicuntur autem obligari omnes, qui susceperunt officium, vel administrationem rei alienæ, sive publicæ, ut Curiales, Iudices, Syndici, Thesaurarii æris publici; sive privatæ, ut Tutores, Curatores, Procuratores, Testamentorum executores, & id genus hominum. Gonzal. *in c. un. n. 6. h. t. Hostiensis in Summa h. t. n. 2.*

§. III.

3 *Effectus* obligationis ad ratiocinia est, quod eâ adstricti ante officium finitum, redditas rationes & plenam liberationem ordinari nequeant, ne Ecclesia diffametur per huiusmodi ministros, qui fortè doli fraudisque argui possent. *c. un. h. t. c. un. dist. 53. c. 3. dist. 54.*

Sunt tamen quidam officiales & administratores, qui *hiscæ Canonibus* non comprehenduntur, & ad Ordines admittuntur; ut I. Tutores actuales, seu defensores miserabilium personarum, nempe Orphanorum, pauperum, & similibum. II. Administratores locorum piorum, causarum piarum, & rerum Ecclesiasticarum. III. Defensores personarum Ecclesiasticarum. IV. Qui legitimam tutelam proximorum agnatorum susceperunt. Ratio est: quia Clericis quoque conceditur similibum tutela, & administratio. *c. 5. dist. 89. c. 22. causâ 16. q. 7. & c. 1. causâ 21. q. 3. Pirrhing h. t. num. 3.*

4 Sed quid si quis ratiociniis obstrictus contra prohibitionem juris defacto ordinatus sit? R. Bona ordinati Creditoribus cedere in solutum, & si non sufficiant, ab Episcopo adigendum esse, ut quàm primum fieri potest, perfectè satisfaciatur. Imò Gloss. *in c. un. h. t. V. infamatur.* docet, Episcopum ordinantem pro ordinato teneri, si in culpa fuetit, & scienter talem ordinaverit contra voluntatem Creditorum. Ademit enim tunc suo facto Cre-

ditoribus potestatem absolutè exigendi ob privilegia Clericalia, & ordinato facultatem satisfaciendi ex negotiationibus sæcularibus, à quibus propter Ordines susceptos abstinere debet. Cæterum ordinatus, si malitiosè & in fraudem aliorum Ordines receperit, ab Episcopo quidem arbitrariè puniri potest, ex dispositione juris tamen propterea nec deponitur, nec clericalibus privilegiis privatur, nec ab Ordinum exercitio suspenditur, cum nullam incurrat irregularitatem, utpote quæ ex natura sua perpetua est, & propter temporalem aliquam obligationem non contrahitur. Sayrus *de Censuris lib. 6. c. 14. n. 9.*

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis ordinandis vel non.

SUMMARIÆ.

1. *Definitur vitium corporis.*
2. *Quinam corpore vitiati sint?*
3. *Ab ordinibus semoventur debilitati & mutilati.*
4. *Notabiliter deformes.* 5. *Et se ipsos sine causa mutilantes.*
6. *Qualiter vitium corporis impediatur usum Ordinis?*
7. *Super vitio corporis regulariter dispensat solus Pontifex.*

Licitam Ordinationem quoque impedit vitium corporis.

§. I.

Definitur vitium corporis, quòd sit defectus, ratione cuius quis vel impeditur à congruo exercitio Ordinum, vel exercere non potest, nisi cum gravi irreverentia, aut scandalo.

§. II.

Subiectum huius vitii sunt corpore vitiati; qui sunt vel debilitati, vel deformes, vel mutilati.

Debilitati dicuntur, qui habent quidem omnia membra, sed tamen unum aut plura inefficacia & ad sacrum ministerium inutilia, v. g. manum aridam, oculum cæcum, crus

Q2

con-

confractum, linguam ligatam, vel penitus præcipitem.

Deformes censentur, qui maculam aut defectum notabilem in membris exterioribus habent, ita ut sine indecentia, horrore, aut risu conspici nequeant: ut sunt leprosi, phrenetici, paralytici, arreptitii, Lunatici, Demoniaci: item habentes faciem valde ustulatam, labia corrofa, dentes difformitet eminentes extra labia, nasum abscissum, monstrosam gibbum, corpus variè & turpiter retortum, &c.

Mutilari sunt, qui membro aliquo carent. Illæ autem partes duntaxat membrum appellantur, quæ sunt integrum & proximum instrumentum alicujus principalis actionis humanæ, ut manus, pes, oculus, &c. Reliquæ, quæ tantum coadjuvant partes Principales in sua functione, membra non sunt, sed partes membri, ut constat *ex l. 10. ff. de Edilit edicto.* ubi digitus appellatur aliquid membri: & *ex c. 6. h. t.* ubi carens altera manu dicitur mutilatus; is verò, cui dimidia palma manus cum duobus digitis abscissa est, solum dicitur debilis & deformatus. *c. 2. de Clerico Agrot.* Ex quo Covarr. *in Relect. Clem. furiosus. de Homicid. p. 3. in princ. n. 8.* concludit, eum ab irregularitate posse excusari, qui alteri tantum unum digitum, vel auriculam cartilaginam absciderit.

§. III.

Effectus vitii, seu defectus corporalis est, quod eò affectos reddat irregulares. *tot. dist. 55. & passim. h. t.* Itaque

- 3 I. Ad Ordines inhabiles sunt debilitati, aut mutilati membro necessario ad exercitium Ordines: quia æquitas naturalis dicitur, ad Ordines non esse promovendos, qui eos exercere nequeunt. Nec refert, sive iustè, sive iniustè; sive culpabiliter, sive inculpabiliter, proprio aut alieno facto, vel etiam casu fortuito debilitati, seu mutilati fuerint per *c. fin. dist. 35.*

Dubium est, an si quis ob defectum v. g. manus aut digitis indicis, vel pollicis Sacerdos ordinari nequeat, saltem possit ordinari diaconus, cujus officium exercere naturaliter non impediretur? Non puto: quia *in c. 1. dist. 36. & c. 3. h. t.* expressè statuitur corpore vitiatos non esse promovendos ad Clericatum, consequenter ad nullos Ordines, utpote per quos in Clericatu constituerentur. Similiter *in c. 59. dist. 50.* generaliter reputantur inhabiles ad divina ministeria. Alii eam addunt rationem, quòd omnes reliqui Ordines sint præambuli ad Presbyteratum, ut propterea irregularis respectu huius, censeatur quoque talis respectu aliorum Ordinum. Sed displicet hæc ratio; non enim inter illos Ordines necessaria est actualis conexio, cum plures sint tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus solum Ordo subdiaconatus, aut diaconatus sufficit.

Planè abstemius, qui vinum bibere non potest, quamvis ad Sacerdotium promovetur nequeat, ut notat Panorm. *in c. 5. de Celebrat. miss. n. 1.* attamen ad reliquos ordines probabiliter admitti valet: propriè siquidem corpore vitiatos non est, neque absolute prohibetur ad Clericatum promoveri, cum non minus, quàm alii possit sanctè & sine illusionem in Subdiaconatu vel Diaconatu ministrare, licet per accidens propter sumendum Sanguinem sub speciebus vini Sacerdos fieri nequeat. *P. Engel h. t. n. 17.*

II. Ab Ordinibus arcentur notabiliter deformes, etsi sine sua culpa deformati sint: quia *incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis c. fin. §. sicut ergo dist. 41.* Et licet in Lege Veteri à ministerio DEI repudiabatur deformes ut habetur *Levit. 21.* quantum magis in Lege gratiæ. *Gonzal. in c. 2. n. 6. de Levit.* tamen aliqua deformitas v. g. macula in oculo, aut exigua claudicatio Ordinationem

non obstat *c. 2. h. t. c. 10. dist. 55.* juncto *c. 57. dist. 1. de Consec.* An verò sit deformitas notabilis, vel levis, in dubio, & extra casus in jure expressos, relinquatur arbitrio Episcopii ordinantis *c. 2. & ibi DD. h. t.*

Sed quid sentiendum de illo, qui uno tantum oculo videt? Distinguo: an alter oculus præcipue sinister seu Canonicus sit omnino erutus, vel tantum potentiam visivam distitutus absque alia notabili deformitate. Priori casu sine ulla exceptione Sacerdos ordinari prohibetur in *c. fin. dist. 55.* itemque dicendum de aliis ordinibus, eò quòd oculus erutus præter defectum visus causet simul deformitatem. Posteriori casu, quo oculus est integer, & sola potentia visiva deest, irregularem non esse, & ad Sacerdotium quoque promoveri posse, verius est; modò in defectu v. g. sinistri dextro oculo absque indecentia & deformitate, id est, sine indecora conversione faciei ad populum, Canonem *Missæ* legere valeat, & aliunde irregularitas nulla subsit: similis namque defectus ex se irregularitatem non inducit, neque quo ad istum effectum ullibi in jure sit oculorum distinctio, ut ad eò nec nos distinguere debeamus. P. Engel *h. t. num. 5. Barb. J. E. V. lib. 1. c. 33. n. 140.* & alii contra Suarez, ac complures alios asserentes, ordinari neminem posse, nisi sinistrum, ceu oculum Canonicum videntem habeat.

III. Ad Ordines non admittuntur, imò etiam Ordinati ab altaris ministerio remouentur illi, qui voluntariè, & sine justa causa, quocunque corporis membro, aut parte membri privati sunt: sive deinde sibi ipsis absciderint, sive per alios abscindi procuraverint, effectaverint, aut permiserint, *c. marium. 2. dist. 33. c. 4. 5. 6. & 9. dist. 55. c. 3. & 4. h. t.* Idque statutum est non tam propter defectum, quam potius propter sævitiam, & malam voluntatem, quæ ausa fuit

sibi ipsi ferrum injicere, ut loquitur Pontifex in *d. c. 6. dist. 55.*

Dixi: qui voluntariè, & sine justa causa: & c. si quis enim invitus v. g. ab hostibus tempore belli, vel ex justa causa infirmitatis, seu ad conservandum reliquum corpus, aut alia graviora corporis mala evitanda ex consilio Medicorum membri alicujus mutilationem passus fuerit, ordinari minimè prohibetur, modò talis mutilatio notabilem deformitatem non afferat, nec impediatur Ordinum executionem, ut prius dictum. Sic in *c. fin. h. t.* ad ordines admittitur, cui in pueritia abscissa fuit ungula, seu prior articulus pollicis, si per reliquam ejusdem pollicis partem hostiam commodè frangere valeat. Similiter juxta *c. 7. dist. 55. & c. 3. & 5. h. t.* eunuchi nati, vel ex justa causa, aut inviti castrati ordinari possunt.

Utrum verò sola vocis conservatio sit justa & sufficiens causa, propter quam voluntariè castratus irregularis non fiat? quotidiana disputatio est. Plerisque tamen arridet sententia negativa. Et certè cum castratio procurata ob servandam castitatem, & vitandas carnales concupiscentias ordinationem impediatur per *c. 5. & 9. dist. 55.* multò magis impediatur facta propter solam vocis conservationem tamquam finem longè ignobiliorem. Quòd verò interdum mediante vocis suavitate augeatur cultus & honor divinus, ac ipse Musicus exinde congruam habeat sustentationem, quam ex aliis mediis habere vix posset, tanti non est, ut propterea directè imaginem DEI destrueret, aut mutilare liceat; maximè quia incerti sunt similes effectus, vel aliis quoque modis convenientius sæpe & facilius obtineri queunt. Latè P. Engel *n. 11. h. t.*

Cœterum vitium corporis, si ex postfacto primum, scil. post jam susceptos Ordines superveniat absque culpa Ordinati, tunc illa factem ministeria exercere potest, ad quæ per tale

male vitium non est inhabilitatus. Unde Sacerdos, cui per violentiam digiti Canonici sunt abscissi ab hostibus, præter celebrationem potest in reliquis officiis Sacerdotalibus ministrare, v.g. confessiones audire, &c. c. 2. de Clerico aegrot. Sic etiam superveniente postmodum deformitate, si scandalum & horrorem abesse contingat, ut si constet, quòd ad infidelibus & hæreticis in odium Religionis ita fuerit deformatus, ministrare poterit, sicut prius; & si in publico nihilominus scandalum vel contemptus timeatur, saltem in privata capella, ubi scandalum abesse solet, celebrare licebit. Atque ita accipio c. 57. dist. 1. de Consecrat. ubi Sacerdos cum baculo ad altare accedere prohibetur, nimirum in solenni Missæ celebratione, ubi metuitur risus, vel scandalum; non item in celebratione privata, ubi cessat ratio prohibitionis. Morbò caducò vel simili laborantes specialiter in c. 3. dist. 33. tam diu ab executione Ordinum suspenduntur, quousque unius anni spatium per discretionem Episcopi inveniatur liberati.

7 *Questio* superest: quis super irregularitate orta ex vitio corporis dispensare possit? Ad quam respondeo, regulariter non nisi Papam quo ad Ordines primùm suscipiendos dispensare posse. Pirrhing. cum communi h. t. n. 15.

Dixi tamen I. *regulariter*: aliquando enim etiam quo ad ordines suscipiendos Episcopo competit dispensatio in vitio corporis; nempe si occultum sit, & ex occulto delicto proveniat per Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. ubi Episcopis conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto (excepto homicidiò voluntariò) provenientes.

Dixi II. *quo ad ordines primùm suscipiendos*: nam si talis defectus post susceptos Ordines superveniat, quo ad exercitium ordinum Episcopus dispensare potest; modò mutilatio non sit notabilis, & ordinatus sine

scandalo ministrare valeat, licet aliquo modo culpabiliter defectum contraxerit. Colligitur ex c. 1. h. t. & ex c. 1. de Clericis pugnantis. Quòd si in culpa non fuisset, dispensatio non indigeret, ut diximus. Excipitur casus in c. 4. h. t. ubi specialiter reservatur dispensatio ad ministerium altaris cum Sacerdote, qui credens se obsequium præstare DEO, se evitari curavit, ut per hoc manifestius absterreantur homines, qui facillè alias ex tali sine id licitum existimarent.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIA.

1. Bigamia definitio. 2. 3. 4. Et divisio.
5. Origo Bigamie.
6. Quinam bigamiam contrahant?
7. Cur bigami ab ordinibus arceantur?
8. Quis super bigamia dispensare possit?
8. Explicatur c. un. h. t. in 6.

Denique Ordinando obstat Bigamia, seu, ut alii legunt, Digamia; quæ vox propriè significat binas nuptias c. 11. causa 31. quest. 1.

§. I.

Definitur Bigamia, quòd sit status conjugati cum duabus, aut pluribus conjugibus vel realiter, vel interpretativè, vel similitudinariè.

§. II.

Dividitur Bigamia in veram, interpretativam, & similitudinariam.

Vera dicitur, cum quis successivè duas, vel plures uxores legitime duxit, easque carnaliter cognovit, hinc qui duas uxores habuit, si altera ante copulam fuerit mortua, bigamus non est, arg. c. 5. h. t.

Interpretativa est, quando quis reverà quidem cum duabus matrimonium non contraxit, secundum interpretationem juris tamen censetur contraxisse, ac consummâsse, Quæ biga-

bigamia oritur I. si quis defacto ineat duo matrimonia ob impedimentum aliquod dirimens de jure invalida, vel unum validum, aliud invalidum, & utrumque consummet: licet enim ille verè bigamus non sit ob invaliditatem unius, vel utriusque matrimonii, inter bigamos tamen interpretatione juris computatur ob intentionem contrahendi cum duabus copulâ subsecutâ affectu maritali. *c. 4. & 7. h. t. Navarr. h. t. consil. 1. & in Man. c. 27. n. 295.* II. Contrahitur, si quis ducat corruptam seu carnaliter cognitam, sive extra, sive intra matrimonium justum. *c. 2. dist. 33. c. 9. 10. & 13. dist. 34. c. 3. & 5. h. t.* Nec refert, etsi matrimonium cum corrupta initum sit nullum: quia etiam matrimonium cum repudiata est nullum, & tamen facit bigamum. *c. 1. h. t.* Verùm plures opinantur, bigamum & irregularem non esse eum, qui à se tantum prius corruptam duxit, eò quòd talis adhuc sit unica unici, & per subsequens matrimonium talis copula antecedens planè purgetur, ita ut quòd ad effectus juris idem sit, ac si copula fornicaria non præcessisset. *Glossa in c. 5. v. divisio. h. t.* Ego hanc opinionem & limitationem recipio, si verum est *cit. c. dist. 33.* (quod aliqui tribuunt Gennadio) non habere juris auctoritatem: alioquin certè verba illius textus: *qui unam quidem, sed concubinam, non matronam habuit*: quocumque modo corruptam comprehendunt: nam quòd quidam illud: *sed concubinam*: referant ad concubinam alterius, violenta interpretatio est, & parùm ut reor, ad mentem illius auctoris, sive is Gregorius fuerit, sive Gennadius. III. Nascitur bigamia interpretativa, si vir ad uxorem suam accedat, postquam ea adulterium commisit. *c. 11. & 12. dist. 34.* Id quòd obtinet, licet maritus ignoraverit illam esse adulteram, vel coactus v. g. ex præcepto Episcopi debitum conjugale reddiderit,

aut uxor per vim vel metum fuisset corrupta: cum etiam talis non amplius sit unica unici, nec unus unius. *Vid. Majol. l. 2. de Irregul. c. 32. n. 7.*

Bigamia similitudinaria appellatur, cum quis post votum solenne castitatis emissum in professione Religionis matrimonium defacto celebravit, & consummavit affectu maritali cum Virgine. *c. quoquot. 24. causâ 27. q. 1.* Quòd licet expressè loquatur de professis castitatem, complectitur tamen etiam Clericos sacris initiatos: nam etiam hi habent votum solenne castitatis, servatâque proprietate vocis dici possunt solenniter profiteri castitatem, & sic hæc irregularitas satis in jure expressa est. *Sylvester v. Bigamia. n. 3.* Ratio est: quia voto solenni adstrictus censetur spiritali quodam matrimonio conjunctus cum Christo & Ecclesia. Ergo si carnaliter cum aliqua conjugatur per matrimonium, censetur celebrare duo matrimonia similitudinaria, adeòque Bigamiam similitudinariam contrahere; modò aliam uxorem in habitu Laicali, vel in Minoribus Ordinibus antea non habuerit: quòd addo; quia si Clericus cum una contrahat, antequam sit in sacris Ordinibus, & cum alia post Ordinationem in Sacris, vel professionem in Religione, bigamus interpretativè, non tantum similitudinariè erit, sicut & tunc quando post ordinationem, vel professionem corruptam ducit. *c. 4. h. t.*

§. III.

Causa efficiens Bigamiæ est matrimonium iteratum, & consummatum: ut enim aliquis fiat bigamus, duo requiruntur: *Primum*, ut bis contrahat matrimonium de jure vel defacto, verè vel similitudinariè. *Secundum*, ut interveniat actualis copula, affectu saltem maritali facta, si ob defectum aliquem substantialem non possit esse verè matrimonialis, ut ita speciem & figuram matrimonialis copulæ præferat, per *c. 4. & 5. h. t.*

Col:

Colliges I. non esse bigamum, qui duxit viduam Virginem, quæ ante consummationem matrimonii primum virum amisit; aut, qui plura contraxit matrimonia, sed solum consummavit cum una & Virgine. *d. c. 5. h. t.*

Colliges II. ex sola copula fornicaria, vel adulterina sapius & non pluribus extra matrimonium per virum repetita non oriri bigamiam interpretativam ob defectum affectus maritalis. *c. 6. h. t.*

Colliges III. eum reverà bigamum non esse, qui simulatè tantum contraxit matrimonium cum vidua, vel corrupta, à parte rei verò habuit animum eum solummodo habendi ut concubinam; quia defacto non intervenit affectus maritalis cum opere subsecuto; quæ ratio in *d. c. 4. h. t.* expressa est. In foro tamen externo similis defectus animi non crederetur, sed ex ipso facto præsumeretur affectus, consequenter si publicè constaret, eam, quam defacto duxit, esse viduam, vel corruptam, tunc ad evitandum scandalum, & pœnas Canonicas nihilominus dispensationem petere teneretur, ac si reverà subesset bigamia, *P. Engl. h. t. n. 5. contra Zoë. eod. tit. n. 11.*

§. IV.

6 *Subiectum* Bigamiæ sunt omnes, qui duo matrimonia verè, interpretativè, vel similitudinariè contraxerunt. Nec interest, fideles sint, an infideles? nam & infideles ad fidem conversos, si ante Baptismum plures uxores, vel corruptam, vel unam antea, & postea aliam duxerint, bigamos & consequenter irregulares esse, verius est. *c. 2. & seq. dist. 26.* quamvis D. Hieron. relatus in *c. 1. ibid.* diversum sentiat. Ratio est: quia licet Baptismus tollat delicta, non tamen tollit conjugia & consequenter nec bigamiam ex conjugio provenientem. *Pirrhing. h. t. n. 6. & 7.*

§. V.

7 *Effectus* Bigamiæ est I. quòd Bigamum tum ab Ordine suscipiendo, tum etiam ab usu

suscepti ordinis removeat & excludat. *hoc tit. c. 1. de Cleric. conjug. Trident. sess. 23. de Reform. c. 17.* Et meritò: dedecet enim, ut Sacramenta aliis ministret bigamus, qui ipse defectum patitur in Sacramento, seu perfecta significatione matrimonii, quatenus dividendo carnem in plures non amplius perfectè repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, unici cum unica, eaque immaculata, quam conjunctionem significat matrimonium consummatum. *c. 5. h. t.*

Alter effectus bigamiæ est, quòd si Episcopus bigamum absque prævia dispensatione ordinet, privandus sit potestate conferendi ordines; ordinatus verò maneat suspensus ab usu & executione susceptorum Ordinum, donec dispensetur. *c. 2. h. t.*

Quæstionis est, quis super bigamia dispensare possit? respondeo distinctè, &

Dico I. Papa potest dispensare in quacunque bigamia: quia est de jure humano, idque praxis Ecclesiæ comprobatur; siquidem defacto cum bigamo quodam ad Archi-Episcopatum Panormitanum, & cum alio ad Subdiaconatum dispensasse, testatur Glossa in *c. Lector dist. 34.* Nec refragatur *d. c. 2. h. t.* in illis verbis: *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet*: hæc enim solum insinuant, quòd irregularitas bigamiæ fundetur in præcepto Apostoli, & proinde ob reverentiam illi debitam non passim sine justè, & gravi causa sit cum bigamo dispensandum, quamvis eadem dispensandi potestas S. Pontifici adempta non sit. *arg. c. fin. dist. 82.* Layman in *d. c. 2. n. 2.*

Dico II. Episcopus nequit dispensare in bigamia vera aut interpretativa, non solum quò ad Ordines sacros, ut constat ex *cit. c. 2. h. t.* sed neque ad minores, aut primam tonsuram, quin etiam nec quò ad usum Minorum Ordinum: quia nullibi legitur ejus dispensatio Episcopo concessa. *Vallensis h. t. n. 6.*

ubi hanc sententiam communiorem asserit, Probatque ex *c. un. h. t. in 6.* & ex Trident. *sess. 23. de Reform. c. 17.* Neque obstat *d. c. 2.* argumentum enim inde petiunt à contratio senti, ut liceat Episcopis dispensare circa Minores, satis infirmatur ex aliis prohibitionibus generalibus & tempore posterioribus. Opposita tamen sententia probabilitatem suam habet vel ex numero Authorum, qui eam tuerentur. è quibus est *D. Thom. in 4. d. 24. q. 3. a. 3. Sylvest. V. Bigamia q. 7.* & alii.

Dico III. In bigamia similitudinaria, si pure talis sit, & interpretativam admixtam non habeat, etiam Episcopus saltem post peractam poenitentiam dispensare potest, tam quo ad exercitium susceptorum, quam quo ad receptionem Ordinum quoque majorum. *c. 4. de Clericis conjug. c. 1. Qui Clerici vel voverunt &c.* Ubi generaliter Episcopis datur facultas dispensandi cum Clericis, qui matrimonium contraxerunt. Quam non limitat *c. 2. Eod.* ubi ista licentia concedi videtur tantum in casu, quo reus monasterium ingreditur; ibi namque agitur de poena particulari Subdiaconi illius, qui ordinatus non sponte convertitur, sed cogitur abjurare eam, quam duxit, & tenet *ibid.* Gloss. & Panorm.

Dico IV. In Bigamia similitudinaria cum suis Regularibus possunt quoque dispensare Superiores Regulares, Generales, Provinciales, Abbates, alique habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Aliis verò Prælati Regularium, licet Mendicantium, talis potestas data non reperitur, ut jure communi dicendum sit, non competere, nec ordinaria eorum privilegia hujusmodi potestatem concedere. *Zoël. h. t. n. 20.*

Tertius Effectus bigamiæ est, quòd Clericum bigamum exuat omni privilegio clericali. *c. un. h. t. in 6.* ibi: *bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos, & coërcitioni fori secularis addictos consuetudine con-*

trariâ non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum clericalem. Notat verò Glossa *ibidem* sub hac constitutione solum comprehendi Clericos seculares in Minoribus constitutos: nam Regulares, & qui sunt in Sacris, licet ob contractam bigamiam suspendantur ab Ordinum executione, non tamen perdunt privilegia Canonis & Fori.

TITULUS XXII. De Clericis Peregrinis.

SUMMARI A.

1. Quid sint literæ dimissoriales?
2. Usque 8. Quis dare eas possit?
8. 9. A quo, & quos Ordines vi dimissorialium recipere liceat?
10. Quenam literæ dimissoriae continere debeant?
11. Episcopus alienus non potest cum dimisso dispensare in interstitiis.
12. Non expirant morte dantis.

Restat, ut dicamus de literis dimissorialibus, sine quibus Clerici peregrini, & extranei, qui non sunt de Diocesi, sive jurisdictioni Episcopi ordinantis subiecti, ordinari prohibentur. *c. 2. & 3. dist. 98. c. 2. h. t. Trident. sess. 23. de Reform. c. 16. & Nos supra in tit. II. à n. 20.*

§. I.

Definiuntur literæ dimissoriales, seu ut alii vocant, reverendæ, quòd sint licentia scripta, vigore cujus ordinandus licentiatur, ut ab Episcopo alieno possit ordinari.

§. II.

Causa efficiens literarum dimissorialium est is qui eas concedit. Potest autem concedere I. S. Pontifex, & quidem omnibus Christianis per *c. 1. de Temporib. Ordin. in 6.* ibi: *nisi a nobis specialem licentiam habeat.* quia est generalis Episcopus totius mundi *c. cuncta per mundum 17. causâ 9. q. 3.*

- 3 II. Literas dimissorias dare potest Episcopus proprius, sive sit originis, sive domicilii, sive beneficii, dummodò sit electus & confirmatus, quamvis non consecratus *c. cum nullus 3. de Tempor. Ordin. in 6. Azor. Instit. Mor. p. 2. lib. 3. c. 49. q. 2.* Episcopi verò Superior, seu Archi-Episcopus jure metropolitano subditos Episcopi suffraganei dimittere nequit, qui nec ordines eis conferre potest. Valleng. ad *Tit. de Temporib. Ord. §. 4. n. 3.* cum communi.
- 4 III. Literas dimissorias dare potest Officialis, seu Vicarius generalis Episcopi, sed tunc solum, si vel habeat speciale mandatum, aut Episcopus in remotis extra Provinciam, saltem per duas diætas commoretur. *d. c. cum nullus.* & ibi Interpp. Monet tamen Piasecius *in praxi Episcop. p. 1. c. 1. n. 10.* non esse factis tutum, ut Vicarius absente Episcopo sine mandato speciali dimissorias concedat. Sed in hoc spectanda est consuetudo Diocesis, & quæ sit censenda voluntas Episcopi absentis.
- 5 IV. Has literas concedere potest Capitulum, vel ejus Vicarius sede vacante, & quidem jure communi absolute, ac in omni casu. *d. c. cum nullus.* De jure verò Trident. non nisi duobus casibus. *Primus* est, quando Episcopatus vocavit per annum integrum. *Secundus*, si quis est arctatus ratione beneficii vel recepti, vel recipiendi, quod certum ordinem requirit, ita ut illud perderet, nisi tunc temporis ad Ordinem requisitum promoveretur. Trident. *sess. 7. de Reform. c. 10.* Pirrhing ad *tit. de Temporib. Ordin. n. 58.* Cæterum in illo casu, quo Capitulum vel Vicarius literas dimissorias dare potest, etiam in interstitiis dispensare posse, notat Piasec. *d. c. 1. n. 49.* cum enim tunc possit absolute dare licentiam ordines ab alieno Episcopo recipiendi. cur non etiam justa de causa citius recipiendi?

V. Abbates quoque & alii Prælati Regularis dimissoriales dare possunt, sed suis tantum Regularibus, & ad Episcopum Diocesenum, hoc est, ejus Diocesis, in qua situm est Monasterium; nisi hic, aut non sit Ordines collaturus, aut absens, vel mortuus, tunc enim ad quemcunque Episcopum communionem cum S. Sede Apostol. habentem dimittere possunt, non requisito Vicario vel Capitulo Diocesano. Ita Clementem VIII. 15. Martii Anno 1596 constituisse, & de ejusdem mandato S. Cardinalium Congregationem ad Trident. *super sess. 23. c. 10.* declarasse, refert Tambur. *de Jure Abbat. tom. 2. disp. 2. q. 25. n. 3.* & Barb. *J. E. l. Lib. 1. c. 23. n. 64.*

Existimo verò hanc constitutionem & declarationem, etsi generaliter de Prælatibus Regularibus loquantur, de Prælatibus exemptis intelligendas non esse, vel certè quò ad eorum usu non ubique esse receptas: passim enim videas Abbates exemptos suis Religiosis dare dimissorias ad quoscunque Episcopos. Neque adversatur Trident. cum enim *sess. 23. de Reform. c. 10.* tantum prohibeat, ne Abbates exempti sæcularibus suis subditis ad alium Episcopum dimissorias concedant, contrario rectè inferri videtur, quòd subditis Regularibus concedere possint. P. Engel ad *Tit. de Temporib. ordin. n. 33.* Imò P. Pirrhing *h. t. n. 56.* docet Prælatos exemptos, qui territorium distinctum exemptum habent, in eoque jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent excluso Episcopo, literas dimissorias dare posse suis subditis etiam sæcularibus ad Episcopum alterius Diocesis: quia Trident. *l. c.* id solum vetat Abbatibus exemptis, non verò Abbatibus jurisdictione quasi Episcopali præditis, quæ quæ sunt diversa; præsertim cum illi comparentur Episcopis, quo ad illa, quæ sunt jurisdictionis.

§. III.

8 *Objectum*, seu *materia* literarum dimissorialium est, quam continent, licentia Ordines ab alieno Episcopo recipiendi. Datur autem aliquando licentia generalis, subinde specialis. Generalis, ut quis possit ordinari à quo vis Antistite Catholico, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ, & liberam executionem sui officii habente. *c. veniens 19. de Prescript.* Specialis, veluti quòd quis ordinari possit à tali vel tali Episcopo: & tum nequit ab alio ordinari, quam ab expresso: quia unius expressio est alterius exclusio. arg. *c. nonne 5. de Presumpt.* Ideoque si Episcopus in literis dimissoriis nominatus, impeditus nequeat conferre Ordines, curèque in sua diocesi per alium Episcopum eos conferri, talis non poterit ordinare, nisi personas subjectas illi Episcopo, de cuius licentia, & in cuius diocesi sit ordinatio; alioquin pœna suspensionis incurritur. Bonacina *de Censuris disp. 3. q. 1. puncto 11.* Atque ita *c. 5. sess. 6. Tridentini*; ne repugnet *c. 11. sess. 7.* accipit Zerola *1. p. prax. Episc. in 5. dimissoria in resp. ad 5.*

9 Planè licentia hæc stricti juris est; quapropter si detur ad minores, vel absolutè, seu simpliciter ad Ordines recipiendos, juxta communem restringitur ad Minores arg. *c. 1. de Temporibus ordin.* Quòd ipsum hodiernus stylus comprobatur, quò in dimissoriis nominatim exprimi solet, facultatem concedi, ut dimissus tam ad quatuor minores, quam reliquos majores sacros Ordines, etiam Presbyteratus promoveri, ac ordinari possit; quòd sanè supervacaneum esset, si indefinita concessio universali æquipolleret. Attamen si constituto in Minoribus hoc sciens Ordinatus dimissorias concederet ne nihil operentur, ad Ordines majores trahendas opinor arg. *c. si Papa de Privilegiis in 6.* & si Ordinem superiorem expresserit, inferiorem inclusisse videtur, eum inferiori virtute insit superiori.

§. IV.

Forma literarum dimissorialium stat in legitima earundem concessione, quæ de jure tribus requisitis absolvitur.

Primum est; ut in ipsis literis inferatur causa, ob quam Episcopus proprius ordinandum dimittit *c. 1. ibi Glossa de Temporibus ordin. in 6. Trident. sess. 7. de Reformat. c. 11.* quam pluribus in locis receptum sit, ut nulla causa exprimatur. Rebuff. *in Pract. Benefic. de literis dimiss. n. 18.*

Secundum, ut addatur commendatio, seu testimonium de natalibus, ætate, moribus & scientia ordinandi: nec enim dimitti debet nisi examinatus & approbatus. *Trident. sess. 23. de Reformat. c. 3.* Quòd si tamen, qui petit dimissorias, absens sit, usus obtinuit, ut examen committatur Episcopo ordinanti.

Tertium requisitum est, ne Episcopi vel eorum Ministri pro literis dimissoriis, vel pro sigillo, aut alia quacunque de causa, vel quocunque prætextu aliquid etiam sponte oblatum accipiant; exceptis Notariis: qui si salarium constitutum non habeant, licitè possunt accipere decimam partem unius aurei *Trident. sess. 21. de Reformat. c. 1.* Verùm severam hanc constitutionem in Germania receptam non esse, in propatulo est, dum pro hujusmodi literis in aliquibus diocesis dimidiis, in aliis propè integer aureus, seu ducatus non solum accipitur, sed petitur quoque: ut proinde sit in conscientia excusati, imprimis & maximè dantes, qui communiter aliter impetrare nequeunt; tum etiam ipsi accipientes, si, ut fieri potest, & solet, nitantur vero jure. *Vid. Less. de Just. c. 23. dub. 10.*

§. V.

Finis harum literarum est facere fidem de data licentia ordinandi peregrinum, seu extraneum. Siquidem licet Episcopus proprius

hanc licentiam etiam oretenus dare possit, quia Trident. solum requirit consensum proprii Episcopi, ad maiorem tamen fidem dari solet per literas patentes.

§. IV.

II. *Effectus* est, quod licentiam tribuat Ordines ab alieno Episcopo recipiendi, servatis tamen interstitiis: dum namque dimissoria conceduntur, non eò ipso mox censetur dispensatum super interstitiis, cum non sint inter se necessariò connexa, nisi hujus quoque dispensationis, ut solet mentio fiat, vel aliunde sufficienter præsumi possit. Neque ille Episcopus, ad quem dimissoria diriguntur super interstitiis, cum tali ordinando dispensare potest sine proprii Episcopi consensu, eò quod proprius subditus non sit, in quem solummodò exercetur dispensatio, & alii actus jurisdictionis. S. Congregatio Tridentini teste Piafocio *in praxi Episcop. p. I. c. I. n. II.* Verumtamen si dimissus laboret aliquò impedimentò dispensabili per Episcopum, posset in eo dispensare ille, ad quem dimittitur, esto illi non sit facta specialis permissio: etenim concessa ordinandi potestate, illa quoque concessa videntur, sine quibus non potest ordinatio expediri. arg. c. *præterea de Officio deleg.* Gobat *in Theol. experiment. tr. 8. casu 14. n. 575.* ubi n. 576. addit, Ordinatori hanc dispensandi potestatem competere, etsi dimissoria contineant hanc clausulam: *si tamen aliàs nullum tibi obstat impedimentum canonicum.*

12. Caterùm literæ dimissoriales durant, donec expressè revocentur à concedente, vel ejus successore; neque expirant solâ morte, aut depositione concedentis: non enim se habent instar mandati (quod morte mandantis re integrâ extinguitur. *l. mandatum. C. Mandati*) sed instar privilegii & gratiæ, cum respiciant præcipuè favorem illius, cui conceduntur: gratia verò perpetua est, nec cessat obitu concedentis. per *l. 2. C. de Di-*

versis Rescript. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 3. c. 49. q. 5.

§. VII.

Porro *h. t.* non solum peregrini absque litteris dimissoriis ab ordinatione submoventur, verùm etiam, & specialiter cavetur, ne Clerici peregrini, aut ignoti, de quorum scilicet vita, & ordinatione non constat, publicè celebrare, vel in Ordinibus ministrare permittantur, nisi privatim, & secretò, donec formata, id est, testimoniales, seu commendaticias literas à proprio Episcopo signatas exhibeant, vel testes idonei deponant de illorum statu & conversatione. c. 2. & 3. *h. t.* Trident. sess. 23. *de Reform. c. 16.* Ratio est: quia Ecclesia similes pro suspectis habet, quasi essent fugitivi, criminosi, suspensi, vel non legitimi ordinati. c. 1. *dist. 73. c. 3. & 4. dist. 98. & c. 1. de Temporib. ordin. in 6.* Quæ tamen suspicio vel præsumptio cessat, si quis justas causas demonstrare valeat, ob quas formata producere nequeat, v. g. amissa ob injurias belli; consequenter in tali casu eidem juranti, se ritè ordinatum, omninò credendum videtur, & publicum quoque exercitium concedendum, si aliàs nullæ obstant conjecturæ in contrarium, eò quod hic de nullius præjudicio agatur, neque fides jurantis in similibus circumstantiis suspecta esse possit, sicut illius, qui formata facillè acquirere potuisset, & causam excusantem non habet, de quo solummodò intelligendum est c. 2. *h. t.* dum præter juramentum alias probationes exigit. P. Engel *h. t. n. 2.*

TITULUS XXIII.

De Officio Archi-Diaconi.

SUMMARIUM.

1. Archi-Diaconus quis dicatur?
2. 3. 4. Officium & munus ejus in quibus consistat?

HAtenus de promotione & ordinatione Clericorum. Nunc per decem sequentes titulos de ipsis promotis, eorumque officii dispiciamus.

§. I.

1 *Archi-Diaconus* est Vicarius proximus Episcopi, omnem sollicitudinem, & curam tam in Clericis, quam eorum Ecclesiis, cognitionemque & ordinariam jurisdictionem habens. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Officium Archi-Diaconi* de jure communi est providere, ut Divinum officium rite fiat. *c. 2. h. t. bene custodire res Ecclesiae, cap. 3. eod.* Ordinandos & beneficiis praeficiendos examinare, ac postea examinatos, probatosque Episcopo praesentare. *c. 7. & 9. h. t.* in dignitatibus & beneficiis corporaliter instituire, seu investire, id est, in possessionem beneficii mittere. *d. c. 2. & 9. visitare singulis annis semel sui Archi-Diaconatus Ecclesias. c. 6. h. t.* totam verò dioecesim, si Episcopus non possit, de tertio in tertium annum. *c. 1. eod.* Quae tamen visitatio hodie singulis annis, vel saltem si nimis ampla sit dioecesis, biennio per ipsum Episcopum, aut eò impedito per Vicarium generalem fieri deberet. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 3.* Denique ad Archi-Diaconum pertinet, in tota dioecesi tam in - quam extra urbem, & in omnibus, quae administrationem, aut jurisdictionem respiciunt, curam & vicem Episcopi gerere. *d. c. 1. & c. 7. h. t.*

3 Excipiuntur tamen negotia ardua. Et hinc Archi-Diaconus non potest committere curam animarum sine licentia & jussu Episcopi, idque non obstante consuetudine contraria. *c. 4. h. t. Barbosa de Officio & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 186.* II. Non potest dare literas dimissorias ad suscipiendos alibi Ordines. *c. 8. Eod.* III. Caulae criminales, matrimoniales, & probabiliter etiam beneficia

les ejus examini non subsunt, sed sunt ipsi Episcopo commissae. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20. & ibi Barbosa n. 7.* nisi specialiter de similibus quoque judicare expressè concessum sit, vel consuetudine obtentum; de quo casu communiter DD. accipiunt *c. 7. de Praebendis.* ubi Archi-Diaconus Clericum Beneficio privavit, & alium substituit. Panorm. *n. d. c. 7. n. 2.* IV. De jure communi nequit excommunicare, suspendere, vel interdicere. *c. 5. h. t.* Licet id aliquando possit de consuetudine juxta *c. 54. v. sed cum in jure de Elect.* vel ex speciali commissione Episcopi, in quo sensu intelligendum est *c. 5. de Sent. excom. in 6.* V. Nullam etiam jurisdictionem habet in Religiosos & Monasteria, nisi quam dederit consuetudo. *c. fin. h. t.* Et ratio est, quia cum Monasteria praeter Episcopum habeant adhuc alium immediatum Superiorem, nimirum Abbatem, Praepositum vel Priorem, per quem Episcopus sufficienter sublevatur, non est opus, ut eis etiam Archi-Diaconus praeficiatur.

Ceterum rectè notant Interpp. *ad c. 1. h. t.* quòd sicut olim, ita hodie variae sint Ecclesiarum consuetudines circa Archi-Diaconi officium, & potestatem: nam in quibusdam locis nullus est Archi-Diaconus: in nonnullis praesinentiam tantum habet inter Canonicos sine jurisdictione; in aliquibus verò etiam jurisdictionem exercet in Clericos & Parochos civitatis, & certum districtum ejus qui fines Archi-Diaconatus dicuntur; in aliis non unus tantum, sed plures Archi-Diaconi constituuntur, qui partes dioecesis veluti regiunculas sibi subjectas habent, tantum Vicarii Episcopi, & intitulati; tandem plerisque in Ecclesiis tota Archi-Diaconi jurisdicatio per consuetudinem ad Vicarium Generalem, seu Officiale Episcopi transit; ut proinde hac in re potius inspicienda sit cujusque Ecclesiae consuetudo, aut statutum, quam jura scripta, arg.

8. cum olim 6. de Consuet. Sylvester V. Archi-Diaconus n. 1. Vallenfis h. 1. n. 3..

TITULUS XXIV.
De Officio Archi-Presbyteri.

SUMMARIA.

1. *Archi-Presbyter quis?*
2. *Alius urbanus, alius ruralis.*
3. 4. *Utriusque munus & officium.*

Archi-Diacono proximus dignitate & gradu in Ecclesia Cathedrali est Archi-Presbyter, qui nonnunquam Decanus salutatur.

§. I.

1 Est autem *Archi-Presbyter*, quasi primus Presbyterorum, ille, qui præest Presbyteris, ac eorum officiis, vicésque absentis Episcopi in spiritualibus gerit. *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Archi-Presbyter* alius est *urbanus* sive *civitatensis*, alius *ruralis*, *foraneus*, seu *plebanus*. *Urbanus* est, qui præest Presbyteris in civitate, ubi Sedes est Episcopi, existentibus, & Episcopi vicem in Divino officio suppet; de quo in *c. 3. h. t. Ruralis* seu *foraneus* dicitur, qui curam animarum in plebe exercet, & super alios Parochos, ac Presbyteros, qui per minores titulos habitant, inspectionem gerit; de quo in *c. fin. h. t.* Et hic propriè videtur nuncupari Decanus in *c. 7. de Officio Archi-Diaconi* ac Vicarius foraneus in *Clem. de Rescript.* juncta Gloss. *V. foraneo.*

§. III.

3 *Officium Archi-Presbyteri* tum urbani tum ruralis est multiplex.

Ad *Archi-Presbyterum urbanum* spectat, Episcopo missam canente ordinare Sacerdotes ad altaris ministerium: Missarum solennia in absentia Episcopi celebrare, cantumque Horarum auspiciari: orationes, quas vocant collectas, recitare: benedictiones presbyterata-

les ad Lectiones impertiri: infirmum oleo perungere, ac curam animarum agere: eam namque in Ecclesia Metropolitana, aut Cathedrali habet facultatem, quam quilibet Presbyter in sua Parochia. *d. c. 1. 2. & 3. h. t.* Ceterùm Archi-Presbyter urbanus ob præminentiam, quam inter Canonicas, aliósque Clericos obtinet, in dignitate quidem, seu potius personatu positus censetur, ita ut ipsa Sede Apostolica vel Legato ejusdem cause delegari possint juxta. *c. 11. de Rescript.* in 6. in foro tamen externo de Jure communi nullà jurisdictione prædictus est. *arg. d. c. 1. h. t.* De Jure communi inquam; non enim me fugit, in quibusdam locis, ubi Archi-Diaconus non est jurisdictionem in Clericos Archi-Presbyteris, seu Decanis Ecclesiarum Cathedralium, aut collegiatarum competere.

Ad *Archi-Presbyterum ruralem* pertinet non solum vulgi & plebis, sed etiam Presbyterorum curam gerere, & quâ quisque industria Divinum opus exerceat, observare: Clericorum rixas, ebrietates, aliavé scandala impedire, vel si minus ipse possit, Episcopo suo referre: ejus etiam decreta per se, aut per alios executioni mandare. *c. fin. h. t.*

Utrum verò Archi-Presbyter, seu Decanus ruralis habeat externam aliquam jurisdictionem? Rationem dubitandi suggerit *d. c. fin.* ubi omnia referre jubetur ad Episcopum. Verùm plerisque placet; in minoribus saltem aliquibus negotiis jurisdictionem ei denegandam non esse, cum si veluti Vicarius Episcopi foris constitutus ad gubernandum Clerum, ac populum, quod officium sine omni protus jurisdictione convenienter exequi non potest. Pirrh. *h. t. n. 11.* Neque obstat adductum *c. fin.* id enim solum procedit in negotiis gravioribus, aut magni momenti, ita ut etiam solum Decanus ruralis propriâ autoritate judicare non debeat, sed Episcopo referret: imò dum in *fin. cit. cap.* prohibetur, ne contra

tra Episcopi decretum aliquid ordinare præsumat, videtur eò ipsò concessum, quòd secundum decreta, & statuta Episcopi causas decidere valeat. Nequaquam tamen existimes, eidem competere potestatem excommunicandi delinquentes inconsulto Episcopo: quia nec Archidiacono (qui Jurisdictione major est Archi-Presbytero. *c. 1. h. t.*) hæc potestas de jure concessa est. *c. 5. de Officio Archidiaconi.* eò quòd excommunicatio sit maxima pœna in Ecclesia, & magni præjudicii. Equidem in *c. 3. de Officio ordinarii.* dicitur, Plebanum (quo nomine etiam Archi-Presbyter venire solet) posse sententiam excommunicationis ferre in Clericos, vel laicos paræcianos suos; sed rectè Glossa respondet textum illum loqui de tali casu, quo ex consuetudine, privilegio, vel alio jure, aut concessione speciali Plebano, seu Archi-Presbytero major potestas, & jurisdictio competit, de jure communi aliàs non concessa.

TITULUS XXV. De Officio Primicerii.

SUMMARIA.

1. Nominis ratio. 2. 3. Primicerii munus & officium.

Primicerius quoque Archi-Diacono subest, & Archi-Presbytero absente in cantu & choro succedit.

§. I.

1. *Primicerius* ab eo dictus est, quòd vel fuerit primus in choro, in qua Pfallentes in choro fuerant descripti; vel quòd ordinariè debuerit esse primus in choro, aut cantu, unde etiam Cantor, seu Præceptor nuncupatur in *c. 1. §. Cantor. dist. 21. & c. 6. de Consuet.*

§. II.

2. *Officium* Primicerii erat ordinare ea, quæ ad cantum spectant, aut referuntur. Item Clericos in choro delinquentes corrigere, & puni-

re, ut habetur in *c. 1. §. ad Primicerium dist. 25.* ob quam animadversionem, seu aliqualem jurisdictionem in delinquentes dicebatur habere personatum, imò & dignitatem. *c. 8. de Constit.* Consequenter & præcedentiam aliquam, seu præminentiam respectu aliorum Clericorum habere debuit, sicut communiter colligunt DD. & ipsiusmet nominis ratio insinuare videtur. Azor. *Instit. moral. p. 2. L. 3. c. 16. q. 3.*

Præterea in *c. un. h. t. ad Officium Primicerii* pertinere traditur, Diaconis, & reliquis Clericis in docendo præesse, instruendo nimirum illos in modo cantandi, in latina lingua, & aliis disciplinis, præcipuè ad Divinum officium honestè peragendum necessariis. Hinc de Jure antiquo Primicerius etiam magister Scholarum, & Scholasticus appellatus est. De Jure verò Trident. *sess. 23. de Reform. c. 18.* Scholasticæ cura in Cathedralibus præsertim Ecclesiis committi jubetur non nisi Graduato, vel aliàs ad instruendum idoneo, sive deinde talis fungatur simul officio Primicerii, sive non, ut ita officia Scholastici & Primicerii juxta Trident. non videantur necessariò esse connexa, sed diversis committi valeant.

Hodie in plerisque Ecclesiis Cathedralibus titulus quidem & præbenda Scholastici retinetur ab aliquo Canonicorum, officium tamen vix alicubi propriè exercetur propter multitudinem Universitatum, & Gymnasiorum, in quibus multò facilius scientiæ & liberales artes addiscuntur. Similiter ea, quæ ad Primicerium de jure spectant, passim per vicarios etiam laicos, & Ecclesiarum famulos expediuntur.

TITULUS XXVI. De Officio Sacristæ.

SUMMARIA.

1. Sacrista quis? 2. Ejus Officium.

Nunc


Nunc sequitur de officio Sacristæ, qui in c. 1. §. ad thesaurarium. dist. 25. The-
saurius, & in l. fin. §. fin. C. de Bonis auctorit.
jud. possid. Cimeliarcha appellatur.

§. I.

I Sacrista dicitur à rerum sacrarum custo-
dia, quasi sacristans, & est ille Ecclesiæ Mini-
ster, qui immediatam curam sacri thesauri ha-
bet: Barthol. Cartag. h. t. observ. 1.

§. II.

2 Ad Officium Sacristæ spectat custodia sacro-
rum vasorum, vestimentorum, & totius the-
sauri Ecclesiæ, nec non cere & olei ad lumi-
naria pertinentis. Text. in c. un. h. t. Ex quo
patet Sacristam de jure communi nudum ob-
tinere officium sine ulla jurisdictione, aut
præminentia; quamvis de consuetudine, aut
particularibus statutis in quibusdam Ecclesiis
dignitate præfulgeat, cum ei S. Pontifex cau-
sarium cognitionem: quandoque delegaverit
juxta c. 32. de Officio delegati c. 11. de Foro
compet. c. 18. de Convers. conjug. Vallens.
h. t. n. 3.



TITULUS XXVII.

De Officio Custodis.

SUMMARIA.

1. Custos quis? 2. Ejus Officium.

Subjicitur de Officio Custodis, qui quasi
Minister est Sacristæ, teste Glossâ & Pa-
norm. ad Rubr. h. t.

§. I.

I Describitur autem Custos, quod sit is, cui
ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda
committuntur. c. 1. h. t.

§. II.

2 Officium Custodis est, obedire Archidiacono,
cui subest: ad horas Canonicas tintin-
nabula jussu Archidiaconi pulsare: omnia orna-
menta, linteamina & utensilia Ecclesiæ custo-

dire: lampades & laternas vigilanter accen-
dere & extinguere: incensum & luminaria
curare: panem & vinum ad missam celebran-
dam omni tempore præparatum habere: de-
nique oblationes, elemosynas, & decimas
absente Episcopo de licentia Archidiaconi in-
ter Fratres dividere. d. c. 1. & 2. h. t. Ex
quibus constat munus Custodis de jure com-
muni esse nudum officium, idque commune,
ac ferme idem cum officio Sacristæ: unde
plerisque in locis tantum est alter eorum,
Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 2. c. 16. q. 8.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

SUMMARIA.

1. Vicarius quis?

2. Vicarius alius natus, alius datus. 3. Alius genera-
lis, alius foraneus.

4. Usque 8. Quis possit constituere Vicarium gene-
ralem?

8. 9. 10. Vicarius debet esse Clericus sacularis, & præ-
bata doctrina.

11. 12. Constitui potest Vicarius unus vel plures. 13. 14.
vel in spiritualibus, vel in temporalibus.

14. Quomodo 15. & ob quem finem assumatur Vicarius?

16. usque 23. Vicarii generalis officium & potestas.

23. usque 30. Quibus modis finiatur potestas Vicarii.

30. 31. Vicarius in Dshinis alius est temporalis, alius
perpetuus.

32. Episcopus nequit instituere Vicarium perpetuum
in Parochia Monasterio pleno jure incorporata.

33. Cura animarum residet penes Vicarium perpe-
tuum.

Nomine Vicarii generaliter omnis ille in-
teligitur, qui vicem alicujus gerit, seu
qui loco alterius substituitur. In hoc tit. au-
tem potissimum agitur de Vicario Episcopi, qui
recepto more loquendi simpliciter Vicarius
vocatur.

§. I.

Definitur Vicarius Episcopi, quod sit is, cui
commissa est jurisdictio sive voluntaria, sive
contentiosa, quam vice Episcopi exercent.

§. II.

§. II.

2 *Dividitur* Episcopi Vicarius I. in legitimum, seu natum, & datum. Legitimus est, qui ab ipsa lege constituitur, sicut v. g. Archidiaconus, & Archipresbyter, qui ipso jure ratione dignitatis & officii proprii, quo funguntur, sunt quasi nati Vicarii: etsi non tam Vicarii, quam ex proprio officio Archidiaconus & Archipresbyter dici soleant. Vicarius datus est, qui nullum proprium officium habet, sed merè vicarius est, & Episcopi vices ex ejus commissione subit.

3 II. Episcopi Vicarius dividitur in generalem, & foraneum. Generalis est ille, qui per totam Diocesim vices Episcopi agit, atque idem cum Episcopo tribunal habet. Foraneus dicitur, qui solummodo ad certam partem Diocesis deputatur, & foris extra sedem Episcopalem Vicariam jurisdictionem exercet,

Porro Vicarius generalis tripliciter constituitur: nimirum vel in temporalibus tantum, vel in spiritualibus tantum, vel in temporalibus & spiritualibus simul. Si constituitur in temporalibus tantum, rectius *æconomus* Ecclesie appellatur, neque ordinariè venit nomine Vicarii generalis, qui personas præcipuè & jurisdictionalia respicit. Si constituitur in spiritualibus tantum, puta in causis matrimonialibus, beneficialibus, ac hujusmodi, communiter *Officialis* salutatur, èstque propter excellentiam officii in dignitate positus; non item Vicarius in temporalibus tantum, sicut nec Foraneus. *Clem. 2. de Rescript.* juncto *c. 11. Eod. in 6.* quia isti non habent specialem præminentiam in Ecclesia de Jure concessam. Si demum in spiritualibus simul & temporalibus constitutus sit, tunc simpliciter Vicarius generalis dicitur: quamvis aliàs ad hoc, ut quis sit, & dicatur Vicarius generalis, sufficiat potestas & administratio in spiritualibus tantum, prout colligitur ex *Trid. sess. 13. de*

Ref. c. 2. & c. 3. de temporibus Ordin. in 6. ubi expressè fit mentio generalis Vicarii in spiritualibus. P. Engl. *h. r. n. 4.*

§. III.

Causa efficiens Vicarii est, qui eum constituit. Potest autem constituere I. Episcopus, & quidem solus sine consensu Capituli, ut tradit Hostiensis in *Summa h. r. sub n. 4.* Pannorm. in *c. 5. n. 4. Eod.* attestans ita servari de consuetudine. Azor. *Institut. moral. p. 2. lib. 3. c. 6. q. 14.*

5 An verò Episcopus teneatur assumere Vicarium seu officialem generalem? non convenit inter DD. Affirmat Vallensis *h. r. f. 2. n. 3.* Negat Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 54. n. 125.* referens pro se diversas decisiones Rotæ Romanæ. Ego distinguo: an Diocesis aliqua tam ampla sit, & tot Episcopi occupationes, ut ipse solus per se absque subsidio Vicarii moraliter loquendo omnia & singula expedire nequeat, vel num sine notabili defectu omnia facillè solus valeat administrare, propter extraordinariam v. g. in rebus gerendis dexteritatem & industriam, vel propter diocesis angustiam, aut occupationum paucitatem, quemadmodum in pluribus locis, præsertim Italiæ, videmus, Episcoporum districtum sæpiùs ultra unam, aut alteram civitatem non extendi. Priori casu affirmo, suadetque naturalis ratio, Episcopum ad constituendum Vicarium generalem adigi posse: cum teneatur ad perfectam, & competentem executionem sui officii vel per se, vel per alium, scilicet Vicarium, ne Ecclesia vel subditi detrimentum aliquod ex defectu curæ Episcopalis patiantur. Neque sufficere videtur, pro quolibet singulari actu diversos suo tempore deputare: nam exinde frequenter suboriretur aliqua confusio in Ecclesia propter multitudinem talium deputatorum, qui sæpiùs pro suspectis haberentur, aut diversas inter se, & contrarias sententias fer-

ferrent. Posteriori casu, si nempe consideratis omnibus circumstantiis solus velit, ac convenienter possit propter angustiam v. g. Diocesis totum Episcopale onus ferre, nego; nec apparet, quare ad constituendum Vicarium cogi deberet, cum Vicarius Episcopalis non nisi in supplementum à Jure concedatur, & tota potestas Episcopalis, exercitiūque jurisdictionis principaliter ipsi Episcopo competat. Colligitur hæc distinctio *ex c. inter cetera. 15. de Officio Judicis ordin.* ubi Episcopo ex supposito duntaxat, quod per se sufficientes non sint, Vicarius assumere jubentur, Vid. Pirrhing *h. t. n. 28.*

6 II. Vicarium etiam generalem non tantum potest, sed debet constituere Capitulum sede vacante. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 16.* ubi ita statuit: *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, acononum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentatus, vel aliis idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur; vel si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta acononum & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus verò ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, qua ad eum spectant, ab eisdem aconono, Vicario, & aliis quibuscunque Officialibus, & Administratoribus, qui sede vacante fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat Officiorum, Jurisdictionis, Administrationis, aut cujuscunque*

eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerint, &c.

III. Licet Vicarius generalis Episcopi nequeat creare alium Vicarium generalem, totum quasi officium à se abdicando, & in alium transferendo, arg. *c. 4. h. t.* potest tamen unum vel alteram causam delegare. Glossa *in c. 1. Eod. in 6.* & secundum Molinam *de J. & F. tr. 5. disp. 10. n. 5.* ex legitima causa absentia, aut ægritudinis, etiam alium, qui ex eodem tribunali judicet, generaliter substituere: cum hæc omnia aliis curam, & potestatem ordinariam habentibus concessa sint. Quæ vera quidem videntur, si interveniat consensus Episcopi; absque hoc verò censeo Vicarium generalem nec ad breve & modicum tempus alium surrogare posse; nam et si jurisdictionem ordinariam habeat, ut infra *in Tit. de Officio Judicis ordin. §. 4.* probabimus, habet tamen non nisi dependenter ab Episcopo, cui substitutus est in eodem tribunali. Azor. *d. l. 3. c. 43. q. 3.*

§. IV.

Subiectum Vicariatus Episcopalis est is, qui in Vicarium assumitur, in quo requiro I. ut sit Clericus: *ideorum est enim Laicum Vicarium esse Episcopi, & saculares in Ecclesia judicare. c. in nova. 22. causa 16. q. 7.* Quod tamen non obstat, quia Laicus consiliarius seu assessor ipsius Episcopi, vel Vicarii esse possit; siquidem suggerendo ea, quæ juris sunt, non pertractat negotia Ecclesiastica, cum ipse nihil exequatur; quamvis convenientius haud dubio foret, si nullo modo ad causarum Ecclesiasticarum decisionem adhiberentur Laici, supposito, quod Ecclesiastici habiles ad dandum in similibus consilium adsint, prout ex Felino & Decio notat Vall. *h. t. §. 3. n. 2. in fine*
II. Requiro, ut sit Clericus sæcularis, non regularis, ne hic sæcularibus se immisceat, nisi cum licentia sui Prælati. Textus & Glossa

in c. 6. causa 16. q. 1. Posse verò Religio-
sum cum licentia sui Prælati esse Vicarium ge-
neralem Episcopi, modò legitimè natus sit,
& habeat secum socium sui Ordinis, ex com-
muni DD. sententia tradit Barbosa de Officio
& potest. Episcopi alleg. 54. n. 12. Excipitur
Religiosus Ordines Mendicantium, qui ne-
quidem ex consensu sui Superioris assumi po-
test. Clem. 1. §. ad prioratus. de Regularib.
1011. Requiro, ut sit saltem in iure Canonico
Doctor aut Licentiatus, vel aliàs, quantum
fieri potest, idoneus juxta Trident. d. sess. 24.
c. 16. alioquin obligabitur Episcopus, si quid
Vicarius in officio suo non rectè egerit; gene-
rale namque est, quòd Dominus seu Princi-
palis obligetur ex culpa officialis, si negligenti-
am, aut minus idoneam præferat aut scien-
ter toleraverit. Pirrhing h. r. n. 67.

11. Cæterum non repugnat, quin quandoque
duo constituantur ab Episcopo in Diocesi,
præsertim ampla, officiales vel Vicarii, quo-
rum unus principalis sit, & ad quem literæ
Apostolicæ destinantur, alter verò præsit
Consistorio Episcopi in quibusdam tantum
causis, v. g. in matrimonialibus. Quin imò non
obstat, quin pro faciliori negotiorum tracta-
tione bini æquè principales Vicarii generales,
pro tota diocesi creentur, ut patet ex c. quonia.
1214. de Officio Jud. ordin. Quo casu si Pon-
tifex causam aliquam deleget Vicario gene-
rali, nec constet de quo senserit, discordant
Interpretes, uter eorum præferendus sit? Ali-
qui cum Glossa in c. 14. de Officio deleg. pu-
tant, illum præferendum, adeoque judicem
esse, quem actor consentiente reo elegerit:
quia de illo sensit, cum literas impetravit. Si
verò partes discordent, dicunt esse illum,
cui primò fuerint literæ præsentatæ, vel qui
aliunde dignior est; quam sententiam in re-
bus non contentiosis v. g. in dispensationi-
bus, vel aliis similibus commissionibus veri-
simam existimat Sanchez de Matrim. lib. 8.

disp. 27. n. 37. Alii defendunt, neutrum
cum effectu esse judicem delegatum, donec
Papa delegans declaret, quem ex illis intel-
lexerit, prout in simili dicitur, quando no-
minatur tutor incertus. l. duo sunt 30. ff. de
Testam. tut. Delegatio tamen propter hanc
incertitudinem non vitatur, tamen in c. 10.
de Rescriptis delegatio incerta irrita decerna-
tur; id enim verum est, quando Judex omni-
no incertus datus est, secus si ex certis incer-
tus delegatus est. Alii statuunt e contra in si-
mili casu ambos simul judices esse. Latè
Berojus apud Sanchez cit. n. 37. Quam opi-
nionem tunc admiserim, quando negotium
ulteriore dilationem non patitur, & pericu-
lum in mora est.

§. V.

Objectum Vicarii Episcopi sunt negotia, 13
quorum administratio eidem committitur.
Potest autem committi I. administratio spi-
ritualium quo ad jurisdictionem, quæ con-
sistit in excommunicando, suspendendo, in-
terdicendo, conferendo beneficia, instituen-
do, confirmando, eligendo, visitando, in-
quirendo, corrigendo, dispensando & si-
milibus. II. Administratio spiritualium quo
ad Ordinem, quæ consistit in ordinando,
chrismate conficiendo, virginibus benedi-
cendis, Ecclesiis, altaribusque consecran-
dis, &c. III. Administratio temporalium,
quæ versatur in jurisdictione omnimoda tam-
meri, quam mixti imperii exercendi, atque
etiam circa actus quosdam extra judiciales,
puta circa bonorum temporalium alienatio-
nem, locationem censuum, reddituum, & pen-
sionum exactionem, aut collectionem. Pir-
rhing h. r. n. 27. §. Porro. Azor d. p. 2. lib. 3.
c. 43. q. 7.

§. VI.

Ad formam, seu modum, quo constitui- 14
tur Vicarius Episcopi referenda est scriptura;

licet enim absolutè etiam solò verbò Vicarius Episcopi creari possit, requiritur tamen scriptura publica & solennis ad probationem ejusdem, si à partibus negetur, constitutum esse Vicarium, vel in dubium vocetur: quia scripturæ auctoritas requiritur ad probandum judicem ordinarium, ut docet Jafon *in l. more §. n. 63. ff. de Jurisditt.* Formulam verò creandi Vicarium generalem tradit & copiosè exponit Azor. *d. c. 43. q. 11. & c. 46. q. 1.*

§. VII.

15 *Finis*, ob quem Vicarius assumitur, est, ut dum Episcopi per se ipsos omnia exequi non possunt propter distantiam locorum, copiam causarum, hominumque multitudinem, in suo munere per eum subleventur, at vicem eorum sustineat.

§. VIII.

16 *Effectus* est, quòd Vicarius Episcopi per commissionem officii sui sibi factam possit expedire causas ad Episcopalem jurisdictionem pertinentes. Et quidem Vicarius generalis, seu officialis Episcopi eandem jurisdictionem habet cum Episcopo, utpote cui in Episcopali tribunali seu Auditorio substitutus est. Unde etiam vice-Dominus dicitur *in c. 15. de Judiciis*. Ex quo

17 Deduces I. Vicarium generalem post Episcopum, cujus vices subit, primum locum obtinere præ Canonicis, saltem si loquamur de pertinentibus ad tribunal Episcopale, quod addo: quia in aliis actibus, ut sessione in Choro, processionibus, &c. servanda videtur cujusvis Ecclesiæ consuetudo. arg. *l. 1. C. de Officio Vicarii*.

18 Deduces II. à Vicario generali ad Episcopum appellari non posse, non obstante ullâ consuetudine juxta *c. 2. de Consuet. in 6. c. Romana 3. de Appellat. in 6.* Ratio est: quia appellatio esse non potest ab eodem ad eundem, ut notat Glossa *in d. c. Romana*. Vicarius autem, cum eandem jurisdictionem,

idèmq; tribunal habeat cum Episcopo, censetur idem cum Episcopo. Ergo. Quamvis si recusetur Vicarius ut suspectus, causa suspicionis ab Episcopo cognoscatur per *c. 4. de Officio Delegati in 6.* Sed de hoc alibi.

Deduces III. quòd sicut Episcopus, ita etiam Vicarius ordinariam in omnes subditos diocesanos, etiam in Parochos jurisdictionem habeat, arg. *d. c. 2. de Consuet. in 6.* Et hinc

Deduces IV. Officialem non tantum omnium Diocesanorum confessiones audire, eorum matrimoniis validè assistere, & in foro externo eorundem causas contentiosas saltem civiliter intentatas cognoscere, & judicare, sed talem facultatem etiam aliis Sacerdotibus delegare posse, teste Sanchez apud Layman *lib. 1. rr. 7. §. 5. n. 18.*

Deduces V. Vicarium generaliter, & sine expressis limitationibus constitutum præsumptionem habere pro se, quòd omnes causas Episcopalis jurisdictionis expediri possint, ad eò ut si in aliquo Canone dicatur, quid ad Episcopi vel Diocesani aut Ordinarii potestatem pertinere, etiam Vicario generali competere censendum sit, nisi inter casus exceptos, aut Episcopali dignitate proprios reperiatur. Specialiter autem in *c. 2. & 3. h. t. in 6.* reletur potestas inquirendi, corrigendi, deponendi, puniendi, beneficia conferendi, & similia, quæ Episcopus verisimiliter nollet sine suo præcitu expediri, si in specie recorderetur; maxime si in singulari aliqua & mera gratia consistant, quæ proinde specialem Episcopi commissionem desiderant, sicuti & concessio literarum dimissorialium. *c. cum nullus 3. de Temporib. ordin. in 6.* Imò juxta praxim plerumque in rebus atque vicariis requirunt consensum Episcopi, nisi forsitan absens sit, & difficilis conventio nis vel periculum in mora: tunc enim similia Vicariis quoque concessa intelliguntur, quemadmodum de concessione dimissorialium

lium. expresse habetur in d. c. cum nullus. Confer. P. Engel. h. t. n. 10.

§. IX.

23 Contraria sunt modi, quibus officium & jurisdictio Vicarii finitur. Et verò officium Vicarii generalis finitur I. per obitum, resignationem, depositionem aut translationem Episcopi, adeo ut postea Vicarius nec incepta negotia sub Episcopo vivente aut regente perficere queat, nisi fortè à Capitulo fuerit confirmatus. Quo casu tamen, cum jam Capituli, non Episcopi Vicarius sit, hinc sunt, qui putent, quòd causam ipsi tanquam Vicario Episcopi à Sede Apostolica delegatam amplius expedire non valeat. Sed contrarium æquè probabile, imò probabilius videtur: cum enim Episcopalem jurisdictionem vice Capituli habeat, quodammodo est Vicarius Episcopi. Accedit, quòd licet rescripta ad lites strictè interpretationis sint, quatenus tendunt in præjudicium partis, amplam tamen interpretationem recipiant, quatenus concernunt potestatem Principis concedentis, aut delegantis Sanchez d. l. 8. de Matr. disp. 27. §. 33.

24 II. Finitur aut potius suspenditur officium Vicarii generalis toto tempore, quò Episcopus est excommunicatus, interdictus vel suspensus ab officio, eò ipso quòd habeant idem tribunal. Glossa in c. 1. h. t. in 6. Ex quo tamen ne arguas, quòd Vicario in officio suo delinquente, etiam Episcopus deliquerit, ideòque tunc non Episcopus, sed Archi-Episcopus ejus Juxta sit: quia licet jurisdictio Vicarii sit eadem cum jurisdictione Episcopi, aliò tamen modò residet in Vicario, scilicet dependenter ab Episcopo, cui proinde Vicarius ratione officii est subordinatus. Layman in c. 1. n. 9. h. t. in 6.

25 III. Finitur, si Episcopus Vicarium revocet, ut potest pro libitu, tanquam ad nutum amovibilem, ita quidem, ut licet jurejurando promiserit, se nunquam Vicarium temotu-

rum, validè tamen eum revocet, quamvis non sine perjurii crimine, ut advertit Azor d. l. 3. c. 45. q. 14. & seqq. Quæ causa est, quòd Vicarius, quia perpetuus non est, ex se non habeat dignitatem, quæ beneficium Ecclesiasticum censeatur, aut incompatibilis sit cum alia dignitate aut beneficio; id quod hic obiter intinuo.

Sed enascitur dubium: si Episcopus simpliciter constituat aliquem Vicarium generalem, non factà mentione prioris jam existentis, an eo ipso prior sit revocatus? Affirmativam sustinet Vallengis h. t. §. 4. n. 2. & suadere videtur textus in c. 14. de Procuratoribus. & in l. 31. §. 2. ff. eod. ubi prior procurator revocari dicitur per constitutionem posterioris. Sed magis est, ut cum Panorm. in c. volentes. 8. de officio Legati n. 3. & cum Honorio h. t. n. 29. sentiam, Vicarium per simplicem constitutionem secundi non revocari, donec Episcopus specialiter revocationem exprimat; idque probatur ex l. 2. C. de Testamentaria tutela, ubi habetur primum tutorem non eò ipso revocari, quòd detur secundus. Ratio est: quia alioquin Vicarius nec verbis, nec facto revocatus dici potest; non verbis, ut supponitur; non facto: nam ut supra n. II. ostensum, expedit interdum esse plures Vicarios generales ejusdem Episcopi, consequenter posterioris constitutio effectum habere postet absque eo, quòd prior revocetur. Neque officit argumentum contrarium: diversa enim ratio subest in Procuratoribus, quorum officium solummodo privatum est, ubi concursus plurim impedimento esse solet; non sic in publicis, ubi sæpius unus non sufficit, & plus vident oculi, quàm oculus.

IV. Finitur officium Vicarii ejusdem morte, & proprià renuntiatione expressâ vel tacitâ, ut per se liquet.

§. X.

Affinis Vicario Episcopi est Vicarius (ut 30 nun-

nuncupatur) *in Divinis*: nempe qui in divinis ministeriis, & cura animarum, seu in foro conscientiae alterius vices gerit. Et hic est vel temporalis, vel perpetuus.

Vicarius temporalis dicitur, qui ad tempus v. g. ob infirmitatem, graves occupationes, item ob Religionis ingressum durante tempore Novitiatus, aut quamcunque aliam justam absentiam ab Ordinario, vel ipso Beneficiario constituitur, & ab ordinario approbatur: etenim absentiam, sicut & Vicarius in beneficio curato substitutus ab Episcopo approbari debet, praecipue si Beneficiatus per longum tempus abesse velit. Trident. *sess. 23. de Reform. c. 1. §. eadem omnino.* Quod si vero absentia modica sit, unius v. g. septimanae, tunc universali consuetudine receptum testatur Barbosa *de Offic. & potest. Parochip. 1. c. 8. n. 52.* quod Parochus interea possit pro suo libitu Vicarium alius ad curam animarum approbatum substituere, etiam sine alia speciali Episcopi approbatione.

31 *Vicarius perpetuus* est, cui Episcopi auctoritate, & canonica institutione omnis Ecclesiae cura alterius nomine in perpetuum commissa est, ita ut amoveri nequeat, nisi ob causam in jure expressam juxta *c. 3. h. t.* Unde Vicarius sive Vicariae perpetuae sunt instar beneficiorum Ecclesiasticorum, & omnia, quae disponuntur de beneficiis curatis quo ad vacationem, aetatem, ordines, & alias qualitates, ac conditiones ad eadem requisitas, procedunt etiam de Vicariis perpetuis per *Clem. un. h. t. & ibi DD.* Potest autem & solet Vicarias perpetuas institui in Ecclesiis Parochialibus, quae Cathedralibus, Collegiatis seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque unita & incorporata sunt, nullis appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus obstantibus. Trident. *sess. 7. de Reform. c. 7.* Sed

32 *Quaeres I.* An Episcopus vi hujus Decret-

ti facultatem habeat ponendi Vicarium perpetuum in Parochiis ita Monasterio unitis, ut vel ex primava fundatione, vel incorporatione, vel succedente praescriptione ibidem exponi possint Regulares, sicut id universim permixtum est in incorporatis pleno jure, scilicet tam quo ad temporalia, quam spiritualia juxta Bullam Pii V. *Ad exequendum circa sim. n.* Negative, sed quod praedicta constitutio Tridentini tantum intelligenda sit de iis Parochiis, quae solum quo ad temporalia sunt unitae, & semper per saeculares Clericos administratae. Ita declararunt Cardinales ad Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 11. V. ad numerum amovibiles.* ubi etiam meminerunt Bullae Pii V. id ipsum decidentis. Ratio est: quia Episcopus ibidem pro Vicario perpetuo nec Clericum saecularem, nec Religiosum exponere posset: non Clericum saecularem, eo quod privaret Monasterium jure exponendi suum Religiosum, quae potestas privandi nulli Episcopo est concessa: non Religiosum, cum nequeat eum ab obedientia sui Praelati absolvere. Neque verisimile est, intentionem Concilii fuisse, unum verbo omnia Monasteria privare jure suo, quod habent circa expositionem Regularium ad Parochias incorporatas, non sine fructu Parochianorum, vel certe ipsas Abbates cogere, ut Regularem instituant tanquam Vicarium perpetuum, sicque eundem ab obligatione monastica & obedientia perpetuo dimittant. P. Engl. *de Privileg. Monast. privileg. 46. n. 4.*

Planè approbationem expositorum quoad curam animarum etiam in similibus Parochiis pleno jure incorporatis Episcopo competere, perspicue decernit Trident. *sess. 23. de Ref. c. 15. & sess. 25. de Regularib. c. 11.* nisi hanc ipsam quoque approbationem per privilegium, vel praescriptionem acquisiverint Praelati inferiores: ita enim acquiri posse, docet nonster Panormit. *in c. cum non liceat 12. circa fin.*

fn. de Præscript. & Barb. de Officio Episcop.
p. 3. alleg. 72. n. 185.

33 *Quares II.* Penes quem resideat cura, id est, jus exercendi curam animarum? an penes Vicarium, vel Rectorem principalem loci, cui est Ecclesia unita? Sunt, qui sultineant curam animarum ad utrumque spectare: ad Rectorem in habitu, ad Vicarium verò in actu, ita ut Vicariâ vacante per resignationem vel mortem Vicarij, principalis Rectoris potentia habitualis in actum exeat. Layman *in qq. can. de Prælat. Ecclesiast. q. 208.* Ego non facile recedo à Panormitano, qui *in c. extirpanda. 30. §. qui verò in repet. n. 15. de Præbend.* Distinguit inter Vicarium perpetuum, & temporalem, illique totam animarum curam attribuit privativè quo ad Rectorem principalem, adeò ut hic nequeat, non requisito prius Vicario, se se ingerere in cura fori pœnitentialis, vel aliorum Sacramentorum administratione: Vicario verò temporali nudum exercitium curæ aliquamdiu concedit, donec scilicet à Principali revocetur, & per eum rursus exerceatur, ipsâ curâ, seu jure ad curam exercendam semper remanente penes Rectorem principalem. Disparitas est: quia Principalis propter solam legitimam ad tempus absentiam non privatur curâ sibi per institutionem semel concessâ, ut patet *ex t. r. de Clerico agror. neque etiam per ullum actum specialem Vicario temporali committitur cura.* Econtra Vicarius perpetuus canonicè institui juberetur *in d. c. extirpanda.* ac per eam institutionem tota cura transferri censetur, non revocanda, nisi in casibus à jure permissis. Atque hæc sententiam firmatur tum per *Clem. un. h. r.* ex qua manifestum est, Vicarium perpetuum idem jus ad curam habere, quod alius Curatus, tum etiam per *extravag. execrabilis. 4. de Præbend.* Ubi circa finem insinuat, prohibitionem ejusdem extravagantis, ne quis retineat plura beneficia curata, se non exten-

dere ad Rectorem, qui perpetuum, bene autem, qui temporalem duntaxat Vicarium substitutum habet; cujus ratio alia dari nequit, quàm quòd priori casu tota cura penes Vicarium existat, consequenter nil obstat, quo minus Rector principalis alterius Ecclesiæ curam gerere valeat.

Interim monendum, etsi tota cura animarum, saltem in actu extra casum vacantia, ad Vicarium perpetuum pertineat, spectare tamen ad Rectorem principalem curam Ecclesiæ quò ad externam defensionem, vindicationem, vel fabricæ conservationem, præsertim si is majorem partem fructuum percipiat, & Vicario congruam solum tribuat sustentationem, ut propterea Vicarius perpetuus dicatur Rector animarum, non autem Ecclesiæ, nisi & reliquam curam ex speciali commissione habeat. Vid. Pirring *h. t. n. 16.*



TITULUS XXIX.

De Officio & potestate Judicis delegati.

SUMMARIA.

1. Quid, 2. usque 7. *Et quotuplex sit jurisdictio delegata?*
7. 8. *Quis deleget?*
9. *Usque 14. Delegatus an subdeleget?*
14. 15. *Quis delegandus?*
16. 17. *Num Laico causa temporalis Clerici demandari possit?*
18. *Usque 24. Omnia sunt delegabilia, que non sunt reservata, aut respiciunt industriam personæ.*
24. *Delegatio fit vel uni, vel pluribus.*
25. *Finis delegationis.*
26. *Usque 31. Potestas delegati.*
31. *Ad quem à Judice dato, delegato, aut mandatario appelletur?*
32. *Et seqq. recensentur modi, quibus jurisdictio delegata cessat.*

Et

ET Judicis delegati officium est, vices delegantis subire, & ipsius nomine exercere jurisdictionem delegatam.

§. I.

- 1 *Definitur jurisdictione delegata, quod sit potestas publica jus de causa aliqua dicendi beneficio delegantis: hoc est, vice, nomine, & auctoritate ejus, qui propriam, seu ordinariam jurisdictionem habet. arg. l. 5. ff. de Jurisdic.*

§. II.

- 2 *Dividitur jurisdictione delegata I. in specialem, & universalem. Specialis est, quando vel una v. g. matrimonii inter Titium & Cajam, vel plures causae determinatae cognoscendae, & dijudicandae committuntur. Universalis dicitur, si cui committatur causarum universitas, nempe non una, vel plures particulares, sed omnes saltem in aliquo genere v. g. decimarum, matrimonii, mutui, & similes; quatenus fiat restrictio ad certum locum, familiam aut tempus v. g. intra hoc territorium, vel ad unum annum &c. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 31. n. 4.*

- 3 II. Utraque haec jurisdictione delegata tam universalis, quam specialis subdividitur in jurisdictionem delegatam in specie, & jurisdictionem mandatam. Jurisdictionem delegatam in specie dico, cum alicui praeter causae cognitionem etiam coercitio aliqua, seu simplex jurisdictione absque ultimata, & perfecta potestate exequendi committitur. Mandatam appello, quando alicui integra jurisdictione, id est, cum plena potestate exequendi sententiam, sicque mixtum imperium conceditur, sive in una sive in pluribus causis. Suffragatur l. 1. §. an autem 4. ff. de suspectis autoribus ibi: *mandat a jurisdictione officium ad eum totum juris dicendi transit: & cap. super questionum. 27. §. porro h. t. ubi nominatim distinguitur, an tota, vel non tota jurisdictione sit alteri concessa. Unde*

Adverto I. Canonistas non satis discernere jurisdictionem delegatam a mandata per id, quod haec ad universitatem causarum, illa vero ad causam vel causas particulares se se porrigat, idque praeterea probo ex l. 16. & 17. ff. de Jurisdic. ubi perspicue habetur, non tantum universitatem, sed etiam unam solummodo speciem mandari posse.

Adverto II. Civilistas male confundere jurisdictionem delegatam cum mandata, & consequenter judicem mandatarium eum delegato; idque insuper ex eo colligo, quod a mandatario non appelletur mandans, sed mandantis superior. l. 1. §. 1. ff. Quis, a quo appell. a delegato autem detur appellatio ad delegantem per d. c. 27. §. porro h. t. c. 7. eod. in 6. & l. un. C. Qui pro sua jurisdic. Neque quo ad hoc sibi adversantur Jus Caonicum & Civile, ut dicemus n. 31.

Adverto tamen III. nomine delegati in Jure Civili frequenter intelligi *Judicem datum*: illum scilicet, qui propriam noionem, hoc est, nudam cognoscendi, ac judicandi potestatem habet; eo quod olim praetores solum judicium, seu causae cognitionem alteri, nempe judici pedaneo, delegaverint, integrâ coercitione & executione sibi reservatâ. E contra de Jure Canonico ordinariè delegato committitur quoque coercitio aliqua, & jurisdictione: ita namque juxta c. 5. h. t. per simplicem commissionem causae potest delegatus citare partes, contumaces punire & reliqua facere, quae spectant ad causam; ut proinde secundum jus Canonicum raro delegatus accipiatur pro Judice dato, nisi delegans specialiter omnem executionem sibi reservet, & alteri nudam committat causae cognitionem, ut potest per c. 18. & 27. §. verum h. t.

§. III.

Causa efficiens Jurisdictionis delegatae est Jus, vel Homo.

Jus: quoniam saepe Episcopi ab ipso Jure de-

delegati constituuntur, & tanquam Sedis Apostolicae delegati procedere jubentur contra privilegiatos, & alias ab Episcopali ordinaria jurisdictione exemptos; ut confirmant exempla tum de jure antiquo in *c. irrefragabili* 13. §. *caterum de Officio ordin. clem. un. de supplenda negl. Pralat. tum in Trident. sess. 5. de Reform. c. 2. sess. 6. de Reform. c. 2. & seq.* & passim alibi P. Engl. *h. t. n. 4.*

8 Homo, videlicet Judex ordinarius: etenim jurisdictionem delegare posse omnem Judicem ordinarium, non item delegatum, vel mandatarium apud plerisque projudicato est.

Et quidem prima pars perspicue traditur in *c. cum Episcopus* 7. *de Officio ordinarii in 6. l. 5. ff. de Jurisd. dit.* optima sane ratione: regulariter enim quis condere, & per eum exercere potest, quod sibi proprium est, quem admodum jurisdictio respectu Judicis ordinarii. Unde non possum subscribere Fachinæo, qui *lib. 1. controvers. c. 45.* arbitratur, tantum majores, non verò minores Judices delegare posse, etsi sint ordinarii. Textus siquidem allegati generaliter loquuntur, & nulum ordinarium excludunt: neque major aut diversa quo ad hanc potestatem est ratio de uno, quam de altero, ut consideranti patet.

9 Secunda pars deducitur ex *c. cum causam* 62. *de Appellat. l. ult. pr. ff. de Officio ejus cui mand. est jurisd. & l. 5. ff. de Jurisd.* Ratio est: quia Judex delegatus, aut mandatarius non plus juris habet, quam ipsi concessum est; est autem ipsi concessa tantum jurisdictio, ut eam ipse exerceat, non ut alteri committat, Quæ decisio adeo obtinet, ut nec si delegatus propter repentinam absentiam, aut alio impedimento judicare prohibeatur, alium possit subdelegare Bartol. in *l. 12. in fine ff. de Offic. Procon.*

10 Excipitur I. Delegatus ad universitatem causarum: is enim, saltem de consuetudine, non puidem universitatē causarum, sed unam
KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

aut plures causas in particulari alteri committere potest, quia censetur veluti ordinariam jurisdictionem habere. Glossa communiter recepta in *l. 12. ff. de Officio Procons. Pirrhing h. t. n. 22.* ubi quoque infert, Vicarium foraneum, seu Decanum ruralem, qui ab Episcopo in certa parte Diocesis constituitur, unam alterarumve causam alteri subdelegare posse.

Excipitur II. Delegatus, qui ab ordinario I. delegante facultatem non tantum utendi ejusdem jurisdictione, sed etiam alteri eam subdelegandi accepit: is enim ipsius delegantis nomine commissam sibi jurisdictionem alteri committere potest. arg. *l. 32. §. 16. ff. de Recept. qui arbitr. qui arbiter controversiam in alterius arbitrium conferre valet, si hoc ei à partibus compromittentibus permissum fuerit.* Et hanc exceptionem teste Glossâ marg. in *c. 15. h. t. in 6.* praxis approbat. repudiat autem Fachinæus *d. l. 1. c. 45.*

Excipitur III. Delegatus à S. Principe, sive I. 2 Ecclesiastico, sive Laico: hic enim ex privilegio juris causam sibi commissam (ex iusta saltem causa) delegare potest cuicumque personæ habili, cui ipsemet delegans committere posset. *c. 3. 28. & ult. h. t. d. e. 62. de Appell. c. 11. de Rescript. in 6. l. 5. C. de Judiciis.* Hæc ipsa tamen exceptio fallit, si à Principe electa sit industria personæ delegati: quia tunc ipse delegatus debet expedire causam, nec potest alteri vices suas subdelegare, nisi partes consentiant, & præcisè illorum intersit. *c. fin. §. is autem h. t.* Quando verò Princeps censetur specialiter respexisse ad delegati fidem & industriam, ex verbis, circumstantiis, & gravitate causæ æstimandum erit. Vid. Layman *ad c. 3. & c. fin. n. 4. h. t.*

Excipitur IV. Condelegatus: nam casu I. 3 quo pluribus absolute fit delegatio ejusdem causæ, generaliter ipsis conceditur subdelegatio, ita ut vices suas condelegatus, vel aliis committere possint. Textus in *c. 6. h. t.* Secus
T est,

est, si eadem causa pluribus delegeretur sub clausula: *si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, reliqui nihilominus procedant*: quia tunc, si constet, quod aliqui interesse nolint, vel non possint, reliqui condelegati validè procedent, iisque tota facultas accrescit, neque absentibus potestas subdelegandi tali casu concessa reperitur. Vid. c. 21. §. *adjuvamus. h. r.*

- 14 Excipitur V. Ut. licet specialis delegatus iudicis inferioris alteri causam subdelegare nequeat, possit tamen demandare articulum non jurisdictionalem, qualis est, qui sine iudiciali causæ cognitione nudum ministerium vel executionem continet. c. 27. *in princ. h. r.* Ex quo Navarr. *in Man. c. 25. n. 45.* colligit, quod Abbas v. g. ab Episcopo delegatus, vel subdelegatus à delegato Papæ ad absolvendum à censura excommunicationis, postquam reo audito adeoque causâ cognitâ eundem absolvendum esse decrevit, satisfactionemque debitam imperavit, nudum absolutionis ministerium tam pro foro externo, quam pro interno alteri Sacerdoti committere possit. Quamvis aliàs is, cui non jurisdictionis, sed certum solummodo, & nudum huiusmodi ministerium etiam à S. Pontifice, aut alio S. Principe delegatum est, id alteri committere prohibeatur; nisi peculiariter à lege, vel à S. Principe ejusdem quoque subdelegatio concedatur, quemadmodum universim conceditur Legato Sedis Apostolicæ ob singularem ejus auctoritatem. c. *fin. §. ceterum & ibi Interpp. h. r.*

§. IV.

- 15 *Subiectum* Jurisdictionis delegatæ est is, cui delegatur, Cui autem delegari possit, his versibus comprehenditur.
Liber, mas gnarus, cui sit meus, integra fama, Aetas, qui subsit, committitur huic bene causa.

Libert: Quia servus non potest esse Judex l. *pedius 7. §. 1. ff. de Receptis, qui arbitri. Man.* nam forinæ remotæ sunt ab omnibus officiis Civilibus. l. 2. ff. de R. J. *Gnarus* nempe legum & canonum. c. 1. de *Consang. & affin. Cui sit meus*: furiosus enim aut mente captus nullum negotium gerere potest §. *furiosus 8. Instit. de Inutil. stipul. Integra fama*: quia infames à legitimis actibus remouentur. c. *infames 2. causa 3. q. 7. c. infamibus. 87. de R. J. in 6.*

Aetas, nimirum 20. annorum completorum: etenim constituto infra eandem ætatem, nisi partes scienter consentiant in 13. annis majorem, facta delegatio ab alio, quam à Principe non tenet. c. 41. *h. r. Quæ subsit*: siquidem licet delegatio non subito facta mero jure subsistat, invitatus tamen cogitur delegationem suscipere, nisi is, quæ subest jurisdictionis delegantis. c. 28. *h. r. c. 11. de Officio ordinarii. l. fin. de Jurisdic.*

Præterea Bonifacius VIII. decrevit, ut nullus à Sede Apostolica, vel ejus Legato, nisi in dignitate vel personatu positus, aut Ecclesiæ Cathedralis, sive Regularis, sive Sæcularis Canonicus delegeretur: alioquin invalida erit delegatio. c. 11. & ibi *Glossa de Receptis in 6.* Quod confirmat Trident. *sess. 25. de Reform. c. 10.* ubi insuper mandat, ut in singulis Conciliis provincialibus, aut Diocæsanis aliquot, & ad minimum quatuor personarum secundum prædictam Bonifacii constitutionem qualificatarum designentur, illisque deficientibus aliæ substituuntur ab Episcopo cum consilio Capituli usque ad futuram synodum, eo fine, ut magis idoneis, & præter Ordinarios locorum iis quoque à S. Pontifice vel ejus Legato causæ committantur, quæ post factam & S. Pontifici insinuatam designationem quæcunque delegationes à commissæ suspectæ & tubreptitæ censentur.

Netamen autumes, hoc idem ad Episcopos, aut Principes sæculares extendendum, cum nullibi ita generaliter voluntatem de assumendis impofterum tantum in dignitate constitutis expresserint. Pirrhing *h. t. n. 23.*

17 Gravis pugna est: an Episcopi aliique Prælati S. Pontifice inferiores causam aliquam temporalem Clerici Judici Laico delegare possint? Partem affirmativam post alios tuetur Diana *p. 3. tr. 2. resol. 112.* & eodem teste praxis sequitur; qui nititur argumento à sensu contrario tum ex *c. 2. de Judiciis.* ubi præcipitur Episcopis, ne negotia Ecclesiastica Laicorum iudicio supponant, quasi causas non Ecclesiastica possint supponere, tum ex *c. 3. causa 11. q. 1.* ubi habetur, Clericum absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem Judicem attrahere. Ergo Episcopo permittente poterit. Ego tamen in negantiam caltra transcendendo, motus aperto textu in *c. significasti. 18. de Foro compet.* ubi dicitur: Clericum non posse consentire in Judicem non suum, etiam accidente sui Episcopi voluntate, nisi sit persona Ecclesiastica. Accedit ratio: cum enim privilegium fori sit commune toti Ordini Clericali, sicuti non est in potestate Clerici ei renuntiare, ita non debet esse in potestate singulorum Episcoporum eidem præjudicate per delegationem in Judicem Laicum. per *c. si diligenti. 12. de Foro compet.* Neque expavelco ad argumentum oppositum: quia argumentum à sensu contrario (etsi per se sæpe infirmum, & elumbe sit) nunquam procedit, quando correctionem juris inducit, vel contrarium alibi in jure expressè cautum reperitur, ut in præfenti, per ea, quæ tradit Barbosa *tr. locor. comm. argument. loco 27. n. 5.*

Planè ipsum S. Pontificem & civiles, & criminales, & spirituales causas posse Laico delegare, dubitare non sinunt textus in *c. 23.*

dist. 63. in c. 7. causa 2. q. 5. c. 4. causa 10. q. 3. & Glossa in c. valde 2. dist. 94.

§. V.

Objectum seu materia Jurisdictionis delegata sunt causæ & negotia delegata. Delegari autem possunt omnia, quæ specialiter à jure reservata non sunt, vel specialein qualitatem & industriam personæ delegatæ non respiciunt; tunc enim juxta decantatam regulam: Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. cap. 68. de Regul. Jur. in 6. Unde

Inferes I. Omnia delegari vel mandari posse, quæ jure ordinario magistratûs, id est, ex natura sui officii, & generali magistratûs auctoritate alicui competunt: non vero ea, quæ jure aliquo speciali & extraordinario, v. g. privilegio concessa sunt. *l. 1. princ. ff. d. officio ejus, cui mand. est jurisdict.* quoniam in illis non censetur electa industria personæ, bene autem in istis. Ex quo ulterius

Inferes II. Episcopum, cui ex officio competit facultas dispensandi, aut absolvendi à censuris, eandem alii delegare posse per *c. 15. & fin. de Officio Ordinarii.* Idque idè: quia jurisdictio, quæ (licet ex privilegio) non personæ, sed dignitati competit, ordinaria, non delegata est: & cum in futurum Prælatum simul cum dignitate transeat, non potest dici electam fuisse personæ industriam. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 40 num. 14.* Gonzal. *in d. c. fin. num. 4. & 5.* Ubi ex hac doctrina plures particulares, & notabiles illationes deducit.

Inferes III. Etiam causas mixti imperii demandari posse per textus ineluctabiles in *l. 1. in fin. & l. ult. §. ult. ff. de Officio ejus, cui mand. est Jurisdict.* Cujus ratio est: quia

imperium mixtum Magistratus obtinent Jure Magistratus, & ratione jurisdictionis ordinaria illis commissæ ad eos spectat. Argumenta contraria subvertit Fachinæus *lib. 9. controvers. c. 98.*

21 Sed an. nudam quoque executionem judicati, quæ est actus imperii mixti, alteri mandare liceat? *Queritur.* Quod indubitanter affirmo, eò quòd executio nullibi sit reservata, nec specialem personæ qualitatem respiciat. Sic videmus per literas requisitoriales a Judice unius loci sæpius invocari Judicem alterius territorii, sub quo bona executioni obnoxia sita sunt, vel brachium sæculare à Judice Ecclesiastico, & e contra. Nec potest talis delegatio ex legitima causa facta recusari, sed delegatus defacto retinens per superiorem, cogendus erit ad peragendam executionem prout cum Covar. *Pract. quest. 10. n. 1.* communiter notant DD.

22 Inf. IV. Causas meri imperii, hoc est, quæ criminalem cognitionem & coercitionem concernunt, de Jure Civili extra casum absentia, aut gravis infirmitatis delegari non posse; cum ea, quæ ad merum imperium pertinent, speciali privilegio, aut lege concessa sint. Text. & DD. in *l. solent. 6. ff. de Officio Proconsulis. in l. 1. in pr. ff. de Officio ejus, cui mand. est Jurisdic. l. 70. ff. de R. J.*

Dixi de Jure Civili: exploratum namque est, de Jure Canonico causas meri imperii sæcularis, quod habent Prælati, quatenus Domini & Principes territoriorum, atque Vasalli imperii, demandari posse & debere, cum ipsi per se causas sanguinis tractare nequeant ob metum irregularitatis, c. *ult. Ne Clerici vel Monachi. in 6. Henricus Canis. in Summa l. 1. c. 18.*

23 Variant DD. Utrum etiam merum imperium Ecclesiasticum, nempe potestas excom-

municandi, deponendi, degradandi, incarcerandi, &c. delegari possit? Ita putat Peñonormit. in *c. 10. n. 4. de Officio ordinarii*, cui ut calculum adjiciam, latius est per *c. 2. de Officio Vicarii. in 6. & c. 7. de Officio ordinarii in 6.* Ubi hæc delegatio Episcopo indistincte conceditur. Neque verò utriusque Juris eadem ratio est: nam causæ meri imperii Jure Civili competunt Magistratibus non proprio Jure, sed speciali concessione Legis, aut senatus consulti, & ideo delegari non possunt. *d. l. 1. ff. de Officio ejus, cui mand.* Magistratibus autem Ecclesiasticis competit merum imperium non ex speciali concessione, sed proprio Jure, ratione proprii officii & dignitatis, atque hoc ipso, quòd Episcopi sint *c. 15. de Elect. c. 1. & 16. de Officio ordinarii.* Quare licet Magistratus Civiles non possint delegare merum imperium, possunt tamen Ecclesiastici: quia in his viget ratio textus in *l. 5. ff. de Jurisdictione. ibi: More Majorum ita comparatum est, ut is demum Jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet.* Dissentit Menoch. *l. 10. de Arbitr. casu 29. Covar. lib. 3. Var. resol. c. 10. n. 10. & RR. fermè omnes.*

§. VI. Ad formam jurisdictionis delegatæ pertinet modus delegandi, qui diversus est juxta causarum, clautularum, vel personarum diversitatem. Enim verò delegatur, aut totum negotium, vel principium, vel medium vel finis causæ controversæ, *c. 27. h. r. & vel uni alicui, qui tunc solus cognoscit & judicat. c. 3. eod. vel pluribus, idque trifariam nimirum vel simpliciter; quò casu, omnes simul concurrere, aut absentes ipsis condelegatus, aut aliis vices suas subdelegare debent; alioquin cæteri nihil agent, & potest reus, si quid agere velint, impunè non parere. c. 16. juncto c. 6. h. r. l. 2. & 39. ff. de Re Judic. vel*

vel sub conditione hâc, vel simili clausulâ: *Quasi omnes interesse nequiverint, vel si aliquis ex ipsis interesse non possit, reliqui nihilominus procedant*: quo casu singulis in defectum aliorum procedere queunt, ubi tamen contingerit absentem adesse non posse, aut etiam non velle quia, quia clausula, *si non velint*, semper implicite continetur in illa: *si non possint interesse. c. 21. pr. & §. 1. c. 22. h. t.* vel sub disjunctione hoc modo, *ut vel omnes simul judicent vel duo. aut unus ex ipsis*; quo casu singuli intelliguntur habere jurisdictionem in solidum, ita ut etiam unus solus, qui præoccupavit, exequi debeat, eoque negotium inchoante alii se intromittere nequeant, nisi ille infirmitate, aliâve causâ impeditus sit, aut nollet cœptum negotium proseguere, cum plures. *8 h. t. in 6.* De cætero nullâ certâ formâ præscriptâ, aut clausulâ in literis commissionis non adjectâ, forma juris communis servanda est. *c. 13. & 27. eod.*

§. VII.

Finis Jurisdictionis delegatæ est administratio justitiæ in causis delegatis, ne ipsa, si Ordinarius aliis negotiis districtus causæ cognitione incumbere nequeat, differatur, vel penitus negligatur.

§. VIII.

Effectus Jurisdictionis delegatæ insignes occurrunt. Primus est, quod cum jurisdictione delegata omnia intelligantur concessa, sine quibus causa commissa expediri nequit. Unde delegatus potest citare partes, coercere contumaces, compescere eos, qui se in usu potestatis suæ turbant vel impediunt: potest mittere in possessionem honorum, asserere officiales necessarios, & in genera omne id, quod ad executionem commissi muneris necessario creditur pertinere, esto

in mandato, aut literis commissionis expressum non sit. *c. 1. §. 7. h. t. l. 2. ff. de Jurisd. dict.* Ratio est: quia qui mandat principale, censetur etiam mandare connexa, & necessaria: & qui committit executionem finis, censetur etiam committere media necessaria ad finem obtinendum. *Molina tr. 5. de F. & §. disp. 26.*

Alter effectus est, quod delegatus possit dare Judicem, id est, alii concedere præcisè cognitionem cum decisione causæ. l. 12. §. Judicem 1. ff. de Judiciis. ibi: is quoque, cui mandata est Jurisdictio, Judicem dare potest. Quo textu probabilis non tantum Judex mandatarius, sed etiam delegatus in specie comprehenditur, cum non minus mandatam habeat jurisdictionem, quamvis non ita perfectam, & integram; maxime, quia juxta *l. 3. in fin. ff. de Jurisd.* Judicis dandi licentia ad jurisdictionem simplicem pertinet, quam competere Judici delegato, ex dictis constat.

Connexa questio est, an judex datus alium quoque dare possit? Nego: quia Judicis datio est quidem actus jurisdictionis. d. l. 3. in fin. Judex autem datus tantum omni caret jurisdictione propriè dictâ, ergo: Specialiter excipitur Judex datus à Principe *l. à Judice 5. C. de Judiciis.* Licet enim aliàs Judicem dare sit actus jurisdictionis, ut dictum nihilominus à Principe, vel lege, etiam sine jurisdictione talis potestas concedi potest, utpote à quo jurisdictionis & omnis similis potestas promanat.

Tertius effectus est, quod quando pluribus delegata jurisdictionis est, stetur regulariter sententiæ plurium, nec opus sit omnes concordare. c. 1. & 2. dist. 65. l. 39. ff. de re judic. Dixi *regulariter*: nam interdum omnium consensus desideratur, neque valet

sententiæ majoris partis. *c. 13. de Rescriptis.* id, quod potissimum locum sibi vendicat, ubi agitur de præjudicio omnium tanquam singulorum. Quodsi duo tantum sint delegati ferenda in sententia discordes, & unus pro reo, alter pro actore respondeat, utraque sententia pendet ex arbitrio delegantis, & neutra effectum habet, donec alterutra à delegante determinetur, licet in casu, quo duo Judices ordinarii concurrentem jurisdictionem habentes contrarias ferunt sententias, illa prævaleat, quæ pro reo datur, nisi sententia pro actore sit in causa magis favorabili v. g. matrimonio, libertate, dote, vel testamento, *c. fin. de sent. & re judic.* Per quod *cap. conciliatur l. 28. cum l. 38. ff. de re jud.* dum prior asserit, duorum Judicum diversas sententias in pendentem esse, posterior verò reo magis favet, ut proinde hæc intelligenda sit de Judicibus ordinariis, illa de delegatis, vel datis solum, de quibus etiam expressè loquitur. Disparitas est, quod delegati utantur jurisdictione delegantis, consequenter in dubio merito ad ejusdem arbitrium recurratur; econtrà in Ordinariis, cum utantur jurisdictione propriâ, similis recursus haberi non potest, neque etiam ante sententiam appellari ad Superiorem. Ideoque voluerunt Jura cæteris paribus potius sustinere sententiam pro reo, quàm pro actore: quia promiora sunt jura ad absolvendum, quàm condemnandum, *c. ex literis 3. de Probat.* Vide Glossa in *d. c. fin. de Sentent. & re judicata.*

30 Quartus effectus est, quod delegatus saltem Papæ in causa sibi commissa jurisdictionem habeat supra Ordinarium, *c. un. h. t.* ita quidem, ut jussus sententiam delegati exequi, obsequi cogatur, etsi sciat ejus sententiam esse injustam, id est, contra litigatoris jus latam: quod addo: quia si

sciret Ordinarius, sententiam esse contra Jus publicum, ut si esset lata autoritate fallarum literarum, non deberet ei obtemperare, siquidem tunc non esset delegatus, & per consequens neque jurisdictionem in eum haberet, Textus & Vivian. in *c. pastoralis. 28. §. quia h. t.* cui consonat *c. 24. de Rescriptis. juncto c. 8. h. t.* ubi in simili Alexander III. statuit, ne Ordinarius, licet sciat, eum non Canonicè institutum, quem delegatus Papæ mandat in possessionem induci, resistat violenter, sed precibus inllet, ut differat, donec Papa consulatur.

Hic non omninò extra calcem disquiri potest: an à Judice dato, delegato, & mandataro detur appellatio ad dantem, delegantem, & mandantem? Ratio dubitanda est: quia videretur appellari ab eodem ad eundem, utpote ad eum, cujus est jurisdictionis; quod repugnat juxta *c. 2. de Constat. in 6. & c. 3. in princ. de Appellat. in 6.*

Nihilominus à Judice dato ad dantem appellatio expressè conceditur in *l. 1. f. Quis, à quo appelletur.* Nec officit ratio allegata: quia Judex datus non utitur jurisdictione, vel potestate dantis, sed propriâ solum cognitione, & judicio, sicut non appellatur ab eodem ad eundem. Et quamvis in eadem *l. 1. f. 1.* à mandataro ad mandantem manifestè denegetur appellatio, additâ etiam particulâ: *generaliter* plerique tamen DD. distinguunt, an universitas causarum demandata sit, vel tantum causa, aut causæ particulares? prior casu ob adductam rationem negant; posteriori verò communiter admittunt appellationem, eò quod tunc mandans vel delegans adhuc habeat ampliorem jurisdictionem, consequenter non videatur omnia

ab eodem ad eundem appellari. Verùm diſplicet hæc diſtinctio, & contra eſt, quòd ſaltem reſpectu illarum cauſarum particularium habeat mandatarius, vel delegatus eandem jurisdictionem cum delegante. Deinde etiam committens alteri univerſitatem cauſarum in certo ſolummodo genere adhuc retinet ampliorem poteſtatem reſpectu aliarum, & tamen teſtibus ipſiſmet AA. obſtat identitas appellationem impediens.

Exiſtimem igitur, omiſſâ hæc diſtinctione attendendum eſſe, an tota jurisdictione ſine alicujus reſervatione commiſſa ſit, vel non? ſive: an Judex propriè mandatarius ſit, aut delegatus tantùm? Priori caſu, cum mandatarius utatur totâ jurisdictione mandantis, cenſentur illius ſententia à mandante quodammodo lata, utpotè ulterio- rem in tali ſaltem caſu jurisdictionem non habente, & proinde ad illum deneganda erit appellatio, ne propter identitatem jurisdictionis ab eodem ad eundem appelle- tur; ideòque pars læſa non niſi ad Superio- rem mandantis provocare poterit. Poter- riori vero caſu, ſi ſcilicet non ſit tota juris- dictio conceſſa, ſed ultimata v. g. execu- tio reſervata, concedenda erit appellatio immediatè ad concedentem, eò ipſo, quòd reſpectu illius quoque caſus vel cauſæ ad- huc habeat ulteriorem, & majorem juris- dictionem, conſequenter non proſus ean- dem. Colligitur ſatis ex c. 27. §. porro. h. titul. cap. 7. Eod. in 6. Tametsi enim ibi ſermo ſit de ſubdelegato reſpectu dele- gati à Principe, propter identitatem tamen rationis (ne ſcilicet ab eodem ad eundem appellari videatur) idem dicendum eſt de aliis quibuſcunque delegatis Judicum Or- dinariorum. Itaque univerſim dabitur.

appellatio à delegato ad delegantem juxta l. un. C. Qui pro ſua Jurisdictioni. non au- tem à mandatario ad mandantem juxta d. l. 1. ff. Quis, à quo appelletur, ſi ni- mirùm iſtorum nomina propriè, & modo ſupra numer. 3. explicato accipiantur. Neque in hac quæſtione ſibi repugnant Jus Canonicum, & Civile, ut opinatur Fachinæus lib. 1. Controvers. cap. 78. quia in utroque Jura eadem proſus ratio ſubest: atque in uno non ſatis clarè decilum ex al- tero ſuppleri debet.

§. IX.

Contraria Jurisdictionis delegatæ ſunt. 32 modi, quibus ea finitur.

Finitur autem I. Revocatione delegantis, idque ſive revocatio expreſſè fiat juxta l. judicium. § 8. ff. de Judiciis. ſive tacitè, ut ſi v. g. delegans ad instantiam partis citet, vel aliò modò procedat in cauſa de- legata; hoc ipſo namque eam ad ſe re- vocare cenſetur. Ubi tamen advertas, delegatum ſaltem ſubdelegationem, poſt- quam ſubdelegatus per citationem uti cœ- perit jurisdictione delegatâ, revocare am- pliùs non poſſe, ſi delegavit in totum; ſecùs, ſi in partem tantùm; tunc enim ad inſtar ordinarii quandocunque vult, po- teſt revocare ſubdelegationem etiam re- non ampliùs integrâ. Textus & DD. in c. 5. & c. 6, h. t. in 6.

II. Finitur Jurisdictione delegata morte dele- 33 gantis re integra inſtar mandati. arg. §. 10. Inſtit. & l. 58. pr. ff. Mandati. Secùs; ſi res non ampliùs ſit integra, ſed delegatus jam cœperit uti jurisdictione delegatâ: tunc enim jurisdictione perpetuatur etiam poſt mortem de-

deledantis c. 19. 20. & 30. h. t. jurisdictione autem delegatus uti coepisse videtur non modo litē contestatā, sed statim per citationem legitimam, etiam decretam tantum. d. c. 20. h. t. & l. 6. ff. de Jurisd. junctā l. 7. ff. de Judiciis. Cujus ratio est, quia citatio, & solum decretum citationis est actus jurisdictionis pertinens ad substantiam judicii, ergo delegatus citando partem utitur jurisdictione. Et hæc ita procedunt, si delegatio proximè facta sit à persona; aliud dicendum, si à dignitate committentis, veluti si S. Pontifex committat causam nomine Sedis Apostolicæ. v. g. sic: *Sedes Apostolica tibi mandat*; tunc enim uti dignitas non moritur. c. 5. de Rescript. in 6. ita nec jurisdictione inde profecta extinguitur morte delegantis, esto res ad sit integra. Zoël. h. t. n. 30.

34 III. Et eodem modo finitur delegata jurisdictione, si delegans re adhuc integrā resignārit, vel aliā ratione amiserit officium, aut jurisdictionem: nam non minus amissione officii cessat jurisdictione in delegante, quam morte ejus naturali. ergo sicut per hanc re adhuc integrā expirat jurisdictione delegati, ita pariter per istam, cum utrinque eadem ratio sit. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 28. n. 32.

35 IV. Finitur hæc jurisdictione morte delegati etiam re non integrā arg. l. 27. §. 3. l. 57. ff. Mandati. & re integra adeo, ut si plures simpliciter & sine clausula sint delegati, obitu unius etiam reliquorum officium expirat. c. 42. juncto c. 30. h. t. Sed hæc ita, si delectio jurisdictionis sit personalis, seu expresso nomine proprio delegati facta, v. g. sic: *Tibi Semproni hanc causam delegamus*. Aliud obtinet, si facta sit sub nomine dignitatis, aut officii. v. g. sic: *Tibi Episcopo Passaviensis hanc causam committimus*: tunc enim morte præsentis Episcopi mandatum non solvitur, sed

transit in successorem, sive res integra sit, sive non. c. 14. h. t. quia officium, vel dignitas nunquam moritur. d. c. 5. de Rescript. in 6. P. Engl. h. t. n. 16.

V. Finitur, si delegatus amittat officium, aut dignitatem. Ubi tamen iterum delegatio personalis est, puta Titio facta, non expirat amissione dignitatis: quia tunc sola persona venit in considerationem, adeoque delegatio illam sequitur instar privilegii personalis. Sin vero est realis, puta Episcopo Passaviensi facta, tunc si quis excidat dignitate, delegatio transit in successorem illius dignitatis: quia eo casu sola dignitas spectata est, ergo delegatio illam sequitur in quacunque persona invenitur. Sanchez d. l. 8. disp. 27. n. 22. & seqq.

VI. Finitur lapsu termini præfixi, nisi ex partium consensu prorogatus fuerit juxta c. 4. & 24. h. t. Dicitur autem terminus delegationis incipere à die præsentatarum literarum delegato, si terminus per numerum dierum, mensium, vel annorum statutus sit; secus si ad certam diem, vel mensē sit decretus.

VII. Finitur jurisdictione delegata pro dolo, aut negligentem non usum mandati, seu rescripti delegatorii intra annum, si aliud rescriptum ab adversario impetretur. Quod ipsum tamen qualiter intelligendum, videatur textus & Vivian. in c. 9. & 23. de Rescript.

VIII. Finitur recusatione, si nempe delegatus tanquam suspectus recusetur. c. 17. & 25. h. t. supposito, quod causa suspicionis sit justa; alioquin enim jurisdictionem delegatam non impediret. c. 41. §. tertio postulat. de Appellat. An verò justa sit causa reculandi, vel non? ordinariè per arbitros à partibus ad hoc electos deciditur. c. suspicionis 39. h. t.

Dixi ordinariè: nam si delegatus, vel officialis Episcopi recusetur, recusationis causa coram Episcopo est probanda, etsi an eundem ab officiali nequeat appellari. Textus & Layman in c. 4. h. t. in 6.

40 IX. Denique finitur hæc jurisdictionis finitâ causâ; sive per transactionem, compositionem, acceptilationem, aut pactum de non petendo; sive per latam, & executioni mandatum sententiam in controversia delegata. c. 9. & ibi: Glossa h. t.

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIA.

1. Quis dicatur Legatus?
2. Legatus alius est à latere, alius natus, alius missus.
3. Legatus missus cum potestate Legati de latere eam potestatem habet, quam Legatus Cardinalis.
4. Legatos constituit S. Pontifex.
5. An Legatus recipiendus sit, antequam literas Apostolicas exhibeat?
6. Quenam committantur Legato. 7. Et quo modo constituantur?
8. Officium Legati.
9. Usque 14. Potestas Legati de latere. 14. Potestas Legati missi. 15. Potestas Legati nati.
16. Et seq. Quibus modis finitur Officium Legati?

1. Oquitur hic Titulus duntaxat de Legato Pontificio, cujus officium in aliquibus affine est officio delegati.

§. I.

1. Desinitur Legatus Pontificius, quòd sit Jurex à Sede Apostolicâ missus in aliquam Provinciam, cum potestate administrandi negotia Ecclesiastica, quæ sunt muneris Apostolici.

§. II.

2. Dividitur in Legatum de latere, Legatum natum, & Legatum missum. Legatus de latere est quilibet Cardinalis, si Legatus constituitur: nam cum Cardinales sedeant ad latus

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

Papæ, si fiant Legati, accommodato nomine Legati de latere nuncupantur, quasi assumpti de latere Papæ ad legationem. Legatus natus est, qui legationis munus ex singulari Papæ privilegio suæ dignitati annexum habet; sic dictus: quia cum eligitur ad illam dignitatem, quasi unâ veluti nascitur Legatus: qualis est Archi-Epif. Toletanus in Hispania, Pisanus in Italia, Rhemensis in Gallia, Pragensis in Bohemia; in Germaniâ Celsissimus Princeps & Archi-Epif. Salisburgensis, & alii alibi. Azor. p. 2. lib. 5. c. 27. q. 1. Legatus missus est, qui neque est Cardinalis, neque est Legatus natus, sed extra ordinem Cardinalium cum potestate Legationis ad Imperatorem, Reges, Principes aut Respublicas deputatur. Atque hic passim vocatur *Nuntius Sedis Apostolicæ*, & mittitur vel cum simplici potestate Legati, vel cum potestate Legati à latere, pro qualitate scilicet clausularum in literis commissionis appositarum, ad quas ante omnia attendendum est: quia modò majorem, modò minorem tribuunt potestatem, quàm de Jure ordinario sit concessa.

In quæstionem venit: num missus cum potestate Legati de latere, vi hujus clausulæ eadem authoritas ac potestas, que de Jure communi Legatis Cardinalibus competit, concessa intelligatur? Negant quàm plurimi. Affirmant Layman tr. 4. de LL. c. 7. §. 6. n. 22. & Zoësius h. t. n. 15. Quibus accedo, arg. l. 1. ff. de Tutoribus. & Curatoribus, ubi insinuat, nihil interesse, an quis sit verus Proconsul, vel ad tempus proconsulatum obtinens. Ergo quoque nihil intererit, an quis sit Legatus de latere, vel illius potestate præditus; præsertim quia Legati S. Pontificis in c. 2. h. t. in 6, Proconsulibus æquiparantur. Et licet cit. lex. tantum loquatur de casu speciali, scil. datione Tutoris, eadem tamen est ratio de aliis, neque enim hic aliud attenditur, quàm potestas, quæ cum non

U

mi-

minùs in uno sit, ac in altero, ambo eundem effectum producere poterunt. Ratio est: quia verba Pontificis accipi debent cum effectu, & operari illa, quæ denotant, *c. si Papa 10. de Privileg. in 6.* quod in proposito non fieret, nisi omnia concessa intelligantur, quæ potestas Legati à latere involvit. Nec refragatur *c. 1. h. t. in 6.* ubi perspicuè traditur, potestatem conferendi beneficia præter Legatos Cardinales aliis ordinariè concessam non esse, *quantumcunque plenam legationem obtineant.* Nam hoc *cap.* loquitur duntaxat de aliis Legatis missis, vel natis, non de Legato, vel Nuntio cum potestate Legati à latere: tum quia iste titulus Legati de Jure scripto est incognitus, ut ipsimet Adversarii fatentur, tum quia quò ad potestatem & effectum legationis nomine Legati Cardinalis etiam venit Legatus cum potestate Legati Cardinalis. Interim tamen non nescio, hujusmodi Legati potestatem juxta Stylum Curie Romanæ sæpiùs restringi, ut tantùm beneficia simplicia, quæ valorem 24. Ducatorum non excedunt, conferre permittatur. Teste Barb. *J. E. II. l. 1. c. 5. n. 53.* sed hoc ex singulari Sedis Apostolicæ dispositione provenit, & ordinariam potestatem non immutat.

§. III.

- 4 *Causa efficiens* Legati est S. Pontifex: cùm enim jurisdictioem in totum orbem habeat, & ea, quæ sunt muneris Pontificii, ipse quandoque in partibus remotis expedire nequeat, ideo Legatos mittit, & constituit, qui vice ipsius ordinariam jurisdictioem in omnes de Provincia exerceant; quemadmodum olim Imperatores in Provinciis, quas propter distantiam in propria persona gubernare non poterant, quosdam majores magistratus, nempe Proconsules, & Præsides Provinciarum constituiebant; quibus proinde *in d. c. 2. h. t. in 6.* assimilantur.

Hic *disquiri* potest: an præsumatur quis à S. Pontifice Legatus constitutus esse, ac utrum asserenti se talem esse sine exhibitione mandati credendum sit? Puto Legatum de latere secernendum esse à Legato missio. Illi, si constet Cardinalem esse, ob eminentiam cardinalitiæ dignitatis, & quia Cardinales vix unquam solent in aliis Provinciis commorari nisi legationis causâ, fides danda est, nec aliâ probatione indiget, sed immediatè potest officium suum exercere, & illa facere, quæ de Jure communi Legatis à latere sunt concessa. Quod addo: quia si asserat sibi insuper quædam extraordinaria specialiter à S. Pontifice esse commissa, tunc quò ad hac fides necessariò adhibenda non videtur, donec talem commissionem factam legitime probet, maxime si involvatur præjudicium tertii: respectu similium enim negotiorum cessat præsumptio legationis, eò ipso, quòd ordinariè concedi non soleant. Legato missio autem plane credendum non est, nec recipere oportet, antequam per exhibitionem literarum Apostolicarum, vel aliter doceat, se Legatum in tali Provincia constitutum; partim quia cessat prius allegata præsumptio, etiam respectu potestatis, quæ Legatis communiter & ordinariè concedi solet; partim quia Legatum vel Nuntium esse aliquid facti est, consequenter probari debet, & regulariter non præsumitur. Confer Fagn. *ad c. cum in Jure Officio deleg. n. 42. 45. & seqq.*

§. IV.

Objectum Legati sunt negotia, quæ alias et sua natura judicium ac auctoritatem S. Pontificis exigunt, & quæ nec Ordinarius absque speciali Pontificis mandato exequi potest; nec quandoque & Legatis ea, quæ Ordinarius expedire posset, exercenda committantur.

§. V.

Forma spectatur in modo constituendi Legatum; qui variat: vel enim constituitur

ione certi alicujus negotii, ad certum tempus in certa Provincia: vel indefinitè & generaliter ad omnia negotia, quæ ad Pontificis administrationem pertinent, ut colligitur ex c. 2. 4. & 9. h. t.

§. VI.

8. *Finis & Effectus* considerantur circa Legatorum officium, & potestatem.

Officium Legatorum est de causis Provincialium ad se delatis cognoscere, & judicare, vel eas aliis delegare. c. 1. & ibi Layman n. 5. h. t. sententias à Delegatis latas confirmare. c. 2. h. t. concilium provinciale cogere, simulque statuta concedere etiam perpetuò duratura, quibus noxia evellantur, & dispensentur, salutaria inducantur, & promoveantur. c. ult. h. t. juncto c. 2. Eod. in 6.

9. *Potestas* non est omnibus æqualis, & majorem præ cæteris habet *Legatus à latere*. Nam I. eo ingrediente suam provinciam suspenditur aliorum Legatorum, si qui sunt in eadem provincia, officium & jurisdictio, donec ipse rursus egrediatur. c. 8. h. t. Quod statutum videtur propter reverentiam, quam minor debet majori, arg. c. denique dist. 21.

II. In jurisdictionalibus concurrunt cum quolibet Ordinario, qualiscunque sit, ideò non tantum matrimoniales, beneficiales, & alias causas Ecclesiasticas & spirituales, sed quaslibet etiam profanas ad Ecclesiasticum forum pertinentes, tam in prima, quam secunda instantia cognoscere potest jure Decretalium. c. 1. ubi Glossa & Panormit. h. t. Jure inquam Decretalium: nam in Trident. sess. 24. de Reform. c. 20. specialiter omnibus ac singulis Legatis vel Nuntiis Apostolicis præcipitur, ne quarumcunque facultatum vigore Episcopus in causis Ecclesiasticis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præripere, seu turbare præsumant, nec contra personas Ecclesiasticas, nisi prius requisito Episcopo, vel eo negligente, procedant. Itaque ex mente

Tridentini, quod praxis sequitur, hodie in prima instantia ipse Episcopus, non verò immediatè Legatus Apostolicus omisso Episcopo est adeundus, nisi cum Episcopo lis sit. In secunda verò instantia adhuc hodie adiri potest observatà formà à Jure communi, præcipuè in c. 3. de Appellat. in 6. præscriptà. Idem Trident. sess. 22. de Reform. c. 7.

III. Legatus de latere etiam in exemptos Provincia suæ jurisdictionem habet per c. si Abbatem 36. §. 1. de Elect. in 6. ubi dicitur, quòd Legatus Cardinalis Episcoporum & Abbatum Exemptorum electiones confirmare, & his, id est, Abbatibus in Episcopos electis Abbatiam, atque Monasterium suum deferendi licentiam dare possit, saltem extra Germaniam: in Germania enim tam Abbatum exemptorum, quam Episcoporum confirmatio S. Pontifici reservata est, ut supra in Tit. de Elect. n. 87. diximus.

IV. A die discessus ab Urbe usque ad diem I reditus sui potest absolvere quoscunque excommunicatos propter manuum injectionem in Clericos, tam extraneos, quam subditos, & tam extra, quam intra Provinciam sibi commissam; cum Legatus missus solum subditis Provincia suæ, Legatus natus verò ne quidem subditis hanc absolutionem impertiri valeat sine speciali privilegio Papæ. c. 9. h. t. c. 20. de Sentent. excomm.

V. Legatus de latere de Jure communi concurrat cum quolibet ordinario Provincia suæ in collatione Beneficiorum, ita ut inter eos simul & Papam locus sit præventioni, juxta c. 6. h. t. & c. 1. Eod. in 6. Quæ ipsa tamen potestas, quoadque se præfertim in Germania extendat, explicat P. Engel h. t. n. 4. in fin. & n. 5. Copiosissime Azor. dil. §. c. 28. & 29. per tot.

VI. Legato de latere ampla potestas data est in concedendis dispensationibus, maxime circa restituendos spurios ad legitimos nati-

les in ordine ad beneficia Ecclesiastica, ut videre est apud Azor. *d. l. 5. c. 30.* ubi tamen *q. 15. & 17.* advertit, eum in gradibus prohibitis consanguinitatis & affinitatis, & multò magis cum iis, qui nondum legitimam habent ætatem, v. g. ad Ordines, ad beneficia, aut professionem Religionis, dispensare non posse, nisi in quantum ei specialiter à Papa conceditur.

VII. Licet in *c. cum ex eo 14. de Pœnit. & remiss. & in c. fin. Eod. in 6.* prohibeatur ne alius, quàm Papa conferat indulgentias plurimum dierum, quàm 40. attamen de consuetudine obtinuit, ut Cardinales Legati possint concedere indulgentias 100. dierum, idque etiamsi non sint Presbyteri. Barb. *f. E. U. lib. 1. c. 5. n. 5.*

13. Cæterum communis regula est, quòd Legatus de latere illa non possit, quæ S. Pontifex ordinariè facere non solet: quia S. Pontifex solummodò quò ad ordinariam, non item quò ad absolutam potestatem repræsentat; ideòque in iis, quæ speciale mandatum requirunt, & quæ in signum singularis privilegii Sedis Apostolicæ reservata sunt, sicut est translatio Episcoporum, unio duorum Episcopatum, vel divisio unius, nihil omnino potest per *c. 3. & 4. h. t.*

14. Legatus missus illud proprium habet, Legatis natis non commune, ut videlicet aliqua leviora etiam in sua legatione non expressa in sua Provincia expedire possit. *c. 6. de Præsumpt. c. 18. de Accusat. c. 9. h. t.* Nati verò nihil possunt sibi vendicare ultra speciatim in legatione eis commissa. *c. 1. h. t. in 6.*

15. E contra etiam Legatus natus aliquid speciale obtinet, aliis Legatis non commune, scilicet quòd ejusdem potestas sit diuturnior: Natorum enim legatio, quia adhæret dignitati, tam diu durat, quàm diu Legati illam possident. *c. aliqua. de Privilegiis.* aliorum verò

legatio personis tantum cohæret, & elapso tempore illi præfixo expirat. *c. 4. h. t.*

§. VII.

Contraria sunt modi, quibus officium & potestas Legati finitur.

Finitur autem I. revocatione S. Pontificis, secutâ notificatione. Aliàs si revocationem Legatus ignoret, quæ gerit, valida sunt. arg. *c. audita. de Restit. spoliat.* Num verò eo ipso, quòd Papa secundum Legatum creet in Provincia, censeatur primum revocare? controvertitur, probabiliusque videtur, quòd non: quia non repugnat de jure, imò interdum expedit, duos in eadem Provincia esse iudices ordinarios arg. *l. 1. ff. de Officio Consulis. Confer. ex Tit. de Officio Vicarii n. 28.* II. Finitur relatione negotii ad Papam: nam eussâ quacunque ad S. Pontificem prælatâ Legatus amplius procedere non potest *c. 7. h. t.* III. Lapsu temporis, si Legatus ad certum tempus datus sit. *c. 4. de Officio deleg.* IV. Discessu Legati à Provincia animò non redeundi. *c. fin. h. t.* V. Morte Legati, si Legatio personæ, secus, si dignitati annexa sit, ut dictum.

Per mortem autem Pontificis non extinguitur Legatorum officium: quia eorum jurisdictionis est ordinaria, & sic magis durabilis quàm delegatorum. *c. 2. h. t. in 6.* Excipitur nisi Legatus missus sit ad Papæ beneplacitum, quod ejus morte extinguitur. *c. si. gratior. de Rescript. in 6.*

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis ordinarii.

SUMMARIA.

1. Jurisdictionis ordinaria definitio. 2. Usque 7. in divisio.
7. Qualiter jurisdictionis ordinaria acquiratur?
8. Usque 22. Prolixè recensentur Ordinarii Ecclesiastici.

23. Quibus competat jurisdictio secularis?
 24. De jurisdictionis ordinaria materia circa quam.
 25. Utiq. 31. In causa propria nemo iudex idoneus.
 31. Jurisdictio conceditur vel cumulativè vel privativè
 32. Finis jurisdictionis ordinaria. 33. Ejusdem effectus.
 34. Et siq. De modis amittendi jurisdictionem ordinariam.

Nomine *Judicis ordinarii* hic veniunt, non tantum Episcopi, sed etiam inferiores, aut superiores, qui habent jurisdictionem ordinariam.

§. I.

I. *Definitur* Jurisdictio ordinaria, quod sit, potestas publica jus de causa aliqua dicendi jure proprio: hoc est, vi soliùs collati officii, & citra specialem concessionem. Colligitur *ex l. 5. ff. de Jurisdic.*

§. II.

I. *Dividitur* Jurisdictio ordinaria I. in Ecclesiasticam & civilem seu sæcularem. Per illam jus dicitur in causis spiritualibus & Ecclesiasticis; per hanc de causis temporalibus & profanis. Sunt autem ab invicem hæ duæ jurisdictiones discretæ: nam in Principe Laico jurisdictionem civilem quidem concedimus, sed Ecclesiasticam nequaquam.

II. *Dividitur* in contentiosam, & voluntariam. Contentiosa est, quæ in invitos exercetur; ideoque ad hanc referuntur omnes causæ, quæ actionis verbo continentur: nempe actiones tam in rem, quam in Personam: directæ, utiles, & in factum: interdicta quoque & stipulationes prætoriaræ, ut damni infecti, legatorum servandorum, & si quæ similes sunt. *l. 37. pr. ff. de O. & A.* Voluntaria est, quæ exercetur in volentes, & consentientes. Unde ad eam pertinent dispensatio, legitimatio, concessio privilegii, adoptio, emancipatio, beneficiorum collatio, Sacramentorum administratio, & hujusmodi.

III. *Ratio discriminis* inter utramque est, quod

actus jurisdictionis contentiosæ extra territorium exerceri nequeant, sine expresso, vel tacito consensu judicis proprii, ipsarumque partium litigantium: *cum extra territorium jus dicenti impune non pareatur. c. 2. de Constitut. in 6.* Voluntaria autem jurisdictio extra proprium territorium validè, & plerumque licitè, extendi seu exerceri possit, dispensando v. g. cum subditis in eorum votis, juramentis; assistendo eorum matrimoniis, absolvendo à censuris, peccatis, &c. *arg. l. 36. §. 1. ff. de Adopt. l. 2. ff. de Offic. Proconsul.* quia cum ad voluntariæ jurisdictionis exercitium strepitus, seu ordinarius Juris processus non requiratur, neque opus sit Judicem pro tribunali sedere, licet interdum aliqua extra judicialis causæ cognitio necessaria sit, ideo nulla injuria Judici inferitur, in cujus territorio ejusmodi actus fiunt: Quamvis sanè consultius sit, Judicem ad evitandum scandalum, confusionem, & ne alienam jurisdictionem videatur invadere, hanc jurisdictionem non publicè, sed privatim administrare. *Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 19. n. 8.*

III. *Dividitur* jurisdictio ordinaria in personalem & realem; seu territorialem. Personalis cohæret ossibus personæ judicis, cum quo etiam extinguitur; qualis est jurisdictio Rectorum Academicorum. Realis est, quæ unacum re v. g. castro venit, eâ lege, ut eam accipiens quasi in patrimonio habeat, transmittatque ad hæredes; qualem in Germania nostra habent multi Comites, Barones, Nobiles, &c. per viam investituræ, vel aliam similem concessionem.

IV. *Dividitur* in jurisdictionem separatam, concurrentem, & communem. Separata est, quæ competit duobus privativè: veluti cum alii de aliis personis, causis, quantitativè, & locis cognoscunt: quia distinctam & discretam jurisdictionem habent. Concurrentem dicitur, quæ pluribus cumulativè

competit, ita tamen, ut unusquisque per se in solidum cognoscere, & definire possit causam; veluti cum eadem causae plurium Judicum notioni subiectae sunt: ubi occupationi vel praeventioni locus est: & ubi iudicium ceptum est, ibi finire debet. *l. 3. ff. de Iudiciis* Communis iurisdictionio est, quae competit commulativè pluribus ut universis, sicque simul & complexivè, adeò ut unus sine alio procedere non possit, quippe quòd omnes simul adesse debeant. *l. 37. ff. de Re iudicata.*

§. III.

- 7 *Causa efficiens* Jurisdictionis ordinariae est varia & multiplex: acquiritur enim vel supremi Principis Ecclesiastici, aut saecularis concessione, per *c. 33. §. ordinarii. causa 2. q. 6. l. un. ff. ad Leg. Jul. ambitus* vel electione Universitatis per *c. decernimus. de Iudiciis. & l. fin. C. de Iurisdic. vel* dispositione Canonum aut legum per *l. & quia 6. ff. Eod. vel consuetudinae, per c. 4. de Arbitris. c. 13. de Foro compet. Facit l. 32. ff. de LL. vel denique praescriptione. arg. l. possidere 3. §. 6. l. 6. §. 1. & l. 25. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. possess. Honor. ad h. t. n. 3.*

§. IV.

Subiectum Jurisdictionis ordinariae est is, cui competit. Ubi iurisdictionio Ecclesiastica secernenda est à civili seu saeculari.

- 8 *Jurisdictionio Ecclesiastica* I. competit S. Pontifici in Christianos totius orbis, ita ut singulorum causas etiam in prima instantia cognoscere valeat. *c. cuncta per mundum 17. & c. fin. causa 9. q. 3.* ut proinde non immeritò *Ordinarius Ordinariorum* nuncupetur: neque in terris ab alio iudicari possit, sed tota eius causa DEI iudicio sit reservata. *c. 14. dist. causa 9. 3.*
- 9 II. S. R. E. Cardinalibus, at non nisi in Titulis sui Cardinalatus, prout ex *c. his. qua. II. de Majorit. & obed. declarat Azor. Instit. moral. p. 2, l. 4. 6. 3. q. 1. & 2.*

III. Legatis & Nuntiis Apostolicis respectu Provinciarum sibi commissarum. *c. 2. de Officio Legati in 6. ubi Pontifex ait: Legator, quibus in certis Provinciis committitur Legationis officium, provinciarum sibi commissarum, ad instar Proconsulum, caeterorumque Praesidum, quibus certa sunt decreta provinciae moderanda, Ordinarios reputantes, &c.* Quam ob rem etiam delegandi potestate praediti sunt, ipsorumque potestas morte Papae legantis non expirat, ut *Tit. prac. n. 17. dictum.* Quin imò Legati maiore aliquando in provincia, quam alii Ordinarii scilicet Episcopi aut Archi-Episcopi potestatem habent: quippe cum etiam eorum ordinarii iudices sint; ita tamen ut causae eorundem graviores, & quae depositionem merentur, Papa specialiter reserventur. *Layman lib. 1. tit. 4. c. 7. §. 6. in princ.*

IV. Jurisdictionio ordinaria Ecclesiastica attribuitur Patriarchis & Primatibus, qui eisdem nomine differant, idem tamen eorum est officium. *Azor. d. p. 2. lib. 3. c. 35. q. 2.* Enimvero Patriarcha, adeoque & Primas est iudex ordinarius omnium tam Archi-Episcoporum, quam Episcoporum, qui sunt in suo Patriarchatu, seu Primatu, prout observat Vivianus in *c. duo 9. h. t.* Unde tamen de causis subditorum eorundem Archi-Episcoporum, & Episcoporum non possit cognoscere, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis, seu privilegii specialis, *d. c. duo 9.* attamen de causis & criminibus ipsorummet Archi-Episcoporum, & Episcoporum cognoscere, atque pronuntiare olim non prohibebantur, ipsos v. g. deponendo, vel remittendo pronuntiationem ad Papam. Verum hodie post Trident. *sess. 24. de Reform. c. 5.* causae criminales eorum maiores, quae scilicet depositione aut privatione dignae sunt, à solo Papa; minores vero à Concilio provinciali, vel à deputatis per

Concilium provinciale cognosci debent, & terminari.

12 V Hæc jurisdictio competit Archi-Episcopis, seu Metropolitanis, qui etiam Judices ordinarii sunt suorum Suffraganeorum, seu Coepiscoporum, ita ut iis præcipere, eosdemque negligentes ad officium compellere possint. *c. 54. de Appellat.* quamvis itidem in causis criminalibus, sive majoribus sive minoribus adversus eos hodie procedere nequeant sine Sedis Apostolicæ autoritate juxta Trident. *l. ctr.* sicuti neque contra subditos eorum Suffraganeorum, utpote in quos nullam jurisdictionem habent, nisi in casibus Jure expressis, nimirum cum visitant Provinciam, aut ab Episcopis ad ipsos appellatur, prout ex *c. 1. de Offic. Legati & c. ult. de Consib. in 6.* docent Interpp. cum P. Engl. *ad Tit. de Majorit. & obed. n. 26. & seqq.* quem consule.

13 VI. Competit Episcopis; qui in Diocesi sua non tantum ordines conferre, altaria consecrare, & id genus alia facere, sed quamcunque Ecclesiasticam jurisdictionem exercere possunt in omnes Diocesis suæ subditos, tam Clericos, quam Sæculares etiam Principes. *c. 16. h. t. c. 7. eod. in 6. juncto c. omnes. 4. & c. 6. de Majorit. & obed.* quibus locis id adeo ampliatur procedere, ut supremi quoque Principes Imperator & Reges in iis, quæ ad salutem spectant animarum, Episcopo loci obedire teneantur. Unde in *c. duo sunt 10. dist. 96.* legimus, quod D. Ambrosius Episcopus Theodosium magnum Imperatorem, & subinde alii Pontifices alios Reges & Principes excommunicaverint; ut dubium non sit, quin Episcopi tanquam Ordinarii in omnium suæ Diocesis delicta inquirere, & ubi animæ periculum vertitur, iis obviare, judicare, punire, nec non, cum opus fuerit, brachium sæculare invocare possint juxta *c. 1. h. t. juncto c. 8. de Foro compet.* Ex quo id quò ad sæculares limitatur, tunc potissimum obtinere, quando

Judex sæcularis negligens est, impunita relinquens subditorum suorum sæcularium delicta, aut quando delictum Ecclesiasticum, ut hæresis, sacrilegium, simonia &c. vel mixti fori est, ut adulterium, concubinatus, veneficium, blasphemia, &c. Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 4. per tot.* Secus se res habet cum Clericis, contra quos indifferenter in omnibus delictis & causis Episcopi procedere valent, saltem si sint Clerici sæculares.

Difficultas est: an etiam Religiosus extra claustra degens & scandalosè delinquens ab Episcopo immediatè puniri possit, maxime si non sit exemptus? Communis sententia negat: quia Religiosus adhuc manet immediatè subditus Abbati suo, consequenter ab Abbate tantum puniri debet, & in defectu hujus primùm ab Episcopo, supplendo scilicet ejus negligentiam; quæ sententia probatur ex *c. penult. h. t.*

Mihi videtur distinguendum: num Religiosus degat extra Monasterium sine licentia Superioris, aut in loco, ubi non viget regularis disciplina, neque aliàs exempto, seu incorporato alicui Monasterio: vel an vivat extra claustra cum licentia & voluntate Superioris, ac in loco, in quo viget observantia regularis, aut qui sit pars Monasterii, vel exemptus à Jurisdictione Episcopi? Priori casu cenfeo immediatè ab Episcopo Religiosum corrigi, & corripiti posse juxta Trident. *sess. 6. de Reform. c. 3.* quod Religiosum in tali casu immediatè Episcopo subjicit, saltem cumulative cum Abbate. Neque obstat *d. c. penult.* quia solum loquitur de exemptis, & quidem intra claustra delinquentibus. Posteriori verò casu procedit prior communis opinio, atque talis Religiosus immediatè & absolutè ab Episcopo puniri non poterit, sed ejus correctio primo loco ad Abbatem pertinet, & quidem privatè quo ad Episcopum, ita ut Episcopus se immiscere non possit. Ratio est: quia

quia cum ejusmodi loca dependeant à suis Monasteriis, censentur eodem jure, ac iisdem privilegiis gaudere, quibus Monasteria arg. c. 3. §. *ceterum. de statu Monach.* ideòque in proposito casu idem erit, ac si degens extra Monasterium, intra illud delinqueret; qui non nisi in defectum Abbatis ab Episcopo punitur. Et hæc distinctio in causis, quæ disciplinam, & statuta regularia concernunt, omnino admittenda est; imò etiam quò ad criminalia alia, exceptis iis, quæ depositione digna & notoria sunt. Latè Panormit. in c. 13. n. 21. & seq. de Foro compet. cui praxis & hodierna consuetudo accedit: testatur enim Navarrus comment. 2. de Regular. n. 63. se nullum vidisse Monasterium, in quo non Abbas de criminibus suorum Regularium cognoscat, & puniat, etiam in forma judicii. Nec refragatur Trident. sess. 24. de Reform. c. 20. ubi causæ matrimoniales, & criminales absolute dicuntur jurisdictioni Episcopi relinquendæ. nam ibi non est sermo de Regularibus immediate & speciali modo subjectis suis Abbatibus privative quò ad Episcopum; sed tantum de Decanis, & aliis subordinatis Clericis secularibus, quibus non ita absolute & independenter ab Episcopo populus subditus est. Confer Tambur. de Jure Abb. tom. 1. disp. 1 §. 9. 7. à n. 7. & Barb. de Officio & potest. Episc. p. 3. alleg. 105. à n. 13.

15 VII. Jurisdictio ordinaria Ecclesiastica competit Episcopi Vicario generali seu Officiali: quia illam non habet ab Episcopo, ut AA. volunt, sed immediate à Canone, ita ut ab Episcopo solum denominetur persona, cui postmodum à Jure potestas tribuitur. c. 3. de Appell. in 6. jurisdictio autem, quæ à lege est, ordinaria censetur, nisi aliàs lex constituat delegationem. c. à Judicibus v. ordinarii. causa 2. q. 6. Deinde, Vicarius generalis jurisdictionem sibi vindicat vi officii, quod obtinet. c. 2. ibi: *per commissionem Officii. de Officio*

Vicarii in 6. ergo ordinariam. Neque officio quòd vices Episcopi gerat: hoc namque fieri potest, etsi potestatem ab ipso non accipiat, sed à Jure, quemadmodum Archidiaconus. Notat tamen Vallens. de Officio Vicarii §. 5. n. 3. quòd in certis casibus Vicarius generalis etiam possit esse delegatus Episcopi, quò ad illa nimium. quæ de Jure sunt Episcopo reservata, & in prima institutione non concessa, sed tantum ex post facto separatim & specialiter ab Episcopo commissa; respectu istorum enim non habet jurisdictionem propriam, sed precise solum delegatam ab Episcopo, ut patet. Placè Vicarius foraneus, cum non habeat speciale & proprium officium, cui de jure annexa sit certa jurisdictio, sed totam suam jurisdictionem modò majorem, modò minorem immediate ab Episcopo accipiat, veluti quisvis alius ad universitatem causarum delegatus, ordinarius Judex non est, quia Episcopus jurisdictionem ordinariam concedere non potest. Gloss. in c. 2. v. *statuitur. Ne Prælati vices suas, &c.*

VIII. Jurisdictionem ordinariam habent Abbates, aliique Prælati exempti jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, adeo ut licet nomine Diocesanorum non veniant, at tamen veniant nomine Ordinariorum locorum, Barb. J. E. li. 1. c. 17. n. 94. ubi consequenter ex Glossa in Clem. 1. v. *proprie de Reb. Eccles. non alien.* infert, quòd hujusmodi Abbates & Prælati quò ad ea, quæ jurisdictionis sunt, regulariter omnia possint, quæ Episcopi in suis Diocesisibus, ut v. g. Confessarios intra suos terminos ad confessiones secularium audiendas approbare: denuntiationes matrimoniales remittere: absolvere ab irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientes (excepta eà, quæ oritur ex homicidio voluntario) & à quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ aliàs reservatis, de quibus Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. icent

item cognoscere de causis matrimonialibus, saltem mediante præscriptione, consuetudine, aut privilegio: dare licentiam alieno Episcopo, aut Prælati Pontificalia in suo districtu exercendi: concedere literas dimissorias Clericis sæcularibus sibi subditis, & similia: Quæ tamen maximè intelligenda sunt de iis Prælatibus & Abbatibus, qui non in Regulares solum, sed in populum quoque Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, adeoque non tantum quò ad regularia, sed pleno Jure exempti sunt ab Episcopo, ita ut neque de Diocesi, neque in Diocesi, sed extra Diocesim sint, & territorium, seu quasi Diocesim separatam habeant. *Azor. Instir. moral. p. 1. l. 12. c. 20. q. 19.*

17 IX. Etiam Prælati & Abbates non exempti sunt Pastores ordinarii suorum Regularium, etiam Novitiorum, prout hic supponitur, adeo quidem ut in pertinentibus ad regularia statuta & disciplinam præcipere, punire, suspendere, interdicere, & excommunicare possint, neque Episcopus se immiscere debeat, nisi in defectum propter negligentiam, aut absentiam Prælati, seu Abbatis. *Layman. in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 8. Barb. in c. 12. n. 4. h. r. & nos paulò ante.*

18 De Abbatissis dubitatur, an gaudeant jurisdictione ordinariâ? & quamvis de Jure regulariter mulieres ab omnibus Civilibus muneribus arceantur. *l. 2. ff. de R. F.* nihilominus specialiter Abbatissis conceditur proportionata jurisdictio per text. & Gloss. in c. 12. de Majorit. & Obed. vi cujus Monialibus sibi subditis præcipere possunt, quæcunque regulæ sunt conformia, ita nimirum exigente regimine claustrali. Illud quibusdam videtur paradoxum, dum in eodem cap. additur, quòd possint subditas Moniales, sicut & Clericos suæ Jurisdictioni subjectos ab officio & beneficio suspendere. Puto hoc accipiendum esse de subtractione fructuum, vel prohibi-

tionem, ne ibidem celebrent Divina: propriè enim suspendere, vel censuram infligere, ita ut trantgredientes irregularitatem incurrant, non possunt: cum fœminis ob fragilitatem, sexus Claves Ecclesiæ concessæ non sint. *c. nova. 10. de Pœnit. & Remiss. & ibi Glossa.* Habent igitur Abbatissæ ex vi officii administrationem spiritualium & temporalium, exceptis iis, quæ ad potestatem clavium, vel ordinum spectant. *arg. c. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* Unde possunt conferre beneficia, præsentare, ac instituere Clericos in Ecclesiis suorum Monasteriorum; non quidem illis concedendo jurisdictionem ad ligandum, & solvendum (hoc siquidem ad claves Ecclesiæ pertinet) sed dando possessionem ac titulum.

X. Ordinariâ potestate prædit sunt Guar-
diani, Priores & cæteri Superiores Conventuales, qui de jure omnia possunt, quæcunque ad observantiam regularis disciplinæ & ad ordinariam suorum Conventuum gubernationem pertinent; ea tamen non possunt, quæ ad jurisdictionem Episcopalem, & quasi Episcopalem spectant, ut v.g. licentiare ad SS. Ordines, approbare Confessarios, dispensare in casibus, qui solum Episcopis & Prælati superioribus reservati sunt, absolvere à casibus iisdem reservatis, approbare, seu reprobare contractus, & alienationes rerum temporalium Ecclesiæ, graviora supplicia infligere & hujusmodi: quia licet sint, & verè dici possint Prælati, quòd superiorem se in loco non habeant, attamen non habent tantam plenitudinem potestatis circa sibi subditos, quantam alii Prælati generales, & provinciales; eo ipso namque quòd subdantur Prælati generalibus, ab ipso Jure jurisdictio eorum limitatur, & coarctatur, ut non gaudeant illâ plenaria jurisdictione, qua gaudent Episcopi, neque exercere possint actum ullum pertinentem ad Episcopalem potestatem, prout copiosè exponit Miranda in *Man. Prælat. tom. 2. q. 19.*

a. 3. ac 4. Porrò Priores, aliique Superiores Claustrales, ii scilicet qui in eodem loco Superiorem se, v. g. Abbatem habent, & ipsi quidem circa minora negotia, præsertim ea, quæ observantiam disciplinæ regularis concernunt, pollent potestate ordinariâ, sed circa majora non possunt amplius, quàm ipsis ab Abbatibus specialiter committitur, ut constat ex praxi.

- 20 XI. Parochi quoque, itémque perpetui Parochiarum Vicarii ordinariam saltem in foro interno) jurisdictionem obtinent, in omnes Parochiæ suæ fideles, & de Jure scripto etiam in Reges & Principes; quamquam quod ad Sacramentum Pœnitentiæ attinet, Pontificio fermè diplomate, vel præscriptâ consuetudine licentiam nacti sint, quemvis approbatum Confessarium eligendi teste Layman & aliis, quos, laudat de Sacrament. Pœnit. tr. 6. c. 10. n. 3.
- 21 Cæterum quam jurisdictionem sibi vendicent Archidiaconi, Archipresbyteri, & Capitula Ecclesiarum, suis locis, & specialibus Titulis traditur.
- 22 *Jurisdictio secularis ordinaria* competit Ducibus, Principibus, Marchionibus, Landgraviis, Comitibus, Civitatibus, & aliis, qui habent universam jurisdictionem unius Provinciæ, vel loci ab Imperatore. Speculator *h. t. §. ordinarius*. Item Rectoribus Academiarum *auth. habita. & ibi DD. C. Ne filius pro Patre*. Magistris militum in negotiis militaribus. *l. magisteria potestatis. C. de Jurisdic. Dominis feudorum. c. imperialem de*
- 23 *Prohib. feudi alien. per Frideric. & c.* Neque dubites, hanc jurisdictionem Clericis quoque convenire: non enim repugnat potestati spiritali, sed ei inservit, & utraque est necessaria pro adæquato Regimine. Hinc in pluribus mundi partibus in comperto est, quòd Ecclesiastici à principio foundationis suarum Ecclesiarum, vel à tanto tempore, de cujus contrario ex extat memoria, cum potestate spiri-

tuali & Ecclesiastica possederunt, & adhuc possident Ducatus, Comitatus, Baronias cum jurisdictione temporali, exemplo Sacerdoti Veteris Testamenti, quibus præter decimas, primitias & oblationes concessit etiam DEUS quadraginta octo civitates. *Num. 31. & Josue 21.*

§. V.

Materia, seu objectum jurisdictionis ordinariæ sunt personæ & causæ, quibus & de quibus quis Jure suo jus dicere potest.

Quod personas attinet, debent esse subditæ jus dicenti per *l. 7. & fin. ff. de Jurisdic. Hinc I. nemo sibi ipsi, suisque jus dicere potest. l. 10. ff. Eod. Nec adversatur l. 77. ff. de Judiciis. ibi: in privatis negotiis Pater filium, & filius patrem Judicem habere potest: id enim procedit alterâ parte consentiente; secus, si sit invita, & contradicat. II. Nemo jus dicere potest æquali, vel majori. per *l. 4. ff. de Recept. qui arbiter* Excipitur: nisi major vel æqualis se ultrò subjiciat jurisdictioni alterius tunc enim ei & adversus eum jus dici potest. *l. 14. ff. de Jurisdic. l. 13. §. 4. ff. ad Senatus consult. Trebell. III. Nemo potest jus dicere personis, quæ protersus non sunt subjectæ, neque ratione domicilii, aut contractus, aut delicti, aut rei sitæ, aut ullâ aliâ ratione fundante subjectionem & competentiam fori; de quibus ad *Tit. de Foro compet.* At sufficiat tamen personam rei subditam esse, quamvis actor non sit; cum hic sequatur forum rei. *l. 2. C. de Jurisd. Et sufficit tunc subiectum esse, quando accipitur iudicium, licet postea forum mutet. l. 19. pr. ff. eod. ubi enim semel coeptum est iudicium, ibi & finire debet. l. 30. ff. de Judiciis.***

Quod causas attinet, alienæ huc pertinent non propriæ: quia nemo in causa propria est Judex idoneus. *l. un. C. Ne quis in sua causa. c. 27. causa 23. q. 4.* Dicimus autem causam propriam, si vel directè, vel indirectè commo-

dum, aut detrimentum Judicis in ea lite vertatur; veluti si pro reo fide jussit vel de evictione obligatus est, vel ab altero litigatorum hæres institutus. *l. 17. ff. de Judiciis.*

26. Limita hanc doctrinam I. Ut summus Princeps causas inter se suosque subditos exortas ipse cognoscere & decidere possit, hoc ipso, quod Judicem alium non habeat. *l. 4. ff. de Hæred. b. Instit. l. 3. ff. de his, qui in testam. del. c. 12. de Judiciis.* Nec tenetur Arbitris rem committere, quantumvis, si id faciat, rectius agat. Panorm. *in d. c. 12. n. 6.*

27. Limita II. Ut Judex ordinarius possit injuriam sibi ut Judici factam, & notoriam in continenti poenâ ordinariâ punire. *c. 24. dist. 63. c. 30. causâ 23. q. 4. l. 1. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* Ratio est: quia tunc Judex potius est executor juris, quam judex: in notoriis enim non tam sententiam ferimus, quam juris dispositionem exequimur. *c. 10. de Filiis. Presby. Gail. 1. Observ. 39.*

28. Limita III. Ut Judex, si ei exceptio incompetentiæ objiciatur, ipse judicare possit, an jurisdictione sibi competat nec ne? *L. 5. ff. de Judiciis.* Secus dicendum, si Judici de jurisdictione tanquam dominio controversia moveatur, vel opponatur exceptio sugillans ejusdem personam, v. g. quod sit suspectus, excommunicatus, infamis &c. super veritate enim istarum exceptionum non cognoscit Judex recusatus, sed illius Superior, vel arbitri a partibus electi: quia hic aperte agitur de commodo, & incommodo de proprietate, de honore, aut infamia ipsius judicis. *Gail. l. 1. observ. 34. & latè Panorm. in c. super literis 20. n. 10. de Rescript.*

29. Limita IV. Ut Episcopus vel alius Prælatas judicare possit in causa suæ Ecclesiæ. Layman *ad. d. c. 12. de Judiciis.* cum communi. Poterit tamen tali casu recusari Prælatas tanquam suspectus propter conjunctionem, quam cum sua Ecclesia gerit: *arg. c. 25. de Officio delegati.*

ubi recusatus Episcopus, quia adversarius familiaris eorum factus: major autem est affectionis suspicio erga propriam Ecclesiâ, quam erga familiarem. Certè si de commodo aliquo Prælati agatur, velut de redditibus ad Mensam ejus pertinentibus, nullò pacto judicem agere poterit per *cl. m. 2. de Reb. Ecclesiæ non alien.*

Limita V. Ut jurisdictionem voluntariam quis in causa propria, & apud se ipsum exercere possit, in ea nempe materia, in qua id specialiter non interdicitur. *l. 3. & 4. ff. de Adopt. l. 2. ff. de Offic. Prætor. l. 2. ff. de Officio Præsidi. Panormit. in c. 3. n. 11. & 12. de Probat.* Potissimum verò hæc limitatio procedit in illis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui à sola Magistratûs autoritate & approbatione robur accipiunt. Nam in aliis, qui ad sui valorem insuper causâ cognitionem solennem, ac decretum postulant, vix est, ut judex in causa pro, & sibi ipsi valeat jus dicere, ob periculum fraudis & læsionis, quæ ibi facile à Judice posse admitti. per *l. un. §. 2. ff. de Officio Consul.*

§. VI.

Ad formam Jurisdictionis ordinariæ re-31
ro modo eandem concedendi. Conceditur autem vel cumulative, vel privative. Cumulative dicitur concedi, quando Princeps non ita confert inferiori, ut semetipsum eâ privet; ac destituat, sed saltem, ut inferiorem magistratum sibi quodammodo accumularet, & quasi adjungat; non quidem ut ambo simul de eadem causa vel lite judicent, ac cognoscant, sed ut liberum sit partibus litigantibus, an velint causam apud hunc vel illum introducere, & cognoscendam proponere: unde vocabulum illud forense natum, quod *præventionem* vocant; scilicet, ut ille judex causâ pergat cognoscere, & terminare, ad quem prius ventum est, sive coram quo lis initium cepit. Privative conceditur, cum Princeps ita inferiori auctoritatem juris dicendi attribuit, ut

ut seipsum eadem autoritate, sive potestate privet. Præsumitur autem in dubio jurisdictionis potius cumulativè concedi. arg. l. 1. C. de Præfect. urb. l. quousies 9. §. fin. ff. de Administr. & peric. Tut. 1. 14. §. nos igitur. de Præbend. in 6.

§. VII.

32 *Finis* Jurisdictionis ordinariæ est: ut Religio, l. 4. C. de Summa Trinit. pax, concordia & tranquillitas publica servetur. l. 3. l. 13. ff. de Officio Præsidis. itémque ut lites finiantur & summam sanctissima Juris præcepta, quæ sunt: *honestè vivere; alterum non ledere; suum cuique tribuere.* §. 3. Inst. de F. & F. salva, & illabata custodiantur.

§. VIII.

33 *Effectus* Jurisdictionis ordinariæ is est præcipuus, quod quivis jurisdictionis hac ratione muneris sui præditus eam exercere per se, & alii etiam generaliter delegare possit. Vid. supra dicta de Offic. deleg. §. 1. n. 8. Alter effectus spectatur in actionibus & remediis, quæ competunt illi, qui, cum controversia ei de jurisdictione movetur, vel in eadem turbatur, probare potest, se in quasi possessione, vel dominio jurisdictionis constitutum esse ad hoc, ut defendatur. Et quidem si turbatio fiat in quasi possessione jurisdictionis, datur utile interdictum *uti possidetis.* c. 9. de Probat. Gail. de Pignorat. observat. ult. si quis vi, adeoque atrociter dejectus sit de quasi possessione jurisdictionis, pro ea recuperanda agere potest spoliatus interdicto utili *Unde vi* c. 24. de Elect. quamvis de Jure civili sententia hæc de Interdictis pro jurisdictione competentibus, vix obtineat. Cum verò de ipso jurisdictionis jure lis oritur, locum inveniunt confessoria, & negatoria actiones. Harpprecht in §. aq. 2. n. 4. Instit. de Action.

§. IX.

34 *Contraria* Jurisdictionis ordinariæ sunt modi, quibus Ordinarius esse desinit. Desinit

autem I. lapsu temporis, ad quod datus est. II. Amotione; seu privatione officii facta ab eo, qui jus amovendi habet, ex justa scilicet causa, v. g. ob abusum jurisdictionis. arg. c. 12. §. sacri. de Pœnis. III. Resignatione legitima officii, de qua supra Tit. 9. IV. Morte ejus, cui commissæ est jurisdictionis personalis, per *Novel. 22. c. 20. in pr.* & his similibus. Morte tamen illius, qui commisit jurisdictionem ordinariam non expirat, sive res adhuc sit integra sive non. Colligitur ex c. 2. de Officio Legati in 6. Atque per hoc distinguitur ordinarius à delegato, cujus jurisdictionis finitur, si delegans re integrâ moriatur, ut in Tit. de Officio delegati. n. 33. probatum. Ratio diversitatis est: quod ordinaria jurisdictionis concedatur autoritate juris, quod nunquam moritur; e contra delegata tantum proveniat, & dependeat ex voluntate delegantis, quando res est integra. Excipitur verò specialiter Vicarius generalis Episcopi, qui licet jurisdictionem ordinariam habeat, tamen eam amittit per mortem Episcopi etiam quo ad negotia jam cœpta, ex singulari ratione: quia eam non nisi dependentem à tribunali Episcopi accepit.

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

SUMMARIA.

1. Quid sit Officium Judicis 2. Et quotuplex?
3. Nemo nisi publica auctoritate officium hoc conferat qui potest.
4. Usque 13. Quis officio judicis fungi possit?
13. Usque 17. Quæ pertineant ad officium Judicis?
17. Officium Judicis consistit in causa cognitione, decisionem & executionem.
18. Finis hujus Officii.
19. Judicis officium exigit, ut non selectatur passivè, 20. Usque 25. Ut non accipiat personam.
25. 26. Ut abstineat à muneribus. 27. 28. Ut ne à veritate, aut legibus recedat.

Hec de diversorum Judicum officiis & potestate in specie. Modò exponitur Officium Judicis in genere.

§. I.

I Definitur Officium Judicis, quòd sit potestas, quæ ad dirimendas lites, tollendæque gravamina quomodolibet secundum æquitatem exercetur, ut per hoc omniùm tranquillitati privatim & publicè consulatur. Mynsing. *ad Instit. h. t. n. 4.* Brevius describi potest, quòd sit munus publicum cognoscendi, & definiendi res judicio postulatis.

§. II.

2 Dividitur Officium Judicis in nobile & mercenarium. Nobile officium DD. illud appellant, quod per se stat, hoc est, quod non præcisè deservit, & alligatur actioni partis litigantis, sed autoritate juris exercetur, etiamsi nulla proponatur actio. Et hoc contingit, vel adjuvando jus commune, ut si Judex parti pauperi ex officio deputet advocatum *l. 1. §. 4. ff. de Postulando.* pupillo tutorem, aut litigantibus judicem specialem constituat. *l. 1. ff. de Jurisd.* Vel sit impugnando jus commune, ut si concedatur restitutio in integrum, quæ rescinditur id, quod de jure alias validum. *c. 1. & 2. de Restit. in integr.* Officium Judicis mercenarium vocant, quod non exercetur, nisi ad instantiam partis habentis actionem in jure fundatam, ita quidem, ut si nulla moveatur actio, judicium inchoari nequeat; imo nec coeptum continuari, si partes mutuo consensu à lite desistant, aut transigant. *l. adiles 25. §. 8. ff. de Edil. edicto. P. norm. in c. 2. h. t. in 6.* Ideo autem mercenarium dicitur, quia Judex ad id videtur suo modo, obligatus, quemadmodum mercenarius ad operas alteri pro mercede locatas.

§. III.

3 *Causa efficiens* Officii Judicis est autoritas juris vel consuetudinis, & consensus Principis, vel ejus, qui jus dandi Judicem habet; ut

ex dictis colligitur, ac per se manifestum est, neminem nisi publicâ autoritate illud officium obire posse, *l. 78. ff. de Judiciis.* & inde est lex Julia de ambitu lata adversus eos, qui pecuniâ & largitionibus ambiunt magistratus, quâ ambientibus irrogabatur pœna exilii cum infamia *l. un. ff. Ad l. Jul. de amb.* quæ tamen passim negligitur, teste experientiâ, Sed utinam non negligeretur, vel severiorem etiam aliquando Principes statuerent de non emendis vendendisque dignitatibus & officiis, cum ex hac mercatura gravissima mala in Remp. redundent, ut expendit Azor. *Instit. moral. p. 3. l. 8. c. 7. q. 3.* & Nos alibi.

§. IV.

Subjectum est, qui fungitur officio judicis. Fungi autem potest omnis, qui non prohibetur naturâ vel jure. *c. 1. causâ 4. q. 7. l. 12. §. 2. ff. de Judiciis.*

Natura prohibetur I. perpetuò furiosus, infans, & omni alii usu rationis destituti; quia defectus usus rationis inhabilitat ad omnem actum moralem & humanum. Ante furorem tamen judex datus, si spes sit sanæ mentis reditura, in eodem permanet officio, sed judicandi necessitatem morbus fonticus remittit. *l. 46. ff. de Judiciis.*

II. Prohibetur mutus & surdus. *d. l. 12. §. 2.* Mutus: quia neque interloqui, neque sententiam recitare potest; quorum utrumque judici incumbit. *h. t. Instit. h. t.* Surdus: quia nequit audire disceptationem partium, depositionem testium, & utriusque partis jura plenâ inquisitione discutere; quæ magna pars est muneris judiciarii. *l. 9. C. de Judiciis. c. 11. causâ 30. q. 5.*

An cœcus judex esse possit? inutilis fermè quæstio est; ut tamen moræ deferam, dico, posse esse: cum nullâ lege ab hoc munere arceatur, nec cœcitas oculorum noceat claritati ingenii, quo judex censetur. Et hanc sententiam probat *l. cœcus 6. C. de Judiciis.*

Verum sunt quaedam causae, in quibus coecus hoc officio judicandi fungi non valet; quae videlicet ocularem inspectionem desiderant, ut si de finibus agatur, aut de comparatione literarum. *l. 8. §. fin. ff. Fin. regund. l. 22. C. ad L. Cornel. de fals.*

7 III. Prohibetur impubes, sive qui 14. aetatis annum nondum complevit: quia caret iudicio requisito ad hoc officium, & ideo omnibus officiis civilibus debet abstinere. *l. 2. §. 1. ff. de R. F. Hodie tamen, ubi iurisdictio ex successione obvenit, ea etiam in pupillos, aliosque utcumque prohibitos transit, sed per Tutores, Curatores, aut Administratores exercetur. P. Engel ad h. t. n. 4.*

8 Jure ab Officio judicis arcetur I. minorennis; *c. 41. de Officio deleg.* At sub ista distinctione: aut est minor 25. annis, major tamen 20. & potest dari iudex etiam invitis partibus *l. 41. ff. de Recept. qui arbitr.* ubi Callistratus alii, lege Julia cautum esse, *ne minor. 20. annis iudicare cogatur.* Aut est minor 20. annis, major tamen 18. & tunc non potest dari iudex nisi vel à Principe, vel ex consensu partium, ut patet ex *d. c. 41.* Aut est minor 18. annis, & non nisi à solo Principe iudex constitui potest, qui si gnarus aetatis ei causam committat, hoc ipso censetur illum habilem reddere per *l. 57. ff. de re jud.* Confer. Panorm. *ad d. c. 41. n. 5.*

9 II. Prohibetur foemina. *d. c. 1. causa 3. q. 7. causa 33. q. 5. l. 12. §. 2. ff. de Judiciis.* Ratio forte est vitium levitatis, ac sexus mobilitas; & quod lubricum, captionibusque obnoxium sit foeminarum iudicium. Excipitur: ut officium iudicis foeminae competere possit, ubi ex usu, & consuetudine, vel privilegio Principis iurisditionem ordinariam haereditariam habet. *c. 4. de Arbitr. l. 2. & ibi DD. ff. de R. F.* consultus tamen est, ut munus iudicandi aliis committat.

10 III. Servus: quia quoad officia civilia re-

putatur pro nullo. *l. 32. ff. de R. F.* debet autem servus non solum revera talis esse, sed etiam pro tali haberi: etenim si communiter liber habitus in iudicem eligatur, ejus acta sustinentur, lege humana propter communem errorem defectum iurisditionis supplente, ne in causis publicis decipiamur, ac graves confusiones suboriantur. *L. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat.* Quam legem DD. communiter extendunt ad quemcumque alium casum, ita ut acta iudicis quomodocumque illegitimi semper teneant, si habeatur communiter pro legitimo: nam communis error titulo subnixus jus facere dicitur, modò illa illegitimitas non sit juris Divini, aut naturalis: quia tunc lex humana defectum supplere nequit. Latè Sanchez *l. 3. de Matrim. disp. 22. per tot.*

IV. Prohibetur iudicare qui senel senatus, aut dignitate motus est. *d. l. 12. §. 2. ff. de Jud. c. 1. causa 3. q. 7.* dummodò amotus sit ob turpem causam, cujus generis recenset *l. 7. ff. Ad leg. Juliam repetund.* Et ad hanc classem pertinent quoque infames per *d. c. 1. & l. 2. C. de Dignitat.* Item excommunicati. *c. 24. de Sentent. & rejud. & Haeretici. c. 10. de Officio ordin. & c. 13. Sacerdotes. de Haeretico.* Limita: nisi excommunicatio, aut haereticus sit tolerata, ut in praxi nostrae Germaniae patet.

V. A munere iudicandi arcetur Canonum legum, morumque imperiti, & qui carent scientia requisita ad iudicandum de causa commissa. *c. 1. de Consang. & Affinit. Novel 82. pr.* Ratio est: quia iudicem non secundum animi sui ductum, sed secundum Canones, leges, statuta, itemque rationabiles consuetudines & mores locorum iudicare oportet. *c. 1. & 5. de Constit. princ. Inst. b. t. Novel. 18. c. 1. Novel. 82. c. 2. & 13. Gail. 1. Observ. 36. & si per imperitiam male iudicet, litem suam facit, & obligatur parti laesae, quatenus religioni Superioris aequum visum fuerit. *princ. Instit. de oblig. qua ex quasi del. l. fin. ff. de Extra.**

ord. cognit. Imò ab hanc imperitiam Prælati-
tus jubetur Prælati de jeci. c. nisi §. pro defe-
ctu. de Renunt. c. fin. de Eccl. & qualitat.

§. V.

13 *Materia seu objectum* aliud est officii nobi-
lis Judicis, aliud est officii mercenarii.

Ad Objectum officii nobilis Judicis spectant
inquisitio & punitio sceleratorum, absolutio
à censuris, admissio postulationis, restitutio
in integrum minorum, cautio damni infecti,
facultas concedendi veniam ætatis, constitu-
endi Tutores, vel curatores, dandi advocatum
parti, quæ illum habere non potest, restitutio-
natalium, famæ & honoris, creatio notario-
rum, & omnia alia, in quibus Judex interpo-
nit suum officium vel motu proprio & nemine
petente: vel ad instantiam & implorationem
quidem partis, sed sine actione proposita.

14 *Ad Objectum* officii mercenarii pertinet,
quidquid Judex proposita jam actione in ju-
dicio præcipit, prohibet, vetat, permittit, in-
ter loquitur: ista enim omnia dicuntur expedi-
di officio Judicis mercenario. *L. utiles 25. §.*
item sciendum ff. de edict. edicto. DD. in l. 1.
ff. de Jurisdic. Quin & cognitâ jam contro-
versâ illud Judicis officium deservit etiam
causâ definiendâ sive decidendâ: quippe om-
nes sententias Judex ex officio mercenario
pronuntiare dicitur: nec tantum super re prin-
cipali, & causâ in judicium deductâ, sed etiam
super fructibus, damnis, sumptibus litis, aliis-
que accessionibus. l. 49. §. ult. ff. de Actionib.
empri. l. 55. ff. de re judicata. Schneidervv.

in §. 11. n. 10. inst. de Actionib. Sanè exe-
cutionem non hoc mercenario, sed nobili
Officio Judicis fieri, versis est: tum quia
officium mercenarium simul atque definitiva
sententia, quæ totam causam terminat, lata est,
cessat atque expirat. *l. Judex. 55. ff. de re jud.*
adeo ut nec postmodum de expensis judicare
possit. *l. terminata. C. de fruct. & lit. expens.*
tum quia à sententia definitiva appellari

potest; ab ejus autem executione, nisi mag-
nis ex causis, non appellatur.

Dubium est: utrum ad officium Judicis
spectet supplere exceptiones, vel allegationes
partium, quas fortè imprudentes Advocati
omiserunt? & communis sententia sustinet,
judicem absolute quidem ad id non obligari,
cum non teneatur simul esse Advocatus par-
tium; posse tamen, si ejus nobile officium
imploratum fuerit, supplere ea, quæ sunt
Juris v. g. omissam exceptionem præscriptio-
nis, vel Senatus consulti Vellejani, non verò
ea, quæ sunt facti per expressum text. in *l. un.*
C. ut qua desunt Advocatis. Judicis enim
non est facta aliorum proponere, tanquam
ordinarie sibi incognita, & præcisè ab aliis
dependentia; bene autem fundamenta juris
ipsis factis applicare, & desuper ferre senten-
tiam. Illud probabilius est, exceptionem,
quæ ex actis relucet, supplendam esse à Judice
non modò in causis Civilibus, sed & Crimi-
nalibus. *Mynsing. 3. Observ. 38.* Adeoque
etiam præsumptio supplenda necessariò, dum-
modò allegatum fuerit factum, unde exsur-
git: veluti ex allegato & probato possessio-
nis initio, ultra Judex ejus tractum præfens
præsumet oer *l. 15. §. 3. ff. Ex quibus causis*
major. l. 4. C. ad exhibendum.

§. VI.

Forma officii Judicis in tribus potissimum
consistit, cognitione nempe, decisione, & exe-
cutione. Cognitione fit, quando utraque pars
auditur, rationesque allatæ ponderantur, & ad
justitiæ lancem appenduntur. Decisione
fertur æqua sententia, & cuique parti suum
attribuitur. Executione non solum sententia
lata confirmatur, & approbatur, sed insimul
quoque res victori traditur, & appropriatur.

§. VII.

Finis officii Judicis est suum quique tribuere
secundum leges & consuetudinis sententiam
ferendo, attentâ præ omnibus mente legis-
la-

tatoris & æquitate naturali. c. 6. de V. S. l. 5.
C. de L. l. 90. ff. de R. F.

§. VIII.

19 *Effectus* Officii Judicis spectatur in obligatione juris dicendi, æquitatisque statuendæ; cui ut Judex satisfaciatur.

I. Cavebit, ne flectatur irâ, odio, timore precibus, vel amicitia, sed ut fungatur officio boni & innocentis viri. c. 4. causâ 3. q. 7. Quare Baldus duplicem salem requirit in Judice, scientiæ scil. & conscientiæ, eumque sine illo insipidum, sine hoc verò diabolicum esse pronuntiat.

20 II. Judex non accipiet personam: quia in judicio non est habenda personarum acceptio juxta c. 12. de R. F. in 6. Quod (ut summam hic perstringam) variis modis fieri potest. *Primò* accipit Judex personam, ideoque graviter peccat, quando in alterius partis gratiam fert iniquam sententiam. *Secundo*, si casu, quo causa civilis ex parte unius litigantis apparet probabilior justior, & ex parte alterius minùs probabilis, non judicat secundum eam, quam ipse censet probabilioris: Judex namque à Rep. vel Superiore constitutus est ad definiendas causas, prout melius videtur & conformiùs legibus, ac rationibus.

Hinc Innocentius XI. Anno 1679. die 2. Martii meritò contrariam sententiam damnavit, & prohibuit. *Tertiò* accipit Judex personam itidem in causis civilibus, quando, ubi est æqualis probabilitas (sive juris, sive facti) non æquè favet utrique parti, materiam scil. sive rem liti subjectam æqualiter inter partes dividendo, si secundum se, aut secundum pretium divisibilis sit, aut si divisibilis non sit, eam ex consensu parti per sortes uni adjudicando, vel aliter partes inter se componendo: quia Judex suum cuique jus tribuere tenetur, neque potest absque periculo acceptionis personarum & manifesta injustitia uni parte majus jus ad rem concedere, quàm à parte rei

juxta merita causæ habeat, sicut nec alteram partem suo jure privare, cum rei controversia dominus non sit. Ergo in casu, quo utraque pars omninò æquale jus habet, utrique æquale jus adjudicare debet, & non uni totum, alteri verò nullum; nisi alterutra pars rem possideat, vel causa, de qua igitur, sit privilegiata, & favorabilis, nam cæteris paribus pars possidens, & causa favorabilis prævalet, & pro ea judicandum per c. 65. de R. F. in 6. & c. fin. de Sentent. & re jud. Menoch. de Arbitr. casu 339. n. 22. *Quartò* Judex accipit personam, quando in criminalibus condemnat reum, præsertim ad pœnam ordinariam, habentem causam æquè probabilem, quàm accusator, aut etiam minùs probabilem, dummodo probabilem: tum quia in criminalibus, si parium jura sunt obscura (uti sunt quando utrinque sunt opiniones probabiles) reo favendum est potius, quàm actori juxta c. 11. de R. F. in 6. tum quia ad condemnandum reum oportet probationes contra eum luce meridiana esse clariores juxta l. fin. C. de Probat. satius enim est impunitum relinqui facinus nocentis quàm innocentem condemnare. l. 5. ff. de Pœnis. *Quintò* denique Judex accipit personam, non solum, quando non secundum merita causæ judicat, sed etiam quando causas pauperum protendit, divitum citò expedit: item quando absque legitima causa uni parti constituit longiorem terminum ad probandum, aut informandum, quàm alteri; etsi enim leges iudicibus permittant, ut pro arbitrio, & exigentio dilationes longiores vel breviores indolgeant, non tamen concedunt, ut pro libidine & gratificandi studio possint uni parti tribuere longiorem terminum, quàm alteri, maxime cum alterius incommodo. Sed de his plura alibi.

III. Judex abstinebit à muneribus, ne venales habeat sententias; adeoque nec ab eo quidquam accipiet, qui bonam causam habet, ut secundum eam pronuntiet, quia justitia non

est pretio æstimabilis. c. 66. causâ 11. q. 3. c. 10. de Vita & honest. Cleric. Quodsi defacto aliquid notabile acceperit Judex, tum in primis conditione ob turpem causam ad restitutionem conveniri, & repeti potest à dante: nisi constet dedisse animo corrumpendi judicem; quo casu cessaret repetitio, cum turpitudine subesset tam ex parte dantis, quam accipientis, consequenter devolveretur res tradita ad fiscum, sicut omnia similia injuste quaesita arg. l. Lucius. ff. de Fure fisci. Ordinariè verò videtur potius dare pecuniam judici, ut non extraordinariè molester, & intensus sit, sed faciat, quod justum est. Insuper Judici, qui sordibus se corrumpi patitur, graves poenae irrogantur, juxta arbitrium Superioris, & circumstantiarum qualitates, ut apertè colligitur ex l. 2. ff. de condict. ob turp. caus. & t. ff. & C. ad leg. Juliam repetund. Novel. 124. c. 2. Excipiuntur tamen moderata esculenta & poculenta sponte oblata, quorum receptionem jura permittunt Judici. c. 11. §. in super de Rescript. in 6. & l. 18. ff. de Officio. Praesid. ex praesumptione, quod per hæc non inflectitur animus boni viri, & quod potius humanitatis, quam corruptelæ, & affectus mundinandi causæ offerantur, quamvis melius utique foret etiam ab his abstinere, & juxta consilium Psalmistæ, excutere manus ab omni munere.

26 Num verò Judex saltem pro suo labore ab utraque parte sportulas, id est, certam quotam pecuniæ, vulgò Gericht-Gelt accipere possit? ambigitur. Dixeris non posse, eò quod justitia gratis administrari debeat. Ego referre arbitror: an Judex jam aliàs habeat constitutum aliquod salarium pro honesta sustentatione sufficiens, vel non? priori casu de Jure scripto sportulæ exigi non possunt juxta Novel. 8. §. scriptum est exemplar & sicut & cap. 10. de Vita & honest. Cleric. Quod cap. licet tantum loquatyr de Judice delegato, idem

tamen dicendum erit de Ordinario, utpote longè magis ad justiciam administrandam obligato. Casu posteriori subdividuo inter forum Civile & Canonicum. In foro Civili, cum ordinariè (abstrahendo à laboribus privatis) ex publico & aliunde congrua ac perpetua sustentatio non tribuatur, sed per propriam industriam quisque sibi providere debeat, moderatæ sportulæ conceduntur, quales pro Pedaneo seu Judice dato determinatæ sunt in Novel. 82. c. 9. nemo enim suis stipendiis militare cogitur, nec propterea officium ejus cessat esse gratuitum, ut liquet ex cit. Novel. In foro Canonico autem juxta d. c. 10. de Vita & honest. Cler. & c. 11. §. in super. & seq. de Rescript. in 6. sportulæ absolutè etiam delegato Judici denegantur; cum in hoc foro ordinariè delegatio fieri soleat personæ Ecclesiasticæ, quæ sufficientem sustentationem ex beneficio habere præsumitur. Quodsi tamen aliquis non habeat beneficium ad sustentationem sufficiens, tunc arg. d. c. 10. à sensu contrario cum Panorm. ibid. n. 11. existimo sportulas peti posse.

Imò de consuetudine videmus, passim in Judiciis quoque ordinariis sportulas quasdam exigi, eò quod intuitu illarum minora salaria judicibus assignari soleant, & alioquin magis habiles officium Judicis in utroque foro subterfugerent, non absque detrimento Reip. & verò talis consuetudo, damnari nequit: cum non sit contra rationem, dare etiam cum intentione obligandi, vel accipere aliquid pro tantis laboribus, periculo. & molestis, quibus defatigantur Judices, si officium suum ritè adimplere velint, præsertim ubi ordinarium salarium laboribus proportionatum non est, vel jam ex alia causa debitum, quemadmodum v.g. redditus beneficiales debentur Clerico intuitu ministerii spiritualis, etsi Judicis delegati officium non subeat. Nec paritas est inter munera & sportulas: quia hæc debentur

Y

pro labore; ac sustentatione Ministrorum justitiæ, & quidem æqualiter ab utraque parte, five absolvatur five condemnetur, ut proinde Judicem non corrumpant, vel magis ad alteram partem inclinent, sicuti munera, quæ inæqualiter offeruntur præcisè ad conciliandum favorem Judicis contra naturam justitiæ, quæ æqualiter omnes respicit.

27 IV. Judex veritatem sectabitur. Oportet igitur cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere: interrogandi, respondendi, objiciendique, præbita patientiâ ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec litigantibus Judex prius velit suâ sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant: & tam diu actio ventiletur; quousque ad rei veritatem perveniatur. Textus in c. 11. causâ 30. q. 5. An verò Judex conscientiam in judicando, vel potius acta & probata sequi teneatur? iterum alibi discutiemus.

28 V. Judex nihil ex arbitrio domesticæ voluntatis faciet, sed ordinariè juxta leges, ac jura pronuntiabit, præsertim inferior. c. 3. dist. 4. c. 4. causâ 3. q. 7. primo. Instit. h. t. Novel. 82. c. 13. Ratio est: quia jus certum est, & æquali fronte omnes respicit. Ergo potius ex eo, quàm ex humano arbitrio, quod moveri gratiâ, frangi potentiâ, prece, pretiõve corrumpi, odiõ, spe & metu concuti potest, Judex justitiâ administrabit.

Notanter autem dixi I. Ordinariè: quia Judex etiam inferior potest aliquando recedere à lege scripta, scil. si constat, aut probabilius est, aliam fuisse mentem legislatoris, tunc enim relictis verbis tanquam cortice legis potest sequi mentem legislatoris, ceu legis animam per c. 41. de appellat. c. ult. de R. F. in 6. l. 17. & 29. ff. de legib. l. 13. §. 2. ff. de Excus. Tutor. Atque ita etiam intelligo l. placuit 8. C. de Judiciis. quæ jubet, æquitatis magis, quàm stricti juris rationem haberi.

Dixi II. Præsertim Judex inferior: quia Supremus Princeps potest dispensare in legum rigore, quando videt id expedire Reip. quod non potest inferior, nisi ex tacita vel expressa Superioris concessione. Quodsi leges discrepent, semper jus novissimum sequendum est juxta l. 1. ff. ad l. aquil. Unde fit, ut Judex potius secundum consuetudinem, vel statutum judicare debeat, quàm secundum legem; sic tamen, ut illud ex jure communi interpretetur arg. c. 1. de Constit. in 6.

TITULUS XXXIII. De Majoritate & Obedientia.

SUMMARIA.

1. Quid sit majoritas, 2. usque 12. & unde desumatur
12. Abbatum prerogativa. 23. Præcedentia Ordinum regularium.
14. Quis sit Judex competens litium de præcedentia
15. Majoritas conservatur unitas Ecclesiæ.
16. Ex Majoritate oritur obedientia.

Quia Judicum alii sunt majores, alii minores, idèo hîc competenter agitur de Majoritate & Obedientia.

§. I.

Definitur majoritas, quòd sit prerogativa quâ quis aliis est dignior & honorabilior.

§. II.

Causa majoritatis sunt excellentia potestatis seu jurisdictionis: præminentia ordinis Consecrationis, vel Benedictionis: dignitas conferentis: & prioritas temporis.

Primo igitur & ante omnia attendendum est ad nobilitatem status, & jurisdictionis amplitudinem; vi cujus omnes longè antecellit S. Pontifex, ut qui absolutam & toto orbe diffusam potestatem habet. Proinde post S. Pontificem hodie succedunt Cardinales

qui licet non omnes Episcopi, vel Presbyteri sint, nihilominus præcedunt Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas: quia isti unius duntaxat diocesis, vel certi cujusdam districtus, Cardinales verò totius populi Christiani curam gerunt, & utilitatem promovent, dum S. Pontifici ceu Consiliarii à latere assistunt. Ita declaravit Eugenius IV. in sua Bulla, quæ incipit: *Non mediocri*. Cardinales subsequuntur Patriarchæ & Primate: hos Archi-Episcopi; istos Episcopi, aliique Prælati; & demum Clerici inferiores, de quorum potestate in jure diversis locis sermo est.

6 Quod si aliqui in dignitate & jurisdictione omnino pares sint, tum *secundo loco* attenditur ad prærogativam Ordinis *c. fin. dist. 17. c. 5. dist. 93. c. 15. h. t.* Sic inter Cardinales Episcopi præferuntur aliis Cardinalibus Presbyteris, & hi Diaconis &c. Idem de jure dicendum foret de Canonicis Ecclesiarum

7 Cathedralium. Verùm de consuetudine, vel juxta particularia locorum statuta hodie in plerisque Canonicatibus præfertur antiquior, qui scilicet prius in numerum Canonicorum est receptus, sive deinde in majoribus ordinibus constitutus sit, sive non. Talem autem consuetudinem introduci posse, utpote contra legem merè positivam, nullus dubito, quamvis Barb. *l. E. U. lib. 1. c. 21. n. 86.* hujusmodi consuetudinem irrationabilem censeat, consequenter non admittendam.

8 Porro ad hanc causam præcedentiæ etiam refertur consecratio & benedictio, vi cujus Episcopus consecratus antecedit non consecratum, & Abbas benedictus non benedictum. Vallenfis *h. t. num. 3.*

9 Tertio si in prioribus paritas sit, de jure attendendum foret (licet in praxi parùm observetur) ad dignitatem, vel præcedentiæ ordinantis, aut certum gradum conferentis, ita ut ille, qui v. g. à S. Pontifice Sacerdos est ordinatus, præferendus sit reliquis Sacer-

dotibus ordinatis ab Episcopo *c. 7. h. t.* Unde in simili post Glossam infert Panormit. *ibid.* quòd in Synodo provinciali illi Episcopi & Prælati cæteris digniores & majores habendi sint, quos Papa ab aliorum etiam superiorum potestate & jurisdictione speciali privilegio exemit, ex quo enim eos Papa per exemptionem voluit honorare, alii quoque non dedignabuntur eis inter cæteros exhibere honorem, arg. *c. 6. de Privileg. in 6.* ubi dicitur, quòd Abbates exempti pretiosiore mitrà, dum sunt in synodo, uti possint, quàm non exempti. Hinc item ille, qui posteriùs receptus est in Canonicum auctoritate Apostolica, antefendus est in assecutione præbendæ, quæ primò vacaverit, illi, qui Legatorum, vel aliorum quorumcunque auctoritate, quamvis priùs receptus est juxta *c. 12. de Præbend. in 6.* quemadmodum etiam in Jure civili ii cæteros præcedunt, qui à Principe dignitatem consecuti sunt per *l. 2. ff. de Albo scribendo.* sine dubio ideo: quia majus est bonum & efficacius, quòd à majori datur.

Quarto præcedentiæ tribuit tempus, quo aliquis in ordine, officio, vel gradu constituitur, ita ut cæteris paribus semper præferatur antiquior. Text. & DD. in *c. 1. h. t.* obrinet enim tunc vulgata regula: *qui prior est tempus, prior est jure.* Unde in sessionibus, in dicendis sententiis, in subscriptionibus &c. juniores postponuntur senioribus: hinc senior collegii collegium congregat: hinc item Episcopus consecratione, Canonicus creatione, & Religiosus professione antiquior inter Episcopos, Canonicos, seu Religiosos ejusdem Monasterii primus sedet. Dixi autem, & quidem notanter: *cæteris paribus*: hoc est, si eandem functionem, dignitatem, vel ordinem habeant: quia si major v. g. in dignitate, aut ordine concurrat cum antiquiore quidem, sed minore in dignitate

vel ordine, tunc, ut supra dictum, major dignitate seu ordine preferendus est, etsi junior, & posterior sit tempore; nisi per consuetudinem, privilegium, vel prescriptionem contrarium sit introductum, ad quæ jura specialia, maxime in hac majoritatis materia, præ reliquis advertendum est. Vid. Pirrhing *h. t. num. 3. & 4.*

12 *Dubatur* I. quem dignitatis gradum Abbates & Prælati regulares teneant comparatione Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium? Sustinent aliqui, tales Canonicos præcedere Abbates saltem tunc, quando capitulariter, seu collegialiter incedunt, eo quod ut sic cum Episcopo unum quodammodo corpus constituent, eumque repræsentent. Verum licet hoc admitti possit mortuo Episcopo, utpote in cujus jurisdictionem universam tunc succedunt, aliàs tamen semper præferendi videntur Abbates; aliique Prælati regulares, præsertim infulati & benedicti, tam ratione ordinis & benedictionis, quam ratione potestatis & jurisdictionis absolute in suos Religiosos & subditos competentis. Imò propter prædictam benedictionem, & jurisdictionem probabiliter præponuntur etiam Archidiaconis, cum per *c. fin. de Officio Archid.* specialiter Monasteria ab Archidiaconorum jurisdictione eximantur. Neque obstat *c. 1. Eod.* ex quo DD. communiter tradunt, Archidiaconum esse primum in dignitate post Episcopum: hoc enim tantum verum est respectu aliorum Clericorum secularium: quia nomine Clerici in odiosis non comprehenduntur Regulares. Unde non minus apud Barb. *J. E. U. l. 1. c. 17. in princ. & alios ib.* laudatos dicuntur Abbates primam post Episcopum in Ecclesia habere dignitatem, & in conciliis generalibus anteposendi omnibus aliis Prælati præter Episcopum. Interim non negaverim, particularem consuetudinem locorum quandoque hunc ordinem præcedentiæ turbare.

Dubatur II. quibus Ordinibus Religiosorum ante alios præcedentiæ competat? In primis distinguendos esse Mendicantes à non mendicantibus: illi enim istis semper postponuntur. Inter ipsos Mendicantes illi de jure præcedunt, qui prius in aliquo loco Monasterium obtinuerunt, nisi fortè alii fuerint jam in quasi possessione juris præcedendi constituti. Non mendicantium præcedentiæ desumitur vel ab antiquitate Ordinis; vel fundationis; vel etiam ex modo vivendi: ita ut inter Religiosos diversi Ordinis illi antecedant, quorum Ordo citius à Sede Apostolica approbatus, vel qui simul activam & contemplativam vitam agunt. Inter Religiosos autem ejusdem Ordinis illi regulariter præferuntur, quorum Monasterium prius fuit fundatum, quamvis interdum etiam dignitas instituentis, vel excessiva pluralitas Religiosorum præcedentiæ conferat, maxime de consuetudine. Denique inter Religiosos ejusdem Ordinis & Monasterii attenditur dies professionis: quod si duo simul professionem emittant, is præponendus est, qui prius fuit ad habitum admittus, quem tamen ordinem ex rationabili causa mutare licet. P. Engel *h. t. n. 64.* Barb. *J. E. U. l. 1. c. 43. n. 181. & seqq.* ubi hæc diversis decisionibus confirmat.

Cæterum Judex competens in causa præcedentiæ, si inter personas Ecclesiasticas interiores lis oriatur, est Episcopus. Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 13.* Quod ex constitutione Gregorii XIII. extendit Barb. *J. E. U. lib. 2. c. 11. n. 85.* ad Confraternitates laicorum, si de præcedentiæ in Processionibus, & similibus actibus disputent, eo quod hæc materia vel spiritualis sit, vel spiritualibus annexa. Aliorum verò Prælatorum Episcopo superiorum lites de majoritate decidere ad S. Pontificem spectat: ejus siquidem est, gradus Ecclesiasticos in Jure forsan non sufficienter expressos determinare.

§. III.

15 *Finis* Majoritatis est, ut Ecclesiæ unitas conseruetur, quæ haud subsisteret, nisi personarum subordinatione firmaretur. *c. ad hac. 7. dist. 89.*

§. IV.

16 *Effectus* Majoritatis & altera rubrica pars est obedientia, quæ intuitu majoritatis ab inferioribus præstari debet superioribus, atque in tribus potissimum consistit, nimirum in reverentia majoribus debita: in subeundo iudicio, quatenus inferior citanti parere teneretur; in iis scilicet, in quibus subest, non item in aliis quibuscunque: & in præcepto seu mandato superioris observando, nisi illicita contineat. *c. 3. & 13. h. r. c. 93. causa 3. q. 3.* in dubio tamen obtemperandum est superiori præcipienti: quia habet præsumptionem pro se, & multa sæpè facit ex iustis causis & circumstantiis, quas subditi ignorant. *c. quid culparur. causa 23. q. 1. Vallens. h. r. n. 7. & seqq.*



TITULUS XXXIV.
De Treuga & Pace.

SUMMARIA.

- 1. Treuga definitio.
- 2. Et divisio.
- 3. Quis possit treugam inire?
- 4. Exponuntur conditiones necessaria ad bellum iustum.
- 5. Treuga etiam hosti servanda.
- 6. Ex quibus causis solvatur?
- 7. Quid sit pax? 8. Num Princeps pro pace obtinenda possit remittere damna subditis illata?

Judicium Ecclesiasticorum & Majorum est discordantes componere. *dist. 90. per eos.* Unde hic de Treuga & pace: ac in 2. seqq. de Pactis & Transactionibus subjicitur.

§. I.

1 *Definitur* Treuga, quod sit securitas præstita rebus aut personis ad tempus bello non-

dum finito. Glossa in *c. 1. h. r.* vel brevius; quod sit cessatio ab armis ad tempus. Hinc aliquando armistitium, aliquando induciæ indigitatur. P. Engel *h. r. n. 1.*

§. II.

Dividitur treuga in conventionalem, & 2
canonicam. *Conventionalis* est conventio seu pactum publicum inter hostes de armis ad certum aliquod tempus utrinque suspendendis solenniter intertum. *Canonica* dicitur, quæ à SS. Canonibus est statuta; eaque iterum duplex: una scilicet perpetua, quæ est concessio securitatis præsonis privilegiatis absque ulla temporis perinitione facta. Et hæc gaudent Clerici, Monachi, Conversi, Peregrini, Mercatores, & agricolæ; item animalia, quorum usus est in arando. *c. 2. h. r.* Alia temporalis, quæ sunt induciæ ratione temporis omnibus communiter concessæ. Et durat hæc temporalis treuga à feria quarta, id est, à die Mercurii post occasum solis, usque ad feriam secundam, id est, diem lunæ in ortum solis: ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ; & à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ; quibus temporibus renuentes Episcopus loci cogere potest ad treugam servandam sub excommunicatione juxta *c. 1. h. r.* Verùm treugas canonicas passim negligi, docet tristis bellorum experientia, & consuetudine contraria abrogatas esse, tradit Panorm. in *d. c. 1. cum communi.*

§. III.

Causa efficiens Treugæ conventionalis est 3
vel remota vel proxima. Remota est sus Gentium: inde enim bella, captivitates, fœdera pacis, induciæ & postliminia *c. 9. dist. 1.* Proxima sunt belligerantes, qui quâdam iustâ causâ moti gerendo bello & expeditioni ad tempus renuntiant. Sicut autem Belliducibus citra consensum Principis aut populi superioris concessum non est pro arbitrio contrahere pacem, ita nec de induciis liberum erit

pacisci arg. l. 122. §. Calimakus ff. de Verb. oblig. Quæ tamen prohibitio nostra de induciis longioribus erit subaudienda: breviores enim, suadente maximè necessitate, accipere & largiri Duces non puto prohiberi. Gentil. de F. B. lib. 2. c. 10.

§. IV.

4 *Materia seu objectum* Treugæ est bellum defensivum vel offensivum; sive justum sive injustum. Dicitur autem bellum defensivum, quo vis injustè illata repellitur. Et hoc esse licitum & justum, nemo negat, cum vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant. l. 3. ff. de F. & F. Bellum offensivum seu aggressivum est, quo vis infertur injuriæ vindicandæ causæ; ad ejus justitiam tres communiter conditiones desiderantur. *Prima* est legitima belli indicendi autoritas, quam habet omnis & solus is, qui nec in criminalibus, nec in civilibus causis ordinarium superiorem habet: inferiores verò sine consensu supremi Principis bellum gerere non possunt, nisi defensivum; idque idè, quia in propria causa nemo debet esse iudex, nisi careat superiore, à quo jus ipsi dicatur. Molina de F. & F. l. 2. disp. 10. *Secunda* est causa belli gerendi gravis & justa. Justæ autem causæ sunt publica in Principem & ipsius subditos, maximè in Legatos contumelia: occupatio aut detentio iniqua alicujus civitatis: violatio pacis, aut fœderis inini pro re magni momenti: denegatio eorum, quæ jure gentium videntur omnibus concessa: auxilium hosti latum, nisi fortè peculiaria fœdera id permittant: injusta defensio hominis scelerati ad mortem postulati: oppressio iniusta innocentium, & similes. Reginaldus lib. 3. n. 96. Qui rectè subdit gloriam, dilationem Imperii & aliam Regni utilitatem haud esse sufficientem belligerandi causam: alioquin enim totus orbis deberet semper esse in armis. Græves verò causæ censentur, quæ belli damnis

proportionantur. *Tertia* conditio est recta intentio, ut nempe suscipiatur bellum non ex odio, sed ex amore boni communis. Quamquam defectus hujus conditionis non impedit, quò minus bellum à parte rei sit justum: nec inducat obligationem restituendi damna hostibus illata, sicut inducunt defectus primæ & secundæ conditionis, ut docent Theologi communiter.

§. V.

Formam Treugæ conventionalis accipit à conventionione inter Principes belli celebrata, sicut quilibet contractus. l. 23. ff. de R. F. c. 8. §. Eod. in 6.

§. VI.

Finis Treugæ est belli dilatio, & ne ad tempus breve & præsens hostes se invicem lædant.

§. VII.

Effectus est obligatio naturalis, quæ fides, etiam hosti, contra quem bellum geritur, sanctè servanda est. D. August. relatus in c. 1. causa 23. q. 1. Nihil enim quidquam divinius est, quam promissorum, conventionumque constantia. Jason in l. 1. ff. de Pactis. Magnæque & perpulchra res est, quam aliis omnibus, tum viro Principi fas fidemque servare, Xenoph. Orat. de Agesil. Ut non immeritò detestentur prohi improbum Machom. Ill. Turc. Imperat. dictum: præstare fidem Metecatorum esse non Principum, quòd illi à fide, hi ab armis pendeant & viribus.

§. VIII.

Contraria Treugæ conventionali sunt justæ ac probatæ causæ, quibus solvitur. Solvitur autem I. si cesset conditio: defectus enim conditionis omnem contractum reddit irritum arg. l. 37. ff. de Contrah. empt. II. Si tempus sit elapsum; quod non, uti aliàs in civilibus plerumque fieri solet, de die in diem, sed præcisè de momento in momentum numerandum, Gentilis 2. de F. B. c. 12. III. Si ab alterutra parte treuga fuerit violata; cum omnia pro-

promissio intelligatur rebus sic stantibus, & per neutram partem contra promissionem factam immutatis: illa enim vox vulgi, juris & aequitatis est: frangenti fidem, fides frangatur eidem. Quod verum in eodem negotio, & in correlativis, sed non in divinis, ne alias perfidia perfidiae accumulatur. Conferatur Panorm. in c. 1. h. t. n. 3. & in addit. lit. a.

§. IX.

7 *Affinis Treugæ, & pars altera rubricæ est Pax, quæ describitur, quòd sit hostium inter se certis conditionibus de bello in totum tollendo legitimè facta transactio.*

8 *Quæri hinc potest: num Princeps pro pace consequenda damna subditis tempore belli illata remittere, aut etiam quædam eorundem bona hosti dimittere possit? negant Hostiens. Bartol. & alii in c. quanto de jurejur. Affirmant Gail. 2. observ. 57. & Mynsing 4. observ. 9. quos sequor, supposito, quòd aliter pax obtineri nequeat, & Reip. intersit pacem iniuri: habet enim Princeps jus in bona subditorum, quoties in publica utilitas vel necessitas exposcit, cui privata postponitur. Auth. res quæ C. communia de Legat. præsertim, quia pax in subditorum quoque commodum redundat. Interim in tali casu damnum quibusdam in particulari illatum proportionaliter aliunde refarciri deberet, vel à Principe, vel à communitate, cujus scil. gratiâ pax inita est: suadet namque naturalis æquitas, ut commodum pacis sentientes, onus quoque propterea impostum proportionaliter sustineant. Quod verum est, si bellum fuerit justum: quia si Princeps injustum bellum contra vel præter voluntatem subditorum inchoasset, teneretur ille solus ex propriis suis bonis damna subditorum refarcire, eò quòd sine justa & publica causa jus nullum habeat subditos privandi bonis, quæ Princeps jurisdictione tantum, non dominio possidet. An autem, & quo jure Imperator Pacem Religiosam inire, ac Hæreticis Episcopa-*

tus, Monasterio, & bona Ecclesiastica tam priùs ablata, quàm tempore pacis à Catholicis pacificè possessa cedere potuerit? Sabbathina quæstio est, à qua consultò abstineo.



TITULUS XXXV.

De Pactis.

SUMMARIUM.

1. *Pacti etymologia.* 2. 3. 4. *Definitio.* 5. *usque*
11. *Et multiplex divisio.*
3. *In quo pactum à pollicitatione differat?*
9. *Promissio presentis & tacenti facta est pollicitatio, non pactum.*
11. *Contractus definitio.* 12. *usque* 20. *Et divisio.*
14. 15. *In contractu innominato utroque jure pænitere dicitur.*
20. *usque* 31. *Qui pacisci possint?*
31. 32. 33. *Alteri nemo paciscitur.*
34. *usque* 44. *Quenam res.* 44. *usque* 47. *Et facta in pacto deduci possint?*
47. *usque* 52. *Pacta incuntur purè, in diem, & sub conditione aut modo.*
52. *Cur Pacta incuntur?*
53. 54. *Neque ex Jure Civili, neque de Jure Can. ex pacto nudo datur actio.*
55. *Et seqq. De præstatione doli, culpa & casus.*

§. I.

Pactum deducitur variè. Baldo à pace: & Hotomano à pacione: aliis à percussione manuum. Sed convenientius Ulpiano à pactione; unde etiam pacis nomen appellatum est. l. 1. §. 1. ff. h. t.

§. II.

Definitur Pactum, quòd sit duorum, vel plurium in idem placitum consensus. d. l. 1. §. 2.

Dicitur l. duorum vel plurium: ad differentiam pollicitationis; quæ est unius & solius offerentis promissio ab altera parte necdum acceptata, atque hinc ante acceptationem nullam obligationem inducit, sed semper revocari potest, & expirat, si promittens moriatur.

l. 23

l. 2. §. 6. ff. de Donationib. post acceptationem verò mox naturam & definitionem pacti participat, consequenter obligationem ex naturali æquitate producit. d. l. 1. ff. h. t. Excipitur casus unicus, quo favore boni communis pollicitatio etiam ante acceptationem obligat, & irrevocabilis est: si nimirum fiat alicui Civitati, vel Reip. ex justa aliqua causa v. g. graditudinis, aut propter incendium, seu ruinam, quæ Civitati obigit. l. 1. & 4. ff. de Pollicitat. Quod P. Engl. h. t. n. 4. rectè extendit ad pollicitationem, seu promissionem piæ causæ factam: nam in favorabilibus à Rep. ad Ecclesiam, vel aliam piam causam procedere argumentum, passim tradunt DD. optimâ sanè ratione, quòd promisso facta piæ causæ censetur principaliter fieri ipsi DEO, qui statim eandem acceptat, ideòque non secus, ac votum irrevocabiliter obliget, licet administrator Ecclesiæ illà necdum accepta verit.

Dicitur II. in idem placitum consensus: hoc est, in eandem conventionem ad aliquid dandum vel faciendum, quia placitum idem significat, quod conventum,

§. III.

Summa pacti divisio est in Pactum in specie seu simplex, & in contractum.

Pactum in specie seu simplex est conventio carens speciali nomine, & causâ. Conventio generis nomen est, omnes obligationum & contractuum species sub se concludens. d. l. 1. §. 3. ff. h. t. Particulæ, carens speciali nomine & causâ: excludunt Contractum, qui ab alterutro horum specificatur, & distinguitur à Pacto in specie, ut satis colligitur ex l. 7. §. 1. & 2. ff. h. t. Dicitur autem nomen speciale, quoniam à Jure ad certum, & specificum negotium contractum est, nec potest dici de pluribus contractibus specie, sed numero solum differentibus. Tale nomen est, v. g. mutuum, quippe quod à Jure alligatum est ad significandum illud negotium, quo res fungi-

bilis datur cum obligatione reddendi rem ejusdem generis; nec potest dici de ullo alio contractu specie diverso, sed tantum de pluribus mutuis numero ab invicem distinctis. Et ita discurrendum de omnibus aliis contractibus nominatis. Per causam intelligitur datio vel factum, quo conventio ab uno paciscentium impletur ex intentione, ut alter vicissim ad quid præstandum incipiat esse obligatus. Ut ecce! placuit inter nos permutare nostros libros; si ego tibi dem meum, vel tu mihi tuum, hæc datio dicitur causa, fundatque contractum innominatum. d. l. 7. §. 2.

Dividitur Pactum in specie I. in pactum nudum, & non nudum, seu vestitum. Pactum nudum est, quod in sola conventionem consistit, & neque in proprium contractus nomen transit, neque obligationis causam, neque ullam de jure vim obtinet producendi actionem. d. l. 7. §. 4. l. 27. C. de locato & conducto. Hujusmodi pactum v. g. est promissio de mutuando, commodando, permutando &c. antequam res mutuanda, commodanda, vel permutanda tradatur. Pactum vestitum est, quod ab extrinseco, puta vel ex speciali legis assilientia, vel ex coherencia contractus dignenda actionis efficaciam consecutum est. Et quidem si hanc vim & virtutum acceperit à speciali lege, indigitatur pactum legitimum. l. 6. ff. h. t. Quale est promissio dotis: l. 6. C. de Dotis promiss. Donatio simplex: l. 35. §. 1. ff. de C. de Donationib. Constitutum. l. 1. ff. de Constit. pecun. Hypotheca seu pactum pignoris. l. 17. §. 2. ff. h. t. Sin verò pactum ad actionem producendam firmetur ex coherencia contractus, dicitur pactum contractui adjectum, & est illud, quod vel inter contrahendū vel in continenti post contractum in initum est. d. l. 7. §. 5. Uti est lex commissoria, & additio in diem; de quibus ad Tit. de emptione vend. agemus. Num verò pactum nudum juramento vestiatur? dicemus ad Tit. de jurjur.

7 II. Dividitur pactum in expressum & tacitum. Illud est, quod expresso consensu verbis, vel literis declarato initur. Tacitum, quod re ipsa sine verbis aut epistola fit, atque ex præsumpta paciscentium voluntate & conjecturis elicitur. Exemplum elegans taciti pacti occurrit in redditione chirographi: *si enim debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem, profuturamque ei cautionis exceptionem placuit*, inquit I Cus Paulus in *l. 2. ff. h. t.* Diversum in pignoris restitutione receptum est: nam ut Modestini verbis utar, *postquam pignus debitori redditur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est, nisi specialiter, contrarium actum esse probetur. l. 3. ff. eod.* Ratio differentiae hæc nonnullis placet, quod chirographi redditi nulla utilitatis esse possit, nisi remissionis debiti; pignoris autem usus multiplex sit, sive ad utendum, sive ad vendendum. Bartol. ad *d. l. 2. n. 3.*

9 *Dubatur*: an promissio præsentis & tacenti facta eo ipso censeatur tacite acceptata, & consequenter intervenire tacitum pactum, quo promittens obligetur? Ita existimaveris, tum quia juxta *c. 43. de R. F. in 6.* in favorabilibus tacens habetur pro consentiente: tum quia in *c. 3. h. t.* promissa adimpleri jubentur, quod necessum non foret, si in terminis nudæ pollicitationis permanerent, & nisi tacitum pactum intercederet. Sed negativa verior est, eò quod aliàs nulla inter præsentis pollicitatio daretur. Vel enim is, cui promissio facta est, immediate dissentit, vel non? si prius: tunc nulla est pollicitatio, ut patet. Si posterius: tunc juxta priorè sententiam & regulam in favorabilibus haberetur pro consentiente, in odiosis pro dissentiente arg. *l. 8. §. invitus ff. de Procurator.* consequenter nunquam foret nuda pollicitatio. Confirmatur ex *l. 1. §. 4. ff. de V. O.* Ubi dicitur: *si stipulanti mihi 10. tu 20. promittas, non esse*

contractam obligationem, nisi in 10. subfirmo: atqui si tacita semper acceptatio & pactum subesset, quando promittitur aliquid præsentis, & tacenti, tunc obligatio (naturalis saltem) nasceretur etiam ad alios decem. ergo Non obstat *d. c. 43. de R. F. in 6.* quia tacens etsi agatur de ejus commodo, absolute tamen non habetur pro consentiente, si non factum aliquod concurrat, sive ex parte tacentis, sive ex parte promittentis, ex quo consensus præsumi possit: sicuti contingit, cum quis alteri rem custodiendam tradit, ac ille eandem in domum suam recipit. Tunc igitur solum procedit illa *Regula 43.* Si verò nullum simile factum interveniat, neque ex circumstantiis, vel aliis conjecturis consensus sufficienter colligi queat, tacere est quasi medium inter affirmare & negare, consentire, & dissentire per *Reg. 44. Juris in 6.* ubi is, qui tacet, nec fateri, nec negare dicitur, adeoque adhuc deliberare præsumitur. Ad *d. c. 3. h. t.* dico, id accipiendum esse de promissis acceptatis, non verò de nudis pollicitationibus: verba enim juris regulariter cum effectu sumenda sunt: neque ibidem Jus Canonicum novam tribuit promissis efficaciam, sed jam aliàs ex naturali obligatione (quæ ex pacto tantum & consensu duorum oritur, non autem ex nuda unius promissione) competentem solummodo confirmat. Confer Fachin. 8. *contro. 64.*

III. Dividitur pactum in specie in obligatorium, seu promissorium, & liberatorium. Promissorium est, quo paciscentes ad aliquid dandum vel faciendum obligantur. Liberatorium, quod liberationem ab obligatione inducit: quale est pactum de non petendo. Vid. Eckolt ad *ff. h. t. §. 6.* ubi plures alias pactorum species recenset.

Contractus est conventio habens speciale nomen, vel causam. Quid autem sit habere speciale nomen, quid habere causam, supra *n. 5.* declaravimus.

Z

Di-

- 12 *Dividitur Contractus I. in contractum verum, & quasi contractum.* Verus est, qui vero & reali contrahentium consensu perficitur. Quasi contractus est, qui facto, ac dispositione juris inducto consensu constat; cuius generis 6. enumerantur in *Tit. Instit. de Oblig. qua ex quasi contractu.* nempe negotiorum gestio: tutela administratio: communio rerum singularium: communio hereditatis: aditio hereditatis, & solutio indebiti.
- 13 II. *Dividitur in contractum nominatum & innominatum.* Ille est, qui speciale nomen habet. *l. 7. §. 1. ff. h. t.* Quod pertinent omnes pene contractus reales, omnes verbales, literales, & consensuales. Innominatus est, qui non habet nomen proprium, sed causam. *d. l. 7. §. 2.* Cujus species sunt contractus aestimatorius: permutatio: do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.
- 14 Est autem contractibus innominatis peculiarare, quod re sive integrâ, sive non integrâ, ei, qui implevit contractum, poenitere liceat, & suum repetere, esto qui accepit neque in mora sit, neque in culpa: imò etsi paratus sit, ex sua quoque parte implere contractum: & amplius, etsi jam fecisset aliqua praeparatoria in ordine ad implendum. *l. 3. §. 2. & 3. l. 5. princ. §. 1. & 2. ff. de Condit. causâ datâ, causâ non sec.* Molina 2. de *J. & F. disp. 258. n. 3.* Ratio est: quia qui dicto modo dedit, non obligat se accipienti, sed tantum hunc sibi obligat ad vicissim quid dandum vel faciendum. Ergo potest, qui dedit, jure suo activo cedere, & nolle alterum amplius obligatum esse, adeoque liberè poenitere. Econtra ei, qui necdum implevit contractum non licet poenitere comparatione ejus, qui implevit, sed hic potest alterum convenire, vel *actione praescriptis verbis* ad implendum contractum, vel, si malit, *condictionis causâ datâ, causâ non secuta* ad repetendum, quod datum est.

An autem hæc dispositio Juris Civilis procedat etiam de Jure Canonico, itémque in foro conscientiae, ut quis liberè possit poenitere in contractu innominato, licet, qui non implevit, non sit in mora, sed paratus ad implendum? inter partes dissidentes hæret. Negat post alios à se relatos Molina *d. disp. 158. n. 7.* Affirmat P. Engel *h. t. n. 13.* Affirmo & eorum quia jure Can. non extat decisio contraria juri Civili, consequenter intrat vulgaris regula, quod SS. Canones non dedignentur imitari leges civiles. *c. 1. de N. O. N.* tum quia dispositio juris civilis in proposito non foret peccatum, vel quid bonis moribus contrarium, ut constat ex ratione præallegata.

III. *Dividitur contractus in realem, verbalem, literalem, & consensualem.* Realis est, qui actuali rei traditione absolvitur, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus. *l. 1. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.* item contractus innominatus. *d. l. 7. §. 2. ff. h. t. & l. 1. §. 2. ff. & l. 3. C. de Rerum permut.* Verbalis est, qui verbis, hoc est, interrogatione præcedente, & responsione congruâ in continenti subsequente completur. Et hic uno nomine dicitur *stipulatio*; de qua latè Interpp. *ad ff. d. V. O.* Literalis est, qui perficitur literis, id est, datione chirographi continentis professionem pecuniæ creditæ, quæ tamen credita non est. De quo est *Tit. Instit. de liter. oblig.* Contractus consensualis est, qui solo consensu absque interventu rei, verborum, vel literarum constituitur, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, emphyteusis, feudum, societas, mandatum.

IV. *Dividitur contractus in unilateralem & bilateralem.* Unilateralis est, qui tantum unam contrahentium partem obligat, ut mutuum, stipulatio, literarum obligatio, aditio hereditatis, solutio indebiti, & contractus innominati omnes. Bilateralis est, qui utramque contrahentium partem obligat; estque

vel per se talis, vel per accidens. Contractus per se bilateralis est, qui utrumque contrahentem statim initio æquè primò & principaliter obligat, ut est emptio venditio, locatio conductio, societas, communitio hæreditatis, & communitio rerum singularum; quibus omnibus hoc commune est, quòd pariant actionem, utrinque directam. Contractus per accidens bilateralis est, qui initio tantum unum contrahentem, postea verò & per accidens etiam alterum incipit obligare: quo numero sunt commodatum, depositum, pignus, mandatum, negotiorum gestio, tutelæ administratio, quibus omnibus hoc commune est, quòd pariant actionem directam & contrariam; directam illi, qui initio statim obligatur; contrariam verò illi, qui ex post facto & per accidens incipit obligari.

18 V. Dividitur contractus, quòd alius sit bonæ fidei, alius stricti juris. Bonæ fidei contractus est, in quo Judex liberam habet potestatem etiam de iis ex bono & æquo statuendi, de quibus inter contrahentes nominatim nihil actum, aut ne cogitatum quidem est, modo æquitas præstari postulet. §. 30. *Instit. de Actionib. l. 5. pr. ff. de O. & A.* Quò spectant omnes contractus, quorum actiones recenseantur in §. 28. *Instit. de Action. &* tales sunt omnes contractus bilaterales. Contractus stricti juris est, in quo potestas Judicis est alligata ad terminos conventionis, ita ut eorum judicando excedere nequeat; neque ad judicare, vel condemnare possit ultra id, quàm à partibus est expressum. *l. 3. ff. h. t. l. 99. ff. de V. O.* Cujus generis sunt omnes contractus, quorum actiones in d. §. 28. *Instit. de Action.* non enumerantur; ut mutuum, stipulatio, aditio hæreditatis, solutio indebiti &c. & omnis contractus unilateralis, excepta permutatione, & contractu æstimatorio. Pluribus de hac divisione disserit. P. Engel *h. t. §. 5.*

VI. Et ultimò dividitur contractus in onerosum, & lucrosum. Onerosus est, quo utriusque contrahentium imponitur onus aliquod, seu obligatio mutua quid præstandi. Et huc ferè omnes contractus referuntur. Lucrosus est, qui tantum unam partem gravat, alteri verò lucrum seu commodum gratis affert. Quò revocari solent commodatum, depositum, mandatum &c.

§. IV.

Causa efficiens Pacti est vel remota, vel proxima. *Remota* est Jus, aut Gentium, aut Civile: quia pacta aut contractus, & quidem penè omnes originem suam trahunt à Jure Gentium; & nonnulli etiam ut stipulatio, & contractus literarum, à Jure Civili. §. 2. *Instit. de I. N. G. & C.* *Proxima* sunt paciscentes. Pacifici autem possunt omnes, qui vel naturâ, vel lege non prohibentur.

Natura prohibentur I. infantes, quibus tenella ætas intellectum denegat. II. furiosi, si continuâ mentis alienatione omni intellectu careant; aliàs si furoris intervalla habeant, id temporis rectè paciscentur. III. Mente capti, nisi dementia inducias impetraverint. IV. Ebrui, ad exilium mentis usque poculis obruti; qui à Seneca rectè insanis comparantur. V. Multi & surdi, qui nequeunt consensum suum exprimere per signa ab aliis perceptibilia. Ratio est: quia omnes hi aut non habent, aut non possunt accommodare consensum, essentialiter ad valorem pacti, aut contractus requisitum *l. 1. §. 2. ff. h. t.*

Lege prohibetur I. pupillus infante major, qualis est, qui jam excessit septennium. *l. si infanti. C. de Furo delib.* Hic enim sive sit infantiæ, sive pubertati proximus, si sine sui Tutoris autoritate paciscatur, aut contrahat, alterum quidem sibi obligat, ipse verò vicissim non obligatur saltem civiliter. *princ. Inst. de Authorit. Tutor. l. 28. pr. ff. h. t.* Imò valdè probabiliter nec naturaliter, & in conscientia.

Z 2

l. 41.

l. 41. ff. de Conditione in deb. l. 59. ff. de Oblig. & Act. Ad Textus contrarios potest breviter responderi, illos vel loqui aut supponere de pupillo locupletiore facto; quo pertinent. l. 21. pr. ff. ad leg. Falcid. l. 64. pr. ff. Ad Senat. consult. Trebel. vel in illis pupillum saltem fictione juris haberi pro obligato, non in suum, sed tertii alicujus præjudicium; quò pertinent §. 3. Instit. quib. mod. toll. oblig. l. 1. §. 1. ff. de Novat. l. ult. pr. §. sin verò creditor ff. de Furejur. l. 128. ff. de V. O. l. 95. §. 2. ff. de Solut. l. 44. ff. Eod. l. 25. §. 1. ff. Quando dies legator. vel denique sermonem ibi esse de pupillo, qui dolose in contractu versatus est, ut in l. 13. §. 1. ff. de Dolo l. 1. §. 15. ff. Depositi.

23 II. Prohibetur minor 25. annis: hic enim si curatorem habeat, & sine consensu ejus paciscatur, aut contrahat, æquè parum, ac pupillus, & consequenter nec civiliter, nec naturaliter obligatur. l. 3. C. de in Integr. restit. minor. ibi: hunc contractum servari non oportet. Quæ phrasid idem significat, ac contractum ipso Jure nullum esse, ut constat ex l. 7. §. 16. ff. h. r. Atqui quando contractus nullus est ipso jure ob resistantiam legis, tunc neutra obligatio nascitur, neque civilis, neque naturalis, ut fatentur omnes, ergo. Quòd si minor curatorem non habeat, se solo valide paciscitur, aut contrahit, & obligatur tam civiliter, quàm naturaliter, sed læsus habet beneficium restitutionis in integrum intra legitima tempora. d. l. 3. §. sin verò sine curatore. Ad l. 43. ff. de O. & A. l. 101. ff. de V. O. & alia similia jura responderi potest, ea loqui aut supponere, vel de minore non habente curatorem; vel de tali, qui habuit, sed contrahit cum ejus consensu; vel de obligatione merè personali, & quæ nec terminativè realis est, ut est obligatio sponsalitia, matrimonialis, ascendendendi Capitolium &c.

24 III. Prohibetur prodigus juridicè; qualis

est, cui à Judice bonorum suorum administratio interdicta est, & datus curator. Hic enim æquè invalidè sine curatore paciscitur, aut contrahit, ac pupillus sine tutore, minor sine curatore, consequenter nec naturaliter obligatur ex pacto nocibili, absque curatore inito. l. 6. ff. de Verb. oblig. Ubi dicitur, nec fidejussorem pro prodigo sic contrahente intervenire posse, sicut nec pro furioso: evidenti argumento, quòd nec naturaliter obligetur, cum etiam pro naturaliter obligato fidejussor queat accedere. §. 1. Instit. l. 16. §. 3. ff. de fidejussorib. Aliud dicendum est de eo, qui tantum ethicè prodigus est, hoc est, qui nec tempus, nec finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundit: hic namque non minùs validè paciscitur, quàm homo frugi: nec quæ talis habet restitutionem in integrum adversus actus imprudenter, ac damnosè gestos: quia non extat lex, quæ taliter prodigum inhabilet ad contrahendum, aut læso faveat ad restitutionem. Confer. P. Haunold. de F. & J. tom. 3. tr. 8. c. 3.

IV. Prohibetur filiusfamilias, præsertim impubes, quod ut exactiùs ventilem.

Dico I. Filiusfam. impubes ne quidem auctore Patre paciscens obligatur. §. 10. Instit. de Inutil. stip. l. ult. §. 2. ff. de V. O. Neque dicas: Paterfamilias impubes, modò sit infante major Tutore auctore paciscens obligatur. Ergo etiam Filiusfam. impubes paciscens auctore Patre. Diversa siquidem est ratio: quia non sicut pupillus tutorem, ita etiam filiusfam. Patrem suum convenire potest ob consensum malè præstitum, cum lis nulla inter Patrem & filiumfam. esse possit. l. 4. ff. de J. dicitis. l. 7. ff. de O. & A.

Dico II. Filiusfam. pubes validè paciscitur aut contrahit de bonis castrensibus & quæ etiam inconsulto Patre: & paciscendo obligatur tam civiliter, quàm naturaliter. Ratio

est: quia quoad hæc bona reputatur pro patrefam. habetque plenam & liberam eorum administrationem, tum inter vivos, tum mortis causâ, perinde ac si verè sui juris esset. *l. 2. ff. l. ult. §. 1. C. ad Scrum Maced. l. 7. §. fin. ff. de Donat.*

Dico III. Filiusfam. pubes validè quoque etiam inconsulto patre paciscitur de bonis adventitiis extraordinariis: qualia sunt, quorum & proprietas, & usufructus spectat ad ipsum filium. Ratio est: quia licet quo ad hæc bona filiusfam. non habeatur pro patrefam. cum nulla sit lex, quæ hoc fingat, habet tamen licentiam de illis disponendi eò modò, quo vult. *Novel. 117. c. 1. ergo & paciscendi aut contrahendi facultatem, cum ea non sit minima pars liberæ dispositionis. Excipitur dispositio testamentaria, ut quæ nulli est concessa, nisi patrifam. vero vel ficto; de qua plura suo loco.*

Dico IV. Filiusfam. pubes, sive majorennis, sive minorennis validè cum consensu Patris pactò alienat bona adventitia ordinaria; qualia sunt, quorum proprietas ad filium pertinet, usufructus ad Patrem. Alit invalidè sine omni consensu Patris *l. fin. §. 5. C. de Bonis, qua lib.* Dixi tamen: *sine omni consensu*: sufficit enim consensus tacitus; qualem haberet, si libera illorum bonorum administratio ei commissa esset; itè si Pater procul abesset. *Molina de F. & F. disp. 261. n. 3.*

Dico V. Si filiusfamilias habeat peculium profectitium, quale est, cujus & proprietas, & usufructus ad Patrem spectat, validè paciscitur ex ejus causa, ob generalem & interpretativum consensum Patris, qui concedendo administrationem hujus peculii intelligitur quoque concessisse jus paciscendi & contrahendi de illo *l. 46. ff. de Peculio.* Et ideò si filius ex hac causa contrahit, uterque obligatur, ipse & pater: ipse nempe filius in solidum; pater verò peculiotenus, hoc est, secundum vires, &

mensuram peculii. *l. 44. ff. Eod. §. 10. & ibi DD. Instit. de Actionib.*

Dico VI. Filiusfam. pubes etiam incio Patre potest se personaliter obligare civiliter, quovis contractu (*mutuo excepto*) non solum operas suas locando, sed & aliquam rem suam vendendo, promittendo &c. ita ut teneatur obligationi satisfacere, saltem postquam sui juris erit, aut bona liberè alienabilia acquisiverit. *§. 6. Instit. de Inutil. stipul. ibi: filiifam. verò obligari possunt. l. 39. ff. de O. & A. ibi: Filiusfam. ex omnibus causis, tanquam Paterfam. obligatur.* Haunold. *d. c. 3. controvers. §. n. 239.* ubi rationem reddit: quia licet jura non permittant filiofamilias alienationem bonorum, non vetant tamen, sed permittunt obligationem personalem ad alienandum tunc, cum sui juris erit.

Dixi: *mutuo excepto*: ob Senatusconsultum Macedonianum, quo cavetur, ne creditoribus, qui filiofam. mutuam pecuniam dederunt, efficax actio detur. *l. 1. pr. ff. de Scro. Maced. Latè P. Engel h. t. §. 9. à n. 36.*

V. Lege pacisci prohibetur servus; qui, 26 si contrahat, naturaliter tantum, non civiliter obligatur, & obligat. *l. 22. ff. de R. J. l. 14. ff. de O. & A.*

VI. Prohibetur Religiosus, de quo

Dico I. Religiosus paciscens cum licentia 27 expressa, vel tacita Superioris sui validè paciscitur, & obligatur tam civiliter, quam naturaliter: nec postea Superior, vel Successor ejus ejusmodi pactum vel contractum semel validum potest irritare: quia per tale pactum jam est alteri jus quæsitum, quod jus Superior nequit remittere, cum non gerat vices ejus, cui quæsitum est; quamvis adhuc retineat dominium tum in voluntatem Religiosi, tum etiam in rem, necdum realiter traditam.

Dico II. Religiosus contrahens sine omni licentia Superioris sui invalidè inicit pactum aut contractum tendentem ad alienationem, vel

acquisitionem rei alicujus temporalis : nec obligatur inde, neque civiliter (in quo omnes conveniunt) neque probabilius naturaliter. Ratio est : quia voluntas Monachi ita subjicitur voluntati Prælati sui, ut sine ea nec velle, nec nolle habeat *c. non dicatis. causâ 12. q. 1. c. si Religios. de Elect. in 6. c. 2. de Testam. in 6.* Deinde obligatio, quam afferret pactum initum à Religioso de re aliqua temporalis danda, vel recipienda esset iniqua, nec posset absque peccato impleri, & violatione voti paupertatis, quod prohibet Religioso quidquam dare vel accipere sine licentia Superioris. Atqui obligatio iniqua, & quæ sine peccato non est implebilis, est omni jure Divino, & humano nulla. Ergo

Dico III. E contra Religiosus validè sine consensu Superioris in pactum, ex quo nascitur obligatio merè personalis, ut est obligatio orandi Rosarium, legendi Missam &c. quia nulla lex ejusmodi pacto resistit : & ideo, quàm diu Prælati obligationem inde ortam non irritat, tenetur ea Religiosus, debetque implere, nisi Superior contradicat.

28 VII. Prohibetur mulier pro alio sive Marito, sive extraneo intercedere, id est, res suas, vel personam suam obligare. Quòd si defacto intercedat, succurritur eidem Senatusconsulto Vellejano ; quo cavetur, ne contra mulierem, quæ pro alio intercedit, detur efficax actio. *l. 2. §. 1. ff. de SCro. Vell. & ibi interpp.*

29 VIII. Miles fidejubere, mandatum suscipere, & prædia conducere prohibetur. *l. 8. §. 1. ff. Qui satisdare cog. l. 8. §. 2. ff. de Procurat. l. 31. ff. Locati.* Sine dubio ideo, ne milites per ejusmodi negotia abstrahantur ab armorum usu cum damno publico.

30 IX. Prohibentur Præsides provinciarum, & qui circa eos sunt. *l. 23. ff. h. t. item Magistratus tum urbani, tum provinciales. t. t. C. de Contract. Jud.* Sed has salutares prohibitiones usus contrarius jam dudum obliteravit.

§. V.

Subjctum pacti est is, cui paciscimur. Potest autem quisque sibi pacisci, non alteri, nisi vel ad id mandatum habeat, vel ei, cui paciscitur, subjctus sit, aut aliàs suâ interit, per *§. 4. & 19. Instir. de Inutil. stipul. l. 38. §. 17. ff. de V. O.* Ratio est : quia conventiones omnes ad id comparatæ sunt, ut quisque acquirat sibi, quod sua interest ; ut vero alteri detur, alterius nihil interest. Unde etiam Pater filios familias non aliter acquirere potest stipulando nisi in iis, quæ juris sunt, & mediante filio ipsi Patri acquiruntur : nam si factum conferatur in personam filii, puta ut ei ire, agere liceat, inutilis stipulatio est *l. 130. ff. de V. O.* Et hoc quo ad jus civile expeditum est. Sed

Dubatur I. An idem obtineat de Jure Canon. ut neque hoc jure alter alteri rectè paciscatur ? Affirmo cum Fachinæo *3. Contravers. 19.* neque enim inter jus unum & alterum discrimen temerè adstruendum, sed quando clarè aliquid traditur jure Civili, jure Canon. verò subobicure, assurgere oportet juri Civili clarò, ac ad normam ejus Canones expendere. arg. *c. 1. de N. O. N.* atqui nullibi jure Canonum expressum est, pactum alteri factum validum esse, ergo. Neque dicas : jus Canonicum solùm attendit ad hoc, an fides data sit ? & si dara est, vult servari, sed in proposito data est fides à promittente. Ergo. Nam etiam Jus civile vult servari fidem datam, sed ita demum, si data est, secundum leges : secùs, si jure resistente, ut contingit in pacto alteri facto.

Dubatur II. An saltem naturalis obligatio oriatur ex pacto alteri facto ? Sunt, qui affirmativam sustinent, quos inter est Covarr. *ad c. quamvis. p. 2. §. 4. n. 2. h. t. in 6.* Sed negativa magis probatur : quia quando lex simpliciter resistit pacto aut contractui, tunc neque naturalis obligatio inde oritur, ut ab

omnibus receptum est. Atqui pacto alteri factio lex absolute & simpliciter resistit, ut constat ex d. §. 4. *Instit. de Inutil. stipul.* ubi habetur, eum, qui alii stipulatur, nihil agere, & ex l. 126. §. 2. ff. de V. O. ubi dicitur, per liberam personam nullam obligationem nobis acquiri. Ergo. Adde, quod ad pactum requiratur consensus duorum, hic verò sit unius tantum, nempe promittentis, non item ejus, cui sit promissio: neque hujus consensus suppletur per tertium, cujus factum lex non habet ratum. d. §. 19. *Instit. de Inutil. stipulat.* Harprecht. ad §. 18. *Instit. Eod. n. 3. & seq.* Zoësius b. t. n. 3. cum aliis.

§. VI.

34 *Materia, seu objectum pacti est duplex: Res & facta.*

Quod res attinet, in pacta deduci possunt omnes, tam corporales, quam incorporales: tam mobiles: quam immobiles: tam futurae: quam presentes.

35 Excipiuntur I. res spirituales, quæ ut sic, siue ratione solius spiritualitatis precio humano omnino inestimabiles sunt, & ideo de his præsertim obtinendis, omnis pactio & conventio onerosa interdicta est ob labem simoniacam. c. 2. *causa 1. q. 2. c. fin. h. t. c. 9. de Transact. c. tua. de Simon.*

36 II. Excipiuntur res, quæ non sunt, nec esse possunt, ut vulpanfer, hircocervus, item quæ fuerunt, sed non amplius erunt, ut homo mortuus, domus combusta: hæc enim res aded inutiliter in pactum veniunt, ut ne quidem æstimatio rei promissæ debeatur. §. 1. *Instit. de Inutil. stipul. l. 15. pr. l. 57. ff. de Contrab. empr. l. 69. & l. 103. ff. de V. O.*

37 III. Excipiuntur res exemptæ à commercio hominum. Unde non valet promissio de re sacra, aut religiosa, itém que de re aliqua publica in communem usum deputata, ut de foro vel teatro &c. ita quidem, ut licet res promissæ mutet statum, incipiendo esse in

commercio hominum, ipsa tamen promissio non convalescat. §. 2. *Instit. de inutil. stipul.*

IV. Excipiuntur res incertæ. Incerta autem res est primò genus generalissimum, ut res, ens, substantia. Et hoc genus omnino ineptè in pactum deducitur, cum debitor etiam vilissimam rem, & quam habere nil interest creditoris, v. g. festucam solvendo, liberari possit. *Secundo* genus subalternum, ut est animal, vinum, frumentum &c. & de hoc genere idem jus est, quod de generalissimo, cum debitor etiam muscam, vel guttam vini, aut granum frumenti præstando satisfacere queat. *Tertiò* genus infimum, (Logici vocant speciem specialissimam) ut est servus, equus, bos, &c. Ubi tamen distinguendum: an species huic generi subjectæ corpus sint, an quantitas? Si corpus sunt, interest, an habeant terminos individuantes à natura, an ab arte, vel operâ humanâ? Si prius, hoc est, si habent terminos individuantes à natura ut equus, bos, servus, utiliter deducuntur in pactum, cum ejusmodi res saltem aliquò modò certæ sint, ob determinationem naturæ. Sin posterius, hoc est, si terminum & finem habent ab arte, vel facto hominis; ut est domus, fundus, ineptè sine omni alia determinatione videnter deduci in contractum, cum debitor etiam minimam v. g. partem seu glebam fundi (nam & hæc fundus est) præstando liberaretur. Porro si species huic generi subjectæ quantitas sunt, ut est vinum Austriacum, triticum Africum, interest, an cum expressione quantitatis deducantur in pactum? & pactum valet: an sine ea? & pactum ob nimiam incertitudinem inutile est: l. 94. l. 115. pr. ff. de V. O. l. 69. §. 4. ff. de jure dotium.

V. Excipiuntur res alienæ: si enim contractus ex dispositione Juris ordinarius sit ad dandum, id est, ad transferendum dominium, ut est mutuum, permutatio, &c. res alienæ inu-

inutiliter interveniunt. Secus est, si contractus non ex natura sua ad dandum, sed solum ad tradendam ordinatus sit, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum &c. *l. 15. & seq. ff. commodati l. 28. ff. de Contrah. emp.*

- 40 VI. Excipiuntur res, super quibus pacifica Canone, aut lege specialiter est prohibitum. Sic Canone prohibetur pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia. *c. 5. h. 1.* Ratio est: quia Canones successionem quasi hæreditariam in Ecclesia DEI execrantur. *c. 3. & 7. de Filiis Presbyte.* Lege prohibetur
- 41 I. pactum de hæreditate viventis, nisi sit initum inter milites, aut de voluntate ejus, de cujus successione conventum est. *l. 15. 19. & ult. C. h. t.* tum quod adimat libertatem testandi: tum quod contineat votum captandæ mortis: tum quod certi sint constituti modi, quibus hæreditas deferatur, lex scilicet & testamentum. Verum usu Germaniæ passim super hæreditate vel tota, vel pro parte pactis dotalibus, & confraternitatibus (ut vocant)
- 42 II. hæcque conventionibus disponitur. II. Prohibetur pactum, quo filia dote contenta renuntiat hæreditati paternæ. *l. fin. ff. de suis & legit. l. 3. C. de collat.* Ratio est: quia retrahit liberos à paterno obsequio, quod spe futura successionis retinetur. Ut taceam, quod tale pactum potius reverentiâ paternâ extortum, quam spontaneum videatur. Quod si tamen joramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, omnino servari debet, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. *c. 2. h. 1.*
- 43 in 6. III. Prohibetur pactio inter Advocatum & clientem de quota litis, hoc est, de lucranda certa parte rei controversæ in eventum victoriæ. *l. 5. C. de postulando.* partim propter suspicionem concussionis, quod cliens metuens causæ suæ nihil non sit facturus; partim quia Advocati ita ad litem calumniosè pertractan-

dam, & prosequendam invitarentur. Ad honorarium tamen, quod ratione victoriæ promittitur, hoc extendendum non est. *Zoël. ad ff. de Postulando n. 7.*

Quod facta, quæ in pactum deducuntur, attinet, debent esse propria, possibilia, & honesta. *Propria*: nam alienum factum inutiliter promittitur. *§. 3. & 21. Instit. de inutil. stipul. l. 38. pr. l. 83. pr. ff. de V. O.* *Possibilia*: impossibile enim sicut nulla est obligatio, *l. 185. ff. de R. F.* ita neque conventio. *Honestæ*, quoniam facta turpia, inhonesta, & quæ contra bonos mores sunt, fictione juris habentur pro impossibilibus. *l. 15. ff. de Condit. instit.* Unde benè monet Isidorus *in c. in malis causâ 22. q. 4. in malis promissis refertur de finem: in turpi voto mutata decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Amplia I. ut nec valeat pactum de non faciendò delicto, puta de non furando, non mentiendo, non occidendo &c. cum gratia bonum esse conveniat, & turpe reputetur pro pretio demùm abstinere à malo. *l. 7. §. 3. ff. h. t. l. 2. ff. de Condit. ob turp. causam.*

Amplia II. ut etiam non teneat pactum de non delicto nondum patrato remittendo; ut si promittam, ne furti agam, si mihi in futurum furtum feceris: vel ne injuriarum, si injuriam: vel ne ex dolo, si me dolo quandoque deceperis. *l. 27. §. 3. & seq. ff. h. t.* Ratio est: quia tales promissiones præbent manifestam occasionem ruinæ, laxant habenas scelerum, & eos, quibus fiunt, reddunt alacriores ad delinquendum; quod sanctitas juris non patitur, nec debent similes conventiones in ulla benè instituta Rep. tolerari. Post admissum autem delictum presertim privatum, puta furtum, injuriam, dolum &c. rectè paciscimur, ne nobiscum ex his causis agatur. *d. l. 27. §. 4.* nam sic paciscendo non datur occasio peccandi, sed debitum, vel delictum jam ante commissum

duntaxat remittitur delinquenti. Zoëf. ad ff.
h. l. n. 18.

§. VII.

47 *Forma Pacti* vel est externa, vel interna. Interna desumenda est, & intelligitur ex singulis pactorum definitionibus. Externa stat in eo, quod pactum pure. in diem, sub conditione, aut sub modo ineatur.

48 *Purè* initur pactum aut contractus, si neque conditio, neque dies, neque modus eidem adjiciatur, ut si dicas: 10. dare spondes: & ego, spondeo. Atque ex tali pacto, ut dici solet, dies statim cedit, & venit: cedit, hoc est, confestim debetur, quod ita promissum est; venit, hoc est, adest dies, quo promissum peti potest. l. 213. ff. de V. S. Ex humanitate tamen pro expedienda solutione tempus aliquod, arbitrato Judicis determinandum, debitori concedendum est. §. ult. Inst. de Inst. stipul. l. 150. ff. de solut.

49 *In diem* pactum iniri dicitur, cum ei dies adjicitur, quo pecunia solvatur. l. 42. ff. de V. O. Refert autem, an dies adjectus sit certus, vel incertus? dies certus, qui nempe certo exiturus est, vel apponitur ut terminus à quo, v. g. *Calendis Augusti 100. dare promitto*: vel ut terminus ad quem, v. g. *10. aureos annuos, quo ad vires, dare promitto*. Si apponitur ut terminus à quo, protinus cedit dies, sed non dum venit: hoc est, statim quidem promissum debetur; & obligatio oritur, sed peti prius, quam dies venerit, cum effectu non potest. d. l. 213. ff. de V. S. §. 2. Inst. de Verb. oblig. l. 14. 42. & 73. ff. eod. Si apponitur ut terminus ad quem, purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: cum ad tempus deberi non possit; hæres tamen, si post mortem creditoris petat, doli vel pacti exceptione submovebitur. §. 3. Inst. eod. Dies incertus, vel est incertus incertitudine, an sit exiturus: ut si dicam: 100. dabo, cum Titius pubes erit; vel est incertus incertitudine, quando sit

exiturus, ut si dicam: *promitto tibi 100. cum Titius morietur*; vel est incertus utraque incertitudine, an & quando sit exiturus? ut si dicam: *promitto tibi 100. in diem, quo Titius religionem ingreditur*. Primi & tertii generis dies resolvitur in conditionem, adeoque ante ejus adventum nec obligatio, nec actio nascitur. l. 21. & 22. ff. *Quando dies legitur*. Secundi generis dies æquivalet diei certo. Argumento est, quod soluta ante diem mortis pecunia repeti nequeat. l. 16. cum 2. seqq. ff. de condit. indeb. cum tamen, quod pendente conditione solutum est per errorem, repeti possit. d. l. 16. 18. & 48. ff. eod.

Sub conditione initur pactum, seu contractus, quando ei à partibus conditio additur. Ubi inter est, an conditio sit de præsentis, præterito vel futuro. Conditio de præsentis, ut: *promitto tibi 10. si vere pauper es*, aut de præterito, ut: *dabo tibi 100. si tibi ades constagraverint*; Pactum vel contractum non suspendit, sed, siquidem vera sit, pactum statim valet: si falsa, statim nullum est. §. 6. Inst. de V. O. l. 100. ff. Eod. Conditio de futuro est de futuro vel contingente, vel necessario, vel impossibili. Conditio de futuro contingente, seu possibili, ut: *dabo tibi 100. si religiosus fias: si navis ex Asia venerit*; pactum suspendit, & pendente eâ conditione neque cedit, neque venit dies, consequenter nihil debetur, nihil peti potest, sed tantum spes est, debitum iri. d. l. 213. ff. de V. S. & si quid solutum sit, repeti potest, d. l. 16. 18. & 28. ff. de Conditi. indeb. Conditio de futuro necessario, ut: *dabo tibi 100. si cras sol oriatur, si Antichristus nascatur*: pactum non suspendit, sed statim impleri debet, modo ponens talem conditionem sciverit eam certo exituram, aut non alligavit suam intentionem ad actualem ejus existentiam. l. 9. §. 1. ff. de Novat. P Haunold. d. J. & F. tom. 3. tr. 8. c. 4. controu. 3. n. 270. Conditio de futuro impos-

sibili, sive secundum naturam, ut *si digito cœlum attigeris*, sive secundum jura, aut mores, ut: *si homicidium feceris: reddit pactum*, cui additur, ipso jure nullum. *l. 31. ff. de O & A.* ubi ratio redditur: quia *omnium ea est cogitatio, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem.* Excipitur I. matrimonium, cui cui si opponatur conditio impossibilis & turpis (modò non sit contra substantiam matrimoni, puta contra bonum prolis, fidei, vel Sacramenti) in favorem matrimonii pro non adjecta habetur. *c. fin. de Condit. apposit.* II. Excipiuntur ultimæ voluntates, quibus appositâ conditio impossibilis quæcunque censetur non appositâ. *l. 4. 6. 8. & 9. ff. de Condit. Instit.* De quibus exceptionibus plura suo loco.

§1 *Sub modo* denique fit pactum, seu contractus, si ei gravamen aliquod adjiciatur, à comparte in futurum præstandum, ut si dicas: *promitto, aut dono huic Monasterio mille, sed eum obligatione, ut pro me quotannis Sacrum faciat.* Et tale pactum statim purum est, habetque vim, antequam modus impleatur, ut colligitur ex *l. 1. & seq. C. de donat. qua sub modo.* Est autem difficile cognoscere, utrum limitatio dispositioni, aut promissioni appositâ sit *conditio an modus?* præsertim cum iisdem verbis jam exprimat *modus*, jam *conditio*, v.g. *promitto tibi 100. eâ conditione ut Religiosus sis.* Communis sententia est, mentem & verba paciscentium, attendenda esse: & si de his non constet, in dubio præsumi, esse conditionem juxta *l. à testatore ff. de condit. & demonstrat.*

§. VIII.

§2 *Finis* Pacti, aut contractus est acquisitio, aut remissio obligationis, sublevatio humanæ indigentia, & quod inde quæri solet, honestum lucrum.

§. IX.

§3 *Effectus* omnis pacti est obligatio naturalis:

quid enim tam congruum fidei humana, quam ea, qua inter eos placuerunt, servare l. 1. pr. ff. h. t. Est tamen inter pacta nuda, & vestita, ac contractus notabile ac discrimen, quòd pacta vestita & contractus præter obligationem naturalem etiam actionem tam Jure Canonico, quam Civili generent, pacta nuda verò, licet in foro interno non minus, quam vestita sint reservanda *c. 1. & 3. h. t.* quo ad forum tamen de Jure saltem Civili ex eis exceptio duntaxat, nulla autem actio detur. *l. 7. §. 4. l. 45. ff. h. t. l. 10. 21. & 28. C. ord.* Ratio est, ne omnia litibus redundant, si homines temerè, & ex solis verbis fortè inconsideratè prolatis, obligentur, ac conveniantur. Neque propterea, quòd Jus Civile ex pacto nudo actionem deneget, directè fovet peccata: quia non vult, ut non servetur pactum, sed tantum ob majus commodum non puniat peccatum, quæ legislatorem posse ex iusta causa in confesso est.

Disceptari video: num ex pacto nudo de Jure Canonico detur actio propriè dicta? ita quidem probari videtur ex *c. 1. & 3. h. t.* in quibus pactis custodienda esse dicuntur: quæ id sit accipiendum tam quoad actionem, quam quo ad exceptionem arg. *l. 41. ff. de acquir. rer. dom.* Sed magis proponendo in sententiam negativam, eò quòd inter Jus Civile & Canonicum non sit statuenda differentia sine canonis autoritate. *c. 1. de N. O. N.* At hic nullus est canon, qui contrarium tradat: quod enim attinet *d. c. 1. & 3.* plus non evincunt, quam quòd pacta sint servanda propter obligationem naturalem: neque novum aliquod robur pactis tribuunt, sed tantum antiquum corroborant, ut patet ex illis verbis *cit. c. 1. pacta suam* (id est, quam alii ex natura sua habent) *obteneant firmitatem:* ut autem pacta de jure Civili, vel Canonico legitimentur, necesse est, ut actionem & novum robur ab eo accipiant.

Interim inficias non jerim, ob non servatum pactum officium Judicis implorari posse per text. in d. c. 3. h. t. cujus verba expressè ad ipsum Judicem diriguntur, dum studiosè agere, & curare jubetur, ut promissa, seu pacta observentur. Et ratio est: quia principalis juris Canonici finis est impedire peccatum qualecunque: ergo Judex in foro Canonico ad hoc vi officii tenetur; atqui pars pactum implere recusans peccaret, eò quòd ageret contra obligationem naturalem. ergo ad implementationem Judex ex officio cogere potest, ac tenetur paciscentem quemcunque arg. c. novit. 13. de Judiciis. Atque vi hujus officii non minus promissum consequimur quàm per actionem propriè dictam, consequenter in effectum parùm interest, de Jure Canonico loquendo: sufficit enim, quòd per Judicem Ecclesiasticum etiam laicus compelli possit ad observantiam pacti.

Planè hodie de consuetudine & praxi Germaniæ, ob singularem fidem & candorem hujus Nationis, videmus & comunitè DD. testantur, ex nudo pacto actionem nasci, & dari conditionem ex moribus in utroq; foro.

Alter Effectus Contractus est præstatio doli. culpa & casus fortuiti, de qua in singulis contractibus frequens mentio occurrit.

55 *Dolus est machinatio consultò ad nocendum alterum adhibita. l. 1. & 2. ff. de Dolo malo. Et hunc omnes contractus recipiunt seu hic in omni contractu præstatur. l. 23. ff. de R. J. Imò nec conventionem effici potest, ut dolus non præstetur: quia talis conventio esset contra bonos mores, & invitaret ad delinquendum. l. 27. §. 3. & 4. ff. h. t. d. l. 23. ff. de R. J.*

56 *Culpa in genere est negligentia hominis; cum vel non facit, quod debet facere: vel facit quod non deberet facere.*

57 *Dividitur passim in latam, levem, & levissimam. Culpa lata est ommissio diligentia à dili-*

gentibus adhiberi solita: vel juxta l. 213. §. 2. l. 223. ff. de V. S. cum quis non intelligit, quod omnes intelligunt. Itaque in lata culpa est, qui non prospicit, curat, cavet quod omnes, qui modò sensu communi præditi sunt, providere, cavere, & curare deberent: veluti si quis noctu ædium ostia, vel fenestras, per quas de plano intrari posset, apertas relinqueret: aut si quis rem fidei suæ commissam in loco publico, vel tali, quo quilibet accedere potest, incustoditâ jacere pateretur, credens neminem venturum, qui auferat. Verbo: quicumque non facit in re aliena, quod vel minimum diligens faceret in re sua, hujus culpæ reus est. *Culpa levis est ommissio diligentia à providentioribus, & diligentioribus adhiberi solita: vel est admissum in re aliena, quod diligentior Paterfam. non admitteret in re sua. Hujus culpæ reus est v. g. qui non clausit fenestras altiores, quàm ut de plano intrari possit, si fortè fures admotis scallis ingressi res aliquas subtraxerint. Denique culpa levissima est ommissio diligentia à diligentissimis adhiberi solita: vel est admissum in re aliena, quod diligentissimus Paterfam. non admitteret in re sua. Hanc culpam committit, qui v. g. fenestras versus publicum remotiores à locis, in quibus familia dormit, non munivit clathris, aut ferreis perticis. Quibus positis.*

Dico I. Lata culpa in omni contractu perinde ut dolus præstanda est: quia lata culpa æquivalenter dolus est. l. 29. ff. Mandati l. 7. §. 1. ff. de Suspect. tutorib. l. 32. ff. Depositi. l. 1. §. 1. ff. de O. & A. l. 226. ff. de V. S. Atque hæc æquiparatio doli, & latæ culpæ in tantum procedit, ut licet dicatur in lege dolum tantum, vel duntaxat præstandum esse, non tamen excludatur lata culpa. l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 23. ff. de R. J. l. 8. §. 3. ff. de Precario l. 5. §. 2. ff. Commodati.

Dico II. Sola lata culpa præstanda est in illis contractibus, qui tendunt ad utilitatem

folius principaliter obligantis; ut est depositum. Culpa lata & levis vindicatur in illis contractibus, in quibus vertitur utilitas utriusque contractantis, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, societas, pignus, &c. Culpam latam, levem, & levissimam recipiunt contractus illi, qui unice vergunt in utilitatem principaliter obligati, ut est commodatum. *d. l. 5. §. 2. ff. commodati.* Exceptiones suis locis dabimus.

§ 8 *Casus fortuitus* est inopinatus eventus, quem quis, cum accidit, vel non potuit humano consilio praevidere, vel saltem praevisum non avertere. *l. 18. l. 19. ff. Commodati. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* Quod pertinent naufragia, inundationes, terræ motus, incendia ex fulmine orta, mortes animalium, ruinæ ædium, incursum hostium, prædonum impetus, fugæ servorum, violentiæ ventorum, turbinum, pluviarum, grandinum, immodicus solis æstus, insolitum frigus, & hujusmodi tempestates, quæ coelitus solent immitti. De his & similibus casibus fortuitis universim tenendum est, quod per se loquendo in nullo contractu præstentur. *l. 23. ff. de R. F.*

Dixi: *per se loquendo*: nam fallit I. si conventum sit ab initio, ut accipiens etiam de casu fortuito teneatur, idque si illa conventio expressa sit, sive tacita. *l. 5. §. 3. ff. Commodati. l. 1. §. 35. ff. Depositi.* Fallit II. Si dolus vel culpa casui causam dederit. *d. l. 5. §. 4. & 7. ff. Commodati. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* Fallit III. Si culpabilis mora casum præcesserit. *c. un. de Commodato. l. 12. §. 3. Depositi.* Confer. P. Engel *ad h. l. §. 7.*

§. X.

§ 9 *Contraria Pacto* sunt metus, dolus & error. *Metus*: quia conventio metu facta de jure merito subsistit quidem, sed quoniam æquitas eadem deficit, effectus est inefficax. *l. 3. §. 1. ff. de Constit. pec. & licet producat actionem, eadem*

tamen exceptione perpetuâ metus est elidibilis. *arg. §. 3. Instit. de Except. Dolus*: ita enim Prætoris edicto cautum est: *Pacta conventa, quæ dolo malo facta non erunt, servabo. l. 7. §. 7. ff. h. t. Error*: qui vel versatur circa ipsum corpus, quod in pactum, aut contractum venit: vel circa materiam, ex qua illud corpus est; vel circa accidentia corporis. Si primum, pactum omni jure nullum est: ut si emam vitrum, putans esse gemmam. Ratio est: quia excludit omnem consensum, errantis quippe (circa substantiam) nullus est consensus. *l. 8. §. 9. C. de Juris, & facti ignor.* Si secundum, pactum, aut contractus pariter nullus est. Sic si emam scyphum putans esse aureum, cum totus sit æneus, emptio nulla dicitur in *l. 3. §. 2. ff. de Contrab. empe.* Secus foret, si tantum ex parte esset æneus. *l. 14. ff. Eod.* Excipiuntur stipulatio, & pignus, qui duo contractus non vitiantur per errorem in materia. *l. 22. ff. de V. O. l. 1. §. 2. ff. de Pignor. act.* Si tertium, id est, si error sit circa accidentia corporis, pactum & contractus quicumque ille sit, valet: quia hic adest sufficiens consensus; hoc ipsum enim, quod error tantum versetur circa qualitates accidentales, jam substantia rei est sufficienter voluntaria. Unde sequitur tale pactum aut contractum alterâ parte nolente non posse rescindi, sed tantum debere ad æqualitatem reduci per *l. 2. C. de Rescind. vendit.*

TITULUS XXXVI. De Transactionibus.

SUMMARIA.

1. Transactionis homonymia.
2. Et definitio.
3. Usque 8. Quis transigere possit?
8. Regulariter nemo cogitur transigere.
9. Usque 17. De quibus transigi possit?
18. Quomodo fiat transactio?
19. Finis.
20. Usque 23. Et effectus transactionis.
23. Quibus modis rescindatur transactio?

§. I.

Transactionis nomen generale est, & dupliciter sumitur; latè & strictè. Latè sumptum quancunque actionis terminationem, ideòque etiam juramentum litis decisorium, compromissum, amicabilem compositionem, præscriptionem, sententiam Judicis, aliòsque modos finiendarum litium complectitur per l. 229. & 230. ff. de V. S. Specialiter verò & strictè usurpatur pro rei dubiæ, & litis incertæ non gratuita remissione, in qua acceptione.

§. II.

Definitur transactio, quòd sit rei dubiæ, & litis incertæ, nec finitæ conventa decisio, aliquo dato, retento, vel promisso. Colligitur ex l. 1. ff. & l. 38. C. h. t.

§. III.

Causa efficiens Transactionis sunt Transigentes. Possunt autem transigere omnes, quibus vel natura, vel lex impedimento non est. A natura est consensus defectus: transactio namque in se conventionem & consensum includit l. 1. §. 3. ff. de Pactis. Lege transigendi facultas adimi censetur iis, qui non habent liberam rerum administrationem: transactio enim species quædam est administrationis & alienationis arg. l. 4. C. de Prædiis minor. Hinc

Deduces I. Prælatos Ecclesiasticos non posse transigere super rebus Ecclesiarum immobilibus, vel mobilibus pretiosis, sine solennitatibus alienationis de Jure Can. requisitis arg. c. 5. de Reb. Eccles. alien. extrav. ambrosiana. Panormit. c. 1. de Deposito. num. 8. Et hoc verissimum censeo, quando Ecclesia est in possessione rei, vel si non sit in possessione, saltem aliud jus in re habere videtur, & vi transactionis possessionem, vel alius jus in re dimittere deberet, quantumvis in vicem receptâ pecuniâ. Quòd si verò Ecclesia nec possessionem, nec aliud jus in re obtineat,

sed tantum spem, & jus ad rem dubium, non improbabile est, quòd docet Quarant. cit. alienatio rer. Eccles. u. 43. sine aliqua solennitate transigi posse: quia hoc casu non agitur de aliquo amittendo, sed magis de non acquirendo; constat autem, quòd licet Prælati amittendo vel alienando Ecclesiam damnificare non possit, nihilominus, vel maximè nocere valeat negligendo, & non agendo, vel acquirendo, quòd posset, vel deberet.

Deduces II. Oppidum, seu universitatem non posse sine Principis facultate transigere super bonis & juribus suis immobilibus, si ex tali transactione sequatur alienatio: quia communitates, oppida, & universitates quo ad suos contractus reputantur pro pupillis & minoribus. Ergo sicut pupilli & minores nequeunt transigere sine Curatorum & Tutorum auctoritate, & quo ad immobilia, quando sequitur alienatio, sine judicis decreto l. 25. & 33. C. h. t. d. l. 4. C. de Prædiis minor. ita nec communitates seu oppido sine Principis facultate validè per transactionem alienare poterunt. arg. l. fin. C. de Vendend. reb. civit.

Dixi: Si ex tali transactione sequatur alienatio: quia si transactio fieret ita, ut res controversa remaneret penes universitatem, traditâ duntaxat pecuniâ adversario ad sedandas lites, tunc non incongruè asseruerim, tenere hujus modi transactionem; etiam irrequisitâ Principis licentiâ, quandoquidem sic possessio potius firmatur.

Deduces III. Possessores majoratus, vasallos, & hæredes fideicommissi gravatos transigere non posse super bonis, quibus respectivè gaudent. Molina de F. & F. tr. 2. disp. 557. §. qui alien. non potest. Ratio est: quia circa hujusmodi bona absolutè prohibita est alienatio. Ergo & prohibita est circa eadem transactio. arg. d. l. 4. C. de Prædiis minor.

Sunt tamen casus excepti, in quibus vasalli, hæredes gravati, & possessores majoratus

transigere valent. *Primus* est, si transactio fiat inter fideicommissarium, & heredem gravatum, inter dominum directum & vasallum: quia tunc cessat finis prohibitionis, ne scilicet bona vinculata transeant in extraneas manus, nescio eo, in cuius favorem intelliguntur vinculata. *Secunda* est, quando in transactionem consentiunt illi omnes, in quorum gratiam interdicta est alienatio & transactio accedentibus debitis solennitatibus: quia tunc nulli fit præjudicium, definitque prohibitionis ratio. *L. I. C. de Fideicommiss.* *Tertius* casus est, quando res, de qua transigitur, remanet penes possessorem feudi, vel majoratus, collatâ adversario certâ pecuniæ quantitate ad conciliandam controversiam. *Panorm. in c. 3. n. 3. h. t.* idque ideo: quia per talem transactionem nullum jus fideicommissarii, domini directi, vel successorum in majoratu læditur. *Quartus* est, si transactio sit necessario, vel ex necessitate aut præscripto statu, seu legis: vel ex iussu, aut sententia iudicis: regulare enim est, in omnibus rebus à jure alienari prohibitis, quòd voluntariè nequeant alienari, benè tamen necessario: quia jura quidem obsistunt privatis contrahentium conventionibus, non autem iudicis coactionibus. Atque juxta has exceptiones explicari possunt textus in *l. 36. ff. Ad SCum Trebell. in l. 104. ff. de Solut.* Item textus in *c. 5. §. penult. si de feudo defuncti & c. lib. 2. f. tit. 26. & tit. 43. c. un. de controvers. inter vasallum & c.* nisi dicere malis hæc duo capita per *cap. Imperialem de prohibita feudi alienatione per Frideric. 2. f. 55.* recantata esse.

7 *Deduces* IV. Procuratorem in rem alienam non posse transigere sine speciali mandato ad alienandum, sive fuerit generalis ad omnes lites, omniâque negotia; sive specialis ad aliquas lites, vel certa negotia. *Covarr. l. I. V. R. c. 6. n. 3.* Textus de Procuratore generali sunt in *l. 60. & 63. ff. de Procuratorib. c. 4.*

Eod. in 6. de Speciali in l. 13. ff. de Pactis. l. 7. C. b. t. l. 4. C. de Novation. Nec incongruè benè ratione hoc decernitur, siquidem mandatum ad augendum, vel defendendum non est ad transigendum, vel alienandum *d. l. 63. ff. de Procurat.* sicque procurator transigens excederet limites mandati. Plerique tamen hanc prohibitionem limitant, asseruntque Procuratorem generalem *cum libera* (intelligitur Potestate administrandi) posse transigere, eo quòd mandatum generale cum illa clausula assumat vires specialis mandati, & ad omnia sufficiat, ad quæ requiritur speciale mandatum per *l. 58. ff. de Procuratorib. d. c. 4. Eod. in 6. l. 17. §. fin. ff. de Furejur.* Sed non libenter sine exceptione huic limitationi annuo: quia in his negotiis, quæ possunt Domino maximum detrimentum asserre, requiritur individuum, & specialissimum mandatum. Vide *Barb. in claus. 35. n. 26.*

Quæstio superest: num partes etiam nolentes ad transactionem compelli possint? Quod negandum per expressum textum in *Novell. 124. in fine.* Ratio est: quia regulariter nemo invitus tenetur cedere jure suo; quemadmodum nec contrahere *l. invitum 1. C. de Contrah. empt.* atqui transigendo jus aliquod dimitti debet, cum quævis transactio fiat aliquo dato, aliquo retento. Ergo

Verum ut hoc ita se habeat, ita certis casibus contrarium obtinet. Nam I. si partium jura sint omnino æqualia, & lis ita intricata, ut aliter expediri, & decidi nequeat, rectè a Judice pro concordatione per modum quædam sententiæ transactio imponitur *arg. c. 1. dist. 90.* ubi discordantes vel ratione, vel potestate ad concordiam trahendi dicuntur; aliter enim ad æqualitatem juris proportionatè utrique parti competentis perveniri haud poterit. *Zoël. de Treuga & pace n. 2.* II. Si ex continuatione litis timeatur periculum armorum, vel perturbatio pacis publicæ, ut si

magna familiae & civitates pertinaciter inter se litigent: tunc enim pro conservatione boni communis potest Superior litigantes ad concordiam cogere juxta *Novell 17. c. 2.* quod mediante transactione facillimè fieri potest.

III. Ad transigendum quis cogi poterit, si de tali re lis sit, circa quam Judex liberam habet disponendi facultatem, quemadmodum S. Pontifex circa beneficia Ecclesiastica: tali siquidem casu jus, quod transigens aliquo modo remittere cogitur, non habet nisi dependenter à voluntate cogentis. Colligitur ex *c. cum inter 16. de Elect.* ubi Papa litigantem super beneficio, & sententiam instanter postulantem, ad componendum invitum coëgit.

Planè licet regulariter nolentem ad transigendam compellere nemo valeat, suadere tamen transactionem in dubio non solum potest sed quasi ex officio tenetur Judex, praesertim si causa sit valde ardua: ne lites cum magnis partium sumptibus protrahantur, & fortan neutri per sententiam plus acquiratur, quam per transactionem, sicque frustra fiant lites expensae.

§. IV.

Materia, seu Objectum Transactionis est res dubia, & lis incerta, & necdum finita. *l. 1. ff. h. t.*

Dicitur I. *res dubia*: nam si alicui ex transigentibus certò constaret, rem, de qua agitur, ad alterum pertinere, non subsisteret transactione, nec in foro interno, nec in foro externo. Non in interno: quia nullus esset titulus, per quem transigens posset aliquid recipere, ob quod recederet ab actione, si esset actor; vel retinere, si esset reus: non enim verus Dominus praesumitur omninò liberè acquiescere illi acquisitioni, vel retentioni, sed involuntariè mixtè, eò modò, quo mutuatarius acquiescit solutioni usurarum. Non in externo: quia jura expressè irritant transactionem de re certa, quae scilicet certè & determinatè pertinet

ad alterum ex transigentibus; consequenter si quid ejus nomine datum vel remissum est, conditione indebiti repetere licebit. *l. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb. l. 12. l. 19. C. h. t. Panormit. in c. super eo. h. t. in fin.*

Dicitur II. *Et lis incerta*: ubi per litem incertam non tantum intelligimus licem, quae de praesenti jam mota, & in judicium deducta est, sed etiam quam timemus, ne moveatur, & in judicium aliquando deducatur. *l. 2. C. h. t. Molina de F. & F. disp. 556. in princ.*

Dicitur III. *Et nondum finita*: cenletur autem lis nondum finita tunc, quando sententià Judicis finem nondum accepit. Super re itaque judicata transactio fieri non potest. *l. 32. C. h. t. l. 23. §. 1. ff. de Condict. indeb.* sine dubio ideo: quia res judicata non est res dubia, non lis incerta, sed liquida, & certissima constituitur: cum res judicata pro veritate habeatur. *l. 207. ff. de R. F.* Quòd si appellationis, vel in integrum restitutionis solennitate sententia suspensa fuerit, vel aliàs remedio quodam infirmari, sive dubia reddi possit, quin transactio interposita valeat, dubitare non sinunt *l. 7. ff. §. l. 32. C. h. t. d. l. 23. §. 1. ff. de condict. indeb.* Amplius, etsi appellatum non sit; si tamen negetur judicatum esse, vel ignorari possit, an judicatum sit? transactio procedet. *l. 11. ff. h. t.*

Tametsi verò regulariter de quibuslibet rebus & causis controversis transigere permixtum sit; quaedam tamen, licet & ipsae dubiae & incertae sint, transactionem respuunt. Sic I. *in c. fin. h. t.* prohibetur omnis transactio vel compositio de Matrimonio dissolvendo: quia Matrimonium semel contractum non amplius subest dispositioni contrahentium, sed Ecclesiae. Latè Sanchez de *Matrim. l. 2. disp. 14.* ubi docet prohibitionem hanc procedere, quando per transactionem vel compositioem aliquid fit contra vinculum matrimoniale; secus, si fiat pro matrimonio, ut si

si partes contendentes de matrimonio per transactionem vel compositionem inducuntur ad contrahendum de novo, si non adsit impedimentum, vel tale, quod dependeat ab earum voluntate. Alia ratio est in sponsalibus de futuro: hæc enim inter puberes mutuo consensu seu remissione rursus dissolvi possunt, consequenter desuper transigi, si dubia sint. Quod addo: quia si duo sponsi ultrò à sponsalibus validè contractis recedant, licet non gratis, sed unus v.g. det certam pecuniã, ut alter obligationem quæ sitã remittat, transactio non erit.

II. Quamvis in causis beneficialibus amicablem compositio, imò etiam transactio (modò non interveniat quid temporale) non sit absolutè prohibita, eam tamen citra labem simoniæ, saltem contra Jus Canonicum, privatã auctoritate fieri nunquam posse, textus sunt in c. 4. 6. & 7. h.t. Secùs se res habet in aliis rebus Spiritualibus, in quibus privatã quoque auctoritate tam compositio, quàm transactio absque omni simonia fieri potest; modò nihil temporale interveniat, aut tradatur pro spirituali, sed res spiritualis detur pro spirituali, c. 6. & ult. de rer. permut. & modò res illa, quæ alteri in compensationem ceditur, sit pars litis. Quod addo: quia si non sit pars litis, & insuper talis, ut in alterum transferri, aut alienari nequeat sine Prælati auctoritate, omninò ad valorem transactionis non minus, quàm in materia beneficiali, requiratur auctoritas legitimi superioris. Quod idem dicendũ, si transigentes intendant transactionem perpetuam, quæ etiam successores afficiat juxta c. 5. h.t. Quomodo etiam, si super decimis cum Laicis sit transactio, ex speciali juris dispositione confirmatio S. Pontificis requiritur, vel saltem Episcopi. c. 2. & 8. h.t. Azor. *Instit. Moral.* p. 1. l. 7. c. 26. q. 5. & 6.

III. Non procedit transactio super testamento, & super iis, quæ complectitur, nisi toto testamento inspecto, iisque plenè cognitis,

quæ in eodem continentur. l. 6. & 12. ff. h.t. & hoc tum propter periculum fraudis, ne capitiolè fiat transactio, tanquam super re necdum cognitã: tum etiam favore testatoris defuncti, ut ejus ultima voluntas agnoscatur.

IV. Non valet transactio super alimentis, alicui testamento, codicillis, vel etiam donatione mortis causã relicta, nisi fiat decreto Judicis cognitã causã, & probata, per quam constet, alimentarium fieri melioris conditionis. l. 8. ff. l. 8. C. h.t. maximã certè aequitate: plerumque enim hi, quibus alimenta relicta erant, facillè transigebant, contenti modico præsentis unde fiebat, ut postea laborarent egestate contra testatorum voluntatem, qui vix aliquando legant alimenta, nisi egentibus, aut iis, quibus prospectum velint, ne in egestatem incidant. Quare tota hæc prohibitio de alimentis futuris, noe præteritis, quæ scilicet jam præstari debuissent, agit, eò quòd non amplius habeant rationem alimentorum, cum in præteritum nemo sit alendus, sed potius pura, ac simplicia debita censeantur.

V. Non admittitur transactio in quibusdam causis criminalibus; de quibus Dioclet. & Maxim. Imperat. in l. 18. C. h.t. in hæc verba rescribunt: *Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibuitur non est, in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem.*

§. V.

Forma Transactionis est vel essentialis, vel accidentalis. *Essentialis* duo concernit: nempe, ut transactio fiat de re omninò dubia, & jure incerto, sive lis jam sit intentata circa illud, sive possit intentari. l. 2. C. h.t. & constat ex dictis. Deinde, ut utrique transigenti onus aliquod imponatur: si enim uni res concederetur absque ullo onere, aut compensatione, esset vel donatio, vel compositio. l. 38. C. de P. Engl. h.t. n. 3. *Forma accidentalis* stat in modo

modo transigendi: post autem transactio fieri non tantum pacto nudo, sed etiam contractu nominato, & innominato. *l. 2. ff. l. 6. & 15. C. h. t.*

§. VI.

18 *Finis* Transactionis est, ut eâ finis litibus imponatur, & animi collitigantium invicem concilientur. Hinc DD. in *l. 10. C. h. t.* tradunt transactionem adeo esse favorabilem, ut pro hac in dubio sit judicandum per *l. cum 10. §. & 139. C. eod.* & ita interpretari debere, ut sustineatur per *c. constitutus. de Procurar. c. venerabilis. de dolo. & contum.*

§. VII.

19 *Effectus* Transactionis varii sunt, ac multiplices: *Primus est*, quod habeat vim rei iudicatae. *l. 20. C. h. t.* ibi: *non minorem auctoritatem transactionum esse quam rerum iudicarum, rectè à ratione placuit: siquidem nihil ita rationi congruit humano, quam ea, pna placuerant, custodiri.*

20 *Secundus est*, quod rebus, ac litibus incertis finem imponat. *c. 1. h. t. l. 10. C. Eod.* Et quidem si acceptilatione vel simplici, vel Aquilianâ stipulatione fuerit facta, ipso jure actionem perimit. *l. 4. C. h. t.* Si verò pacto solum convento inita sit, prior actio non ipso jure sublata censetur, sed ad eam excludendam, si actor agere perrexerit, exceptio reo competit. *l. 17. & 39.*

21 *Tertius est*, quod lis, ac controversia semel legitimâ transactione finitâ, nec rescripto Principis. *l. 15. nec prætectu instrumentorum* postea repertorum retractari possit. *l. 10. l. 20. l. 29. C. h. t. c. 1. Eod.*

22 *Quartus effectus* est obligatio & actio ex transactione actori nata. Interest verò, an transactio celebrata sit mediante stipulatione, an pacto convento? Si mediante stipulatione datur conditio certi, aut ex stipulatu. *l. 6. 17. 28. & 33. C. h. t.* Si mediante pacto, refert, utne transactio ab alterutra parte impleta

vel non? Si prius, datur actio præscriptis verbis, sicut ex alio contractu in nominato *d. l. 6. & 33.* Si posterius, datur conditio ex moribus, de Jure communi autem tantum exceptio: quia de consuetudine solum, & non ex dispositione Juris communis pacta nuda actionem pariunt per *l. 7. §. 4. ff. de Pactis. Panorm. inc. 1. n. 4. Eod.*

§. VIII.

Contraria Transactionis sunt modi, quibus rescinditur. Rescinditur autem I. utriusque transigentis consensu per *l. 14. C. h. t.* II. ob beneficium restitutionis in integrum: nam hoc etiam adversus transactionem conceditur, si exinde læsio contigerit. *t. t. C. Si adversus transact. &c.* III. Si transactio fuerit inita per metum cadentem in constantem virum. *l. 3. C. h. t. l. 7. & 1 fin. C. de his, que vi.* IV. propter dolum; ut si instrumenta noviter reperta fuissent dolosè occultata, vel si quis aliàs dolo malo inductus fuisset ad transigendum. *l. 4. 19. & 22. C. h. t.* V. si transactio fuerit inita ex falsis instrumentis, etiamsi tempore transactionis neutra pars falsitatem sciverit, sed utraque fuerit in bona fide, existimans instrumenta esse vera. *l. penult. c. eod.*

An autem transactio rescindi possit, si absquo dolo re ipsa per eam altera pars immodicè, & ultra dimidium lædatur? *difficilis questio est.* Affirmativæ impensè favere videtur *l. 5. C. de dolo malo.* ubi in transactione propter immodicam læsionem tribuitur actio in factum. Nihilominus negativa magis probatur ob apertissimum textum in *l. Lusius. 78. §. ult. ff. ad SCum Trebell.* ubi negatur rescissio transactionis factæ super fidei commissio universalis totius hæreditatis, etiamsi ex instrumentis postea repertis appareat, quadruplo plus in hæreditate fuisse, quam interveniente transactione fuerit restitutum nomine totius hæreditatis. Accedit ratio: quia non minor est autoritas transactionis, quam rerum

rerum judicatarum. l. 20. C. h. r. Atqui sententia rescindi non potest prætextu cujuscunque læsionis. r. r. C. Sententiam rescindi non posse. ergo. Neque obstat d. l. 5. C. de dolo malo. loquitur enim tantum de eo casu, quo aliàs daretur actio de dolo, ut patet ex ultimis verbis legis, sicque supponit, quòd in transactione dolus intervenerit, quo casu ultrò admittimus rescissionem, quemadmodum etiam in l. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb. conceditur repetitio, si evidens calumnia subfuerit, vel aliàs transactio imperfecta invalida sit.

¶

TITULUS XXXVII. De Postulando.

SUMMARIA.

1. Quid sit Advocatus?
2. Advocatum constituunt Partes, vel Judex.
3. Usque 17. Qui advocare seu postulare possunt?
17. Usque 21. Advocatus non nisi causas probabiles suscipere potest.
21. Capita juramenti ab Advocato præstandi.
22. Advocati est tueri Clientem.
23. 24. 25. Advocatus negligens tenetur ad restitutionem. 26. Nequit deserere causam susceptam.
27. Potest petere justum salarium.

Lite per pactum, aut transactionem non decilâ judicium procedit, ubi causa etiam per alios agitur, & quidem primò per Advocatum, cujus munus est postulare pro alio, nempe ut jus suum reddatur Clienti.

§. I.

Definitur Advocatus, quòd sit vir gravis, autoritate & exultimatione præditus, qui propter excellentem juris cognitionem, nativam prudentiam, eloquentiam, & rerum multorum usum ad causas forenses agendas, vel defendendas quasi Patronus vocatur, ut in negotiis gravibus, & arduis patrocinium litigantibus præbeat, idque plerumque in scriptis

pugnando, & consulendo, ut notatur in tit. C. de Advocat. divers. judic.

§. II.

Causa efficiens sunt partes litigantes, que pro libitu sibi advocatos eligere possunt. l. 2. C. h. r. Quandoque tamen etiam Judex ex officio constituit, veluti si partes ob inopiam, vel ob mecum potentis adversarii advocatum habere, aut invenire nequeant. l. 1. §. 4. ff. §. l. 7. C. h. r. Et hoc in tantum procedit, ut si advocatus sine probabili causa patricinium suum alicui deneget, ipsi forò in perpetuum interdicatur, nec unquam ad agendum admittitur: est enim munus advocatiæ publicum, & ideo nemini sine causa reculandum. d. l. 7. Gail. 1. Obser. 43. n. 1. & 11.

§. III.

Subjectum advocatiæ est persona, que Patribus vel à Judice ad postulandum constituitur. Constitui autem possunt omnes rerum forensium periti, nisi nominatim prohibeantur. arg. l. 43. ff. de Procurat. Prohibetur verò l. minor 17. annis: quia necdum habet perfectum judicium, quò opus in postulando. l. 1. §. 3. ff. h. r.

II. Fœmina: quia in civile est, fœminas promiscuè se civilibus & virilibus negotiis immiscere. d. l. 1. §. 5. Excipitur, ut possit postulare pro filio condemnato per l. 4. §. 2. ff. de liberali causa.

III. Mutus, surdus, aut cœcus. Mutus: quia orare; & per orare causam in judicio nequit. Surdus: quia decretum Judicis exaudire non potest, eoque non exaudito, quasi non obtemperasset, ut contumax puniretur. Cœcus: quia insignia Magistratus videre, & revereri non potest. d. l. 1. §. 3. & 5.

IV. De gravibus criminibus damnatus: quia cum iste nec erga DEUM, nec erga se ipsum justitiam exercuerit, multò minus censendus est, velle illam in aliorum negotiis exercere. d. l. 1. §. 6. Sylvest. V. advocatus. n. 1.

V. Pro-

8 V. Prohibentur excommunicati, & hæretici. *l. fin. C. h. t.* ne Judex cum illis communicet cum periculo animæ. Quæ tamen prohibitio limitari debet ad excommunicatos & hæreticos non toleratos; sicut quoque in Camera Imperiali in numerum advocatorum recipiuntur, qui sunt Augustanæ confessionis. *Ordin. Camer. p. 1. tit. 18.*

9 VI. Infames: quia officium advocati est honorificum, & nobile, ut DD. colligunt ex *l. 7. C. h. t.* infames autem ab omnibus dignitatibus submoventur per *l. 38. C. de Decurionibus. l. 2. C. de Dignitat.*

10 VII. Judices & arbitri in ea causa, in qua judicaturi sunt. *l. 6. pr. C. h. t.* Ratio est: quia cum advocati ordinariè saveant suæ parti, suspicio est, tales latoros sententiam in favorem sui clientis: Judices autem oportet esse depuratos ab omni affectu, & utriusque causæ merita ad justitiæ bilancem trutinare.

11 VIII. Prohibentur potentiores. *l. 1. C. Ne liceat potentioribus patrocinium litigatoribus prestare.* Idque ideo: ne mole potentiæ opprimant jura adversæ partis.

12 IX. Et principaliter *in h. tit.* interdicitur quibuscumque Clericis in SS. Ordinibus, quin & in Minoribus constitutis, si beneficium habeant, ne in foro sæculari postulare præsumant, nisi pro se ipsis: vel Ecclesia sua: vel, si necessitas exigat, pro personis conjunctis, ac miserabilibus. *c. 1. & 3. h. t.* Nomine autem personarum conjunctarum intellige non tantum consanguineas, sed etiam conjunctas conjunctione spiritali, uti sunt Canonici ejusdem Ecclesiæ. *Panorm. in d. c. 1. n. 4. & Barb. ibidem. n. 2.* Sola tamen affectionis conjunctio sufficere non videtur: quia prætextu illius facile eluderetur tota prohibitio. Per miserabiles personas intelliguntur omnes illæ, quæ per se, vel per alios sese insufficienter defendere nequeunt, aut quarum natura & conditio alios movet ad justam commiserationem;

quod in dubio Judicis arbitrio relinquatur. *Barb. l. cit. n. 4.*

Porrò in foro Ecclesiastico postulare Clerici non prohibentur, sed potius à sensu contrario universim admittuntur, prout notat idē *Barb. in d. c. 1. n. 5.* ubi ita quoque in Curia Romana & consuetudine receptum esse testatur. Quòd si etiam in Sacris constituti congruam sustentationem ex beneficio, vel aliunde habere nequeant, indistinctè advocare possunt in utroque foro, modo abstineant à causis criminalibus, quemadmodum rursus à contrario sensu *ex d. c. 1. h. t.* arguit *Panorm. ibidem n. 4.* Ratio est: quia si Clerico advocare licet pro pauperibus & miserabilibus personis, ut illarum necessitati subveniat, multò magis erit illi licitum & honestum, ut propriæ necessitati & egestati consulat: nam charitas ordinata incipit à se ipsa.

X. Prohibentur Religiosi; circa quos illud speciale est, quòd propter singularem subjectionem, & obedientiæ votum ne quidem in foro Ecclesiastico postulare possint, nisi utilitas Monasterii id exigat, & simul adfit specialis licentia immediati Superioris. *c. 2. h. t.* Hæc verò licentiâ obtentâ non solum pro Monasterio, sed etiam pro amicis & benefactoribus Monasterii ex rationabili causa in causis civilibus etiam coram Judice laico postulare queunt. *Laym. lib. 4. tit. 5. cap. 11. n. 2.* redundat enim id saltem indirectè in utilitatem Monasterii, adeoque in propriam; pro se autem, vel Ecclesia sua in utroque foro postulare secundum dicta conceditur Clericis. Ergo etiam Religiosis, modò adfit Superioris licentia, quæ facit cessare periculum nimix, ac inordinatæ abstractionis à Divinis, propter quod Clericus ordinariè in foro sæculari advocare prohibetur; etiamsi forsan indirectè quædam utilitas propria interveniret.

Planè allegationes juris, & consilia etiam in scriptis Patribus communicare, neque Clericis,

ricis, neque Religiosis à Jure Interdictum est, cum per hoc advocare, seu postulare non censentur; postulare namque est desiderium suum, vel amici sui in jure, apud eum, qui Jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. *l. i. ff. h. t.* Nec quempiam turbat. *l. i. §. ii. ff. de Extraord. cognit.* ubi dicitur, advocatos intelligi omnes omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur: siquidem subintelligendum est: in judicio sicut ex immediatè sequentibus verbis liquet.

16 Cæterum prudenter in bonè constitutis judiciis, & tribunalibus certus servatur, & habetur definitus numerus Advocatorum, inter quos non recipitur, nisi qui habeat ingenium liberale, bonum judicium, peritiam & scientiam juris, & legum, nec non juris municipalis, & præter vitæ, morumque integritatem etiam publicum alicujus Academiæ testimonium, & vel gradum Licentiatûs, vel Doctoratûs. §. IV.

17 *Materia, seu Objectum* Advocati sunt causæ quarum defensionem suscipit. Quod ut dilucidius explicem.

Dico I. Advocatus non potest defendere causam injustam juxta illud *Paralip. 19. impio præbes auxilium, ideo iram DEI mereberis.* Peccat autem talis advocatus contra justitiam, & consequenter ad restitutionem tenetur etiam expensarum sui clientis, si cum injustam causam comperit, eum de injustitia non monuerit. Quod si monuerit, & ille pervicaciter in causæ prosecutione stare voluerit, si eam perdat, ad nihil illi tenebitur: quia scienti & volenti nulla fit injuria. At verò parti adversæ obligatur restituere non solum litem principalem, si vincit, sed etiam expensas: nam in isto casu actio advocati est injuriosa parti adversæ. Ergo tenetur ad restitutionem totius. *D. Th. 2. 2. q. 71. a. 3.*

18 *Dico II.* In causâ dubia, & æqualis proba-

bilitatis ex utraque parte licet advocato, cui maluerit, parti patrocinari: tum quia si in hujusmodi causis dubiis non liceret advocato patrocinari, ferè nunquam liceret; cum hinc lites sumant initium & pendent, quod res, aut jure, aut facto in dubio versentur: tum quia munus advocati non est causam definire, & sententiam proferre, sed solum legum sensa bonâ fide ad alterutram partem applicare, & rationes, & omnia ea, quæ sui clientis jus ostendere, & confirmare possunt, proponere Judici, ad quem postea spectat juxta merita causæ cognita pronuntiare; sola autem propositio rationum & jurium sui clientis sine dolo, fraude & coactione Judicis ad ferendam sententiam pro altera parte, non continet injustitiam, sicut injustè non ageret clientis ipse, seu pars ipsa, si per se proponeret Judici, ut juxta causæ merita justitiam administraret. *Bannes 2. 2. q. 11. a. 4. dub. 6. concl. 2.* & communiter omnes.

Dico III. Advocatus potest licitè suscipere & defendere causam quamcunque, quam scit, & judicat minus probabilem, seu pro qua sua opinio minus probabilis. arg. *Amb. hodie jurant. §. patroni. C. de Judicis* ubi advocatus prohibetur solum defendere causam improbam & penitus desperatam, qualis utique non est causa dubia, vel minus probabilis. Deinde pars habens causam probabilem, licet pars adversa habeat probabiliorem, potest se ipsam defendere, nec tenetur causam deserere: cum liceat unicuique, jus suum defendere, quando non certò constat de jure alterius: & pars, quæ videtur jure potior, non semper stare ipsa. Ergo & advocato licebit illi patrocinari: nam quis potest per alium, quod potest facere per se ipsum. *c. 68. de R. J. in 6.* Ad hæc, munus advocati (ut paulò ante dictum) non est, sicut Judicis, rem definire, tradendum, quod petitur, & alteri offerendo, sed præsentare & proponere Judici fundamentum ju-

ris, ac facti, & rationes quæ causæ sui clientis favere possunt, ut Judex ipse examinet, & videat, an possit pro illo sententiam ferre; nec advocatus Judicem rogat, aut persuadet, ut talem sententiam ferat, nisi quatenus judicaverit iusta, quæ illi proponit Azor. *Inst. moral.* p. 1. l. 2. c. 17. q. 12. cum aliis communiter.

20 Notant verò DD. hujus sententiæ, Advocatum teneri admonere clientem de sua minori probabilitate causæ, aperiendo illi veritatem juris; & cavere, ne certius illi promittat sententiam, quam debeat: quia cliens sic monitus fortè aut alium eliget Advocatum, aut causam non prosequetur. Quòd si contrariæ partis probabilitatem occultaverit, aut clienti certam victoriam promiserit, atque ita ad litigandum incitaverit, ipso succumbente tenetur advocatus ad omnes expensas & damna, quæ eidem clienti ex tali lite evenerint.

§. V.

21 Ad formam pertinet modus constituendi advocatum. Debet autem constituens Advocatum juramento ipsum sibi devincere, ne solutus, & disinctus, sine omni sollicitudine spatietur. Formulam juramenti præscripsit Justinianus in l. rem non novam 14. §. 1. C. de Judiciis. prout hoc etiam in Camera Imperiali servatur juxta *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 64.* ubi proponitur forma juramenti desumpta ex d. l. rem. non novam. Cujus præcipua capita sunt hæc: *Primò*, quòd non velit suscipere causam injustam. *Secundò*, quòd in patrocinando & advocando velit præstare fidem & diligentiam clienti suo. *Tertiò*, quòd nolit uti falsis allegationibus, aut calumniationibus. *Quartò*, quòd non velit pacisci, vel de tota lite, vel de salario immodico. *Quintò*, quòd arcanæ & merita causæ nolit revelare parti adversæ. *Sextò*, quòd personas judicii debitam reverentiã, ac observantiã velit prosequi. *Septimò*, quòd velit abstinere ab omnibus convitiis, injuriis, & petulantia verborum, eaque tantum

tractare, quæ pertinent ad merita causæ. *Octavò*, quòd velit esse contentus ordinato stipendio, & acquiescere in moderatione ac arbitrio Assessorum. *Nonò*, quòd sine justa causa non velit deferere litem, & causam, antequam per sententiam finita sit. Tandem Judex advocatum juratum in matriculam advocatorum inserat. l. 13. C. de Advocat. divers. Judic. Et ideò praxis habet, ne quis causas oret, vel agat, aut defendat in eo tribunali, in cujus albo advocatorum scriptus non est.

§. VI.

Finis Advocati est, patrocinio clientem suam, qui se, suaque in judicio tueri nequit, defendere, ejusque nomine postulare.

§. VII.

Effectus sunt: I. Advocatus debet commoda litigantium ut sua curare: lites non differre, vel extendere: diligenter & accuratè videre instrumenta litis & acta: prævidere, quæ adversarius pro se adducere potest, quid contra proponere, & paratas adferre solutiones. Hinc

Inferes I. Advocatum, qui propter imperitiam perdit causam sui clientis, peccare contra justitiam, & teneri restituere totum damnatum: quod inde evenit clienti: quia ex officio tenetur esse instructus convenienti peritiã, cum pro idoneo advocato se gerat. Bannes 2. q. 71. a. 4. dub. 2. concl. 1. Quod intelligitur, si cliens ignoravit ejus inscitiam; secus est, si novit: siquidem in hoc casu non tenetur, nisi de dolo, vel lata culpa. Sylvest. V. advocatus. n. 16. q. 24.

Inferes II. si advocatus sit negligens in procuranda causa, peccat mortaliter, & tenetur restituere damnum non solum de lata, sed etiam de levi culpa: quia talis diligentia vergit in utilitatem utriusque partis; advocati recipientis stipendiũ, & clientis accipientis, quod suum est: sicut ille, qui conducit domum, tenetur illam custodire, & restituere damna de lata & levi culpa. Bannes l. cit. conclus. 2.

26 II. *Advocatus* litem susceptam nequit deserere, & pro adversa parte meliorem forsam causam habente postulare. *l. 3. §. 9. C. de Judiciis.* adhibitâ tamen distinctione: vel enim prior causa ex postfacto advocato appareat manifestè injusta, & falsa, ita ut eam tutâ conscientiâ fovere amplius non possit: vel est justa & probabilis? *Priori* casu variare potest: quia obligatio nata nulla est, tanquam de re illicita: nec propterea, quòd ab initio susceperit causam, quam tunc putavit esse justam, debet esse deterioris conditionis, quàm alius, qui alterius causæ patrocinium suscipere potest. Insuper bonum publicum exigit veritatem manifestari, ut justum iudicium ferri queat. *Posteriori* verò casu probabilem causam semel susceptam amplius deserere non potest invita illa parte: ex pacto enim, vel quasi contractu sese ad id obligâsse censetur: & prævaricatio est, quando advocatus causam clientis prodit, colludendo cum adversario. *l. 1. ff. de Prævaricatis.* Quòd autem quidam permittant advocato ob non solum salarium transire ad partem adversam, secundum illud Poëtæ. *ibi fas, ubi plurima merces:* ea non Jcti, sed proditoris sententia videtur.

27 III. *Advocatus* potest petere, & recipere justum salarium. Ubi refert: an hoc stipendium seu salarium à lege, aut consuetudine taxatum sit, vel non? Si primum, certum est, quòd majus recipere nequeat, nisi fortè liberaliter donetur: quia quivis tenetur legere justè taxantem pretium servare. Si secundum, tunc tantum recipere potest, quantum habitâ ratione laboris, dignitatis, scientiæ, & difficultatis causæ arbitrio prudentis viri videbitur, non ultra. Imò gratis tenetur, non quidem ex justitia, sed ex misericordia operam suam impendere, & advocare pro pauperibus, saltem suæ civitatis, ut supponitur ex *D. Thom. 2. 2. q. 71. a. 1. cum Azor. p. 3. l. 13. c. 29.*

IV. *Clericus*, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium habet, advocat, tanquam ingratus beneficio privatur. *c. fin. h. t. & ibi DD.*

TITULUS XXXVIII. De Procuratoribus.

SUMMARIA.

1. *Procurator* qualiter differat ab *Advocato*?
2. *Procuratoris* definitio. 3. *Uique* 7. & *divisio*.
7. *Uique* 16. *Quinam* constituere. 16. *Uique* 24. *Quinam* constitui possint *procuratores*?
24. 25. *Ad quæ negotia, & causas* *procuratoris* constitui liceat?
26. *Procurator sine mandato non* admittitur.
27. & *seqq.* De obligatione, officio, & potestate *Procuratoris*.

Secundo in iudicio agere possumus per *Procuratorem*; qui differt ab *Advocato*, tum quòd ipse mandato, iste precibus constituatur. *l. 1. ff. h. t.* tum quòd *procuratoris* officium ut privatum & vile, *advocati* nobile & publicum. *l. 2. ff. de R. F.* tum quòd *Procurator* lite contestatâ fiat dominus litis. *l. 2. ff. h. t.* non item *Advocatus*. Verum hodiernis moribus *Advocati* & *Procuratoris* Officium coaluit, ut jam idem sit in iudicio *advocatus* & *Procurator*, præsertim in Camera. *Gail. l. obs. 44. n. 8.*

§. I.

Definitur *Procurator* in genere, quòd sit ille, qui aliena negotia mandato domini administrat. *d. l. 1. pr. ff. h. t.*

§. II.

Dividitur *Procurator* I. in generalem, & specialem. Generalis est, cui universorum negotiorum, seu omnium rerum administratio committitur. Specialis, cui negotium unum vel plura, certa tamen, & determinata nominatim sunt mandata.

Procurator generalis subdividitur in eum, qui constitutus est cum libera, & in illum, qui

constitutus est *sine libera*. Constitutus *cum libera* dicitur, cui non solum omnium bonorum administratio, sed plena quoque ac libera potestas bona ista administrandi commissa est, prout ipsi Domino res suas administrare licet: unde talis Procurator etiam potest alienare, & ea omnia perficere, quæ mandatum speciale cæteroquin exposcunt arg. l. 58. & 59. ff. h. t. c. 4. Eod. in 6. Procurator verò sine libera appellatur is, cui quidem & ipsi universonum bonorum administratio concessa est, sed non libera administratio & plena potestas omnia prorsus agendi, quæ agere potest dominus: unde talis nequit alienare, nisi fructus & res, quæ facile corrumpi possunt. l. 63. ff. Eod.

II. Dividitur Procurator in judicialem, qui Procurator ad lites; & extrajudicialem, qui Procurator ad negotia salutatur. Ille litem mandato Domini gerendam suscipit: Iste extrajudicialia negotia mandato Domini curat.

6 Procurator *judicialis* (de quo potissimum hoc tit.) iterum vel est in rem propriam, vel in rem alienam. Procurator in rem alienam nuncupatur, qui litem eâ intentione gerit, ut emolumentum ad mandantem redeat. In rem suam verò; qui litem alienam in commo- dum proprium administrat, sive cui actio ex titulo, ad transferendum dominium habili, cessa est; Talis est, qui aliquam obligationem vel debitum emit, aut quoquo modo sibi comparavit, quod deinde in judicio pro se exigere possit. l. 34. ff. h. t.

§. III.

7 *Causa efficiens* Procuratoris est consensus constituentis & constituti: quia ut nemo regulariter procuratorem constituere cogitur, ita nec aliquis invitus Procuratoris officium, utpote privatum, subire compellitur. c. 7. h. t. in 6. l. 8. ff. Eod. In Camera tamen, ubi ordinarios habent Procuratores, inviti pro re

nata adigi possunt ad subeundum tale munus, nisi quis procuraturæ in genere renuntiare velit; dum scilicet hoc negotium ipsis est quasi publicum. Mynsing. cent. 4. obs. 32. Sed

Quæres I. Quinam Procuratorem constituere possint? R. Omnes & soli rerum, de quibus agitur, domini, in quantum liberam habent earundem administrationem, se seque obligare possunt. Et ideo I. in judicio absque Tutoris vel Curatoris autoritate vel consensu non possunt sibi constituere procuratorem pupillus; minor, & prodigus. l. 11. Cod. h. tit. Si tamen à minore datus procurator sententiam pro minore obtinuerit, ea tenebit. l. 14. C. eod. II. Filiusfam. non aliàs recte constituit procuratorem, nisi in iis causis, in quibus potest agere. l. 8. ff. h. tit. III. Servus prohibetur dare procuratorem, nisi de statu suo litiget, hoc est, pro libertate asserenda. l. 33. §. 1. ff. eod. IV. Excommunicatus nequit agere per Procuratorem, ne communicare quis cum eo cogatur. cap. fin. h. t. Ad defendendum se verò, & potest, & debet constituere; potest: quia cum defensio sit juris naturalis, excommunicatio non denegatur: debet, quia alioquin ex suo delicto commodum reportaret, nempe ne durante excommunicatione conveniri possit. V. Ante litem contestatam actorem solum, non Procuratorem constituere possunt Tutor, Curator, aut Syndicus Universitatis; lite verò contestatâ ii etiam Procuratorem dare permittuntur: quia tunc fiunt domini litis. l. 11. C. h. t.

Excipiuntur Prælati, qui in bonis communibus, licet eorum domini non sint, sed tantum administrationem habeant, constituunt Procuratorem etiam ante litem contestatam, c. 6. de juram. calum. An autem, & quando ad hoc requiratur consensus Capituli? vide Panorm. ad cap. 21. n. 8. & 9. de Rescript. & Honor. ad h. t. n. 3.

Illud

- 15 Illud hic in *disquisitionem* venit: num Procurator Procuratorem substituere possit? Affirmo de Procuratore extrajudiciali. *c. 1. in fin. h. t. in 6.* nisi dominus nominatim prohibuerit demandare; vel nisi ex verborum conceptione, aut negotii commissi qualitate intelligatur, electam esse personam industriam. arg. *c. 12. de Officio Deleg. in 6.* quod toties videtur intelligi, quoties negotium commissum est valde arduum, ut est causa matrimonialis. *c. fin. h. t. in 6.* Nego de Procuratore judiciali nisi sit vel in rem suam datus; vel litem jam contestatus, & ita dominus litis effectus; vel potestas substituendi ei nominatim à principali concessa. *d. c. 1. §. licet h. t. in 6. l. 23. C. eod.*
- 16 Quares II. quinam Procuratores constitui possint? *scilicet* omnes mandati negotii exequenti capaces, nisi specialiter à jure prohibeantur Prohibentur verò specialiter procurare in judicio I. foemina: quia alienam defensionem suscipere munus virile est, nec sexui muliebri conveniens. *l. 18. C. h. t. Nisi vel in rem suam, vel in necessitate pro parentibus, liberis, aut deserto marito agere velint. l. 41. ff. Eod.*
- 17 II. Minores 25. annis saltem de Jure Canonico, ut disertè habetur in *c. 5. h. t. in 6.* ibi: licet autem quis post 17. annum procurator ad negotia licitè deputetur; ad judicia tamen, nisi major 25. annorum fuerit, deputari nequibit. Et meritò: tum ne propter beneficium restitutionis in integrum elusorium reddatur iudicium arg. *l. 51. ff. h. t.* tum quia, cum non habeant legitimam personam standi in judicio *l. 1. §. 2. C. qui legit. person. &c.* non censentur idonei ad alienas lites peragendas. III.
- 18 Absolutè prohibentur milites, nisi agant in rem suam, aut nomine cohortis suae; ne disciplina militaris sub umbra forensi diffuat. *l. 7.*
- 19 §. 9. *C. h. t. IV.* non sunt admittendi potentiores, hoc est, qui favore, opibus & autoritate partem adversam antecedunt; ne ejusdem jura per potentiam Patronorum supprimantur. *l. 1.*

C. ne liceat potentiorib. Unde nec actiones in illos alienare licet. *l. 2. C. Eod.* nec fiscus, vel Resp. procuratorum suscipere potest. *l. 3. §. 1. C. ne fiscus vel Resp.* V. excluduntur ban- niti, & rei criminis capitalis. *l. C. h. t. sicut & excommunicati, nisi sint tolerati. c. 7. de Judiciis VI.* Procuratores ad lites esse nequeunt notoriè infames. *c. 4. de Fur. am. calum c. 1. §. 2. causâ 3. q. 2.* Nec Officiis *§. fin. Infit. de Except.* utpote, qui de infamia dubia est accipiendus, sensu *§. cit.* resultante hoc: quòd si alicui Procuratori infamiae exceptio opponatur, eaque statim probari nequeat, quòd ob id non debeat retardari processus, sed quòd non attentâ illâ exceptione altioris indignis, sit in lite ulterius procedendum; id quòd etiam praxis præ primis in superioribus Dicastriis servat, ut scilicet semoveantur à procuratorio munere notoriè infames Gail. *1. Observ. 4. §. 8. VII.* Redemptores alienæ litis procuratores non permittuntur in lite redempta. *l. 25. C. h. t.* Quæ tamen constitutio locum non habet, si emptum sit debitum liquidum: vel si actio litigiosa verè & re ipsâ donata sit: vel si creditori nomen datum in solutum: vel si inter collegatarios, aut cohæredes cessio fiat in divisione hæreditatis; neque enim tunc propriè redemptio litis dicitur arg. *l. 22. C. Mandati VIII.* Denique omnes prohibentur qui non habeant personam standi in judicio, ut servus. *l. 33. ff. h. t.* Religiosus sine Superioris licentiâ. *Ch. 3. eod. &c.*

§. IV.

Materia seu Objectum aliud est Procuratoris extra judicialis, aliud Procuratoris judicialis. *Objectum* Procuratoris extrajudicialis sunt negotia gerenda extra iudicium, vel certa, vel universa. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* vel temporalia, vel spiritualia: nam etiam matrimonium per Procuratorem speciale ad id mandatum habentem contrahi posse, textus est in *c. fin. h. t. in 6.* *Objectum* Procuratoris judicialis sunt causæ

in iudicio controversa. Licet autem olim non nisi in certis causis per alium agere licuerit, *pr. Insti. de iis per quos agere poss.* hodie tamen in omni causa civili etiam famosa, v. g. injuriarum, & etiam criminali civiliter intentata, & amplius, etiam criminaliter intentata, per Procuratorem agere permissum est. *l. 1. §. 2. l. 42. §. 1. ff. b. t.* Imò in causis famosis expedit semper per Procuratorem litigare, ut evitetur infamia juris, quam alias incurreret per sententiam in persona propria condemnatus: nam tali casu sententia ferri debet in procuratorem, proinde ipse principalis per sententiam infamis non fit, quippe non condemnatus; neque etiam Procurator, quippe non condemnatus ex facto & delicto proprio. *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* Excipitur causa criminalis, si poena infligenda relegationem excedat, in qua neque ex parte rei, neque ex parte accusatoris procurator admititur. *l. 1. ff. an per alium causa appell. reddi poss.* Non ex parte rei: ne iudicium reddatur elusorium, si reus forte aufugeret: & quia ex pallore vultus, consternatione, mutatione loquelæ, & similibus saepe probationes desumi possunt. Non ex parte accusatoris: quia ad inscriptionem, ac talionem sive paritatem supplicii tenebatur ex Scto Turpilliano. *l. 7. ff. de Accus.* hinc sublata hac poena talionis in criminibus per Procuratorem proponi valet accusatio. *Constitutio crimin. Caroli V. a. 12.*

§. V.

26 *Forma* consideratur in mandato, quo Procurator constituitur: ex eo namque apparet, quantum potestatem habeat, & in quibus acta Procuratoris ratificet Principalis. Debet vero Procurator judicialis se à Domino constitutum docere, id est, procuratorium (uti vocant) proponere. Quod si liquidum sit, de rato cavere non tenetur. *l. 65. ff. b. t.* si illiquidum, cavere tenetur de rato. *l. 1. C. Eod.* si nullam, repellitur à limine iudicii. *c. 1. b. t.*

KÖNIG IN DECRET. LIB. I.

Sed hoc regulariter verum est: fallit siquidem I. in marito, qui sine ullo mandato procuratorio actiones uxoris in iudicio exercere potest, cum cautione tamen de rato: ne terminæ prosequendæ litis causâ in contumeliam matrimonialis pudoris irreverenter irruant, & conventibus virorum, vel iudiciis interesse cogantur. *Textus in l. 21. C. b. t.* Fallit II. in aliis quoque personis conjunctis; quales sunt Parentes, liberi, fratres, consanguinei &c. quia & hæc absque mandato, cum cautione tamen de rato, pro se invicem agere possunt. *l. 35. l. 41. ff. b. t. junctâ l. 12. C. Eod.* Quod ipsis concessum videtur tum propter officium his personis invicem debitum, tum ob præsumptam fidelitatem. Fallit III. in consortibus; qui pariter pro se invicem sine mandato procurare possunt in iudicio per text. *in l. 2. C. de Consortib. ejusd. lit.*

Disputant Canonistæ: an Clericus respectu suæ Ecclesiæ dici possit persona conjuncta, & consequenter ad agendum pro sua Ecclesiâ sine mandato admitti debeat? Affirmat Glossa *in c. 1. b. t. arg. c. non liceat. causâ 12. q. 2.* in quo omnibus Clericis datur potestas sine mandato reposcendi bona alienata à Prælato, & unâ cum fructibus ad Ecclesiam revocandi. Verum cum Canon ille tantum loquatur de revocatione malè alienatorum, ideo alii cum Panormit. *ibid.* rectius respondent, admitti quidem Clericum, sit ita causa exigat, ad procurandum, non tamen ut conjunctam personam sed cum legitimo mandato.

§. VI.

Finitis, ob quem Procurator constituitur, est, 27 ut quia Domini rebus suis superesse nolunt, vel nequeunt, eorum negotia tum judicialia: tum extra judicialia per alios idoneos expendantur, arg. *l. 1. §. usus. ff. b. t.*

§. VII.

Effectus procurationis mandatæ, & susce- 28 ptæ varii occurrunt. *Primum* est, quòd Procura-

- curator, qui suscepit litem, aut negotium demandatum, & tractare incepit, etiam invitus absolvere & exequi cogatur, nisi iustissimâ causâ se excusare possit. l. 8. §. fin. l. 35. §. fin. ff. h. t. l. 5. §. 1. l. 8. §. 6. ff. Mandati. Hinc
- 29 *Secundus* effectus est, quod Procurator judicialis teneatur à sententia interlocutoria appellare, eamque appellationem prosequi, cum tunc necdum substantia finita sit; à sententia definitiva autem non teneatur appellare, sed vel appellare, vel domino ante elapsum decendum sententiam latam denunciare: aliàs obligabitur Domino actione mandati ad interesse, licet appellationem prosequi non cogatur. l. 14. & ibi Interpp. h. t. l. 17. C. Eod. nisi esset constitutus generaliter ad omnes causas, tam presentes, quam futuras. Panorm. in d. c. 14. n. 13.
- 30 *Tertius* est, quod Procurator judicialis post litis contestationem fiat Dominus litis, & omnia agere bonâ fide possit, quæ Dominus facere posset, l. 22. & 23. C. h. t. Unde ipse ad omnes actus vocari debet, non Dominus. Mynsing. cent. 2. observ. 44. Ipse quoque sententiam excipit, saltem de Jure communi loquendo. l. 1. C. de sentent. & interlocut. Quamvis teste Gail. 1. observ. 11. n. 2. & 3. de consuetudine & praxi Cameræ sententiæ non amplius in Procuratorem, sed in principalem ferantur, exceptis causis famosis.
- 31 *Quartus* est, quod Procuratoris factum Domino profit, & noceat. l. 46. §. 4. ff. h. t. l. 10. C. Eod. quia ab eo gestum quasi à Domino gestum habetur, quatenus mandati fines non excessit, non etiam, si quid extra fines mandati gerat. l. 27. pr. l. 49. ff. h. t. & ibi Zoëf. n. 18. & seq. quem vide.
- 32 *Quintus* denique effectus est actio mandati directa, & contraria, quæ ex obligatione inter Dominum & Procuratorem contractâ proficiscitur. *Directa* datur Domino mandanti, ejusque hæredi, contra Procuratorem & ejus

hæredem ad consequendum id, quod illis interest ratione mandati negotii, aut litis neglectæ, vel non exactissimè administratæ. l. 13. & 21. C. Mandati. *Contraria* datur Procuratori & ejus hæredi contra Dominum, & ejus hæredem ad consequendum id, quod ex causa mandati bona fide præstitit, & impendit. l. 46. §. 5. & 6. ff. h. t. & ad resarcienda damna dolo, vel culpâ etiam levissimâ mandantis datur. l. 61. ff. de furtis. junctâ l. 5. §. 2. ff. commodat.

TITULUS XXXIX,

De Syndico.

SUMMARIA.

1. *Quid sit Syndicus?*
2. *Syndicus à quo constituatur.* 3. *Et quis, ac quibus constitui possit?*
4. *In quibus causis, quomodo, & ob quem finem constitui debeat?*
5. *Quæ sit potestas Syndici?*
6. *Quomodo differat Syndicus à Procuratore, à Administratore, & Oeconomo universitatis?*
7. *Qualiter finiatur officium Syndici, & an solus ab his revocare possit?*

Tertio inter personas, quæ alienas causas suscipiunt, est Syndicus.

§. I.

Definitur Syndicus, quod sit Procurator, qui communi mandato causas & lites Universitatis prosequitur, & administrat. Colligitur ex l. 1. §. 1. ff. Quod cujusque universi. nom.

§. II.

Causa efficiens est commune mandatum Universitatis, quo Syndicus constituitur. Intelligitur autem hic nomine Universitatis omnis communitas unum moraliter constituens, v. g. Civitas, Monasterium, Collegium Clericorum, Studiosorum, Civium, vel Opificum. Consensus constituti non exigitur: quia officium Syndici est publicum, adeoque etiam invitis imponi potest. arguitur ff. de Munerib. & honorib.

Quæres I. Utrum omnes de communitate concurrere debeant in constitutione syndici? **R.** omnes quidem de communitate, qui jus suffragii habent, convocandos esse, arg. *c. quod omnes tangit. 29. de R. J. in 6.* Si tamen aliqui vocati se absentent, de Jure communi posse præsentem Syndicum constituere, modò duæ partes ex tribus de universitate sint præsentem, & major pars præsentium consentiat. *l. 3. & 4. ff. Quod cuiusque universit. nom. junctâ l. 19. ff. Ad municipal. & c. 1. de his, qua fiunt à majore parte Capit.* Verùm de consuetudine in numerosis præsertim communitatibus, tantum præcipui quidam conveniunt. v. g. Senatus Civitatis; imò alicubi etiam Princeps, vel alius jus constituendi Syndicum speciali jure sibi vendicat; ut ita hujus quæstionis decisio ex diversis locorum consuetudinibus & particularibus statutis desumenda sit. *P. Engl. b. t. n. 4.*

Quæres II. an universitas, cujus Majores, Rectores, vel jurati excommunicati sunt, ad agendum syndicum, vel procuratorem constituere possit? **R.** breviter, quòd hoc nomine Universitatis possint reliqui de Universitate, qui non sunt excommunicati; modò in literis procuratoriis non exprimantur ipsi excommunicati, neque etiam ipsorum autoritate Procuratoris constitutio fiat, per text. *in c. fin. de Procuratorib.* Dixi autem notanter: *ad agendum:* quia in constitutione procuratoris ad defendendum etiam excommunicatos concurrere posse, manifestum est ex *c. 7. de Judiciis.*

Quæres III. Quis, ac qualis ab Universitate Syndicus constituendus sit? **R.** consuevit posse ferè omnem, qui postulare, aut procuratorem agere potest. Neque refert, an sit de universitate, à qua Syndicus deputatur, an extraneus. *Pirrhing. b. t. n. 4.* In Monasteriis tamen potius extraneus est accipiendus, quam Religiosus, quem à fori strepitu abstinere, & à Divinis non avocari convenit. *c. un. h. t.*

Quòd si tamen extraneus satis idoneus haberi nequeat, vel aliàs notabile aliquod damnum, vel periculum Monasterio immineret, nil obstat, quin, sicut alii Clerici suarum Ecclesiarum, ita etiam Religiosi cum licentia sui Abbatis Syndici Monasterii constituentur, arg. *c. Monachi. 35. causâ 15. q. 1. Panormit. in d. c. un. n. 4.* Planè in particulari aliqua causa actorem, vel procuratorem cum licentia Abbatis absolute deputari posse Religiosum, aperte deciditur in *Clem. 3. de Procuratorib.*

§. III.

Obiectum Syndici sunt causæ Universitatis, præsentem & futuram, tam civiles, quam criminales: etsi enim in criminalibus universim procurator non admittatur, juxta *l. 1. ff. An per alium causa appell. reddi poss.* Universitas tamen, cum ipsa ut privatus accusator & reus in judicio comparere nequeat, per Syndicum rectè etiam in criminalibus defenditur, agitque. arg. *l. 27. §. fin. ff. de Peculio & l. 5. §. 7. ff. Judicatum solvi.*

§. IV.

Forma spectatur in mandato & decreto universitatis, quo Syndicus constituitur, & in instrumento syndicatus, quod secundum Speculatorem *b. t.* continere debet, quis syndicum constituat: quis constituatur: ad quas causas & lites, contra quos, denique quo modo & quare constitutus sit. Illum autem necessarium non est, ut in eo subscribantur nomina singulorum consentientium, præsertim in numerosa universitate, sed sufficit, si de legitimo universitatis consensu mentio fiat, & ipsum instrumentum ejusdem sigillo muniat. *Pirrhing. b. t. n. 2. Panormit. ad d. c. un. b. t. n. 9.*

§. V.

Finis, ob quem Syndicus constituitur, est necessitas, & utilitas. tum universitatis, tum etiam eorum, quibus lis cum eadem intercedit, quoniam Universitas neque agere, neque uti-
C c 2 liter

liter conveniri potest, nisi communi nomine pro se aliquam personam, seu Syndicum constituat. l. 1. §. 1. ff. *Quod cuiusq; univers. nom.*

§. VI.

5 *Effectus est I.* quòd Syndicus accepto instrumento syndicatùs obtineat parem potestatem, quàm Procurator. l. item 6. §. fin. ff. *Quod cuiusq; univers. nom.* imò omnia expedire possit, quæ aliàs speciale mandatum exigent: quia censetur constitutus cum libera, & ampla potestate, etsi id in instrumento non fuisset expressum. Gail. l. 2. observ. 72. n. 11.

Alter effectus est, quòd Syndicus non teneatur cavere de rato, nisi probabiliter dubitetur de mandato. d. l. item 6. §. fin. nec cogatur satisfacere, iudicatum solvi; cum publicâ authoritate constitutus sit, sicut Tutor, ut notat Gloss. in d. l. item 6. V. rana.

§. VII.

6 *Affinis* Syndico est Procurator, Universitatis actor, Administrator, & Oeconomus. Differt tamen ab his: à Procuratore, quòd hic causas privatorum, Syndicus verò Universitatis prosequatur; ab Actore, quòd & hic quidem ab universitate, sed non nisi ad causam, vel causas præsentis tantum, Syndicus verò tam ad præsentis, quàm futuras ab eadem detur; ab Administratore, quòd hic præsit pecuniæ, curamque rerum, ac negotiorum extrajudicialium demandatam habeat, syndicus verò in litibus persequendis occupetur; denique ab Oeconomus, quòd hic sit dispensator Ecclesiæ, cui administratio rerum Ecclesiasticarum, spiritualium & temporalium committitur; ut consequenter laicus esse nequeat, arg. c. *iudicatum*. 35. dist. 89. & c. *in nova*. 22. causa 16. q. 7. quòd Syndico non competit, potestque laicus esse syndicus in causis etiam spiritualibus, quia non exercet munus propriè spirituale juxta c. 1. de *Procuratorib.* in 6.

§. VIII.

7 *Contraria sunt modi,* quibus Officium syn-

dici finitur. Finitur autem iisdem fermè modis, quibus officium Procuratoris. d. l. item 6. in fine ff. *Quod cuiusque univers. nom.* nisi quòd morte constitutum non cesset, eò quòd communitas semper permanere censetur, per l. 7. §. 2. ff. *Eod.*

Dubium connexum est, an solus Abbas syndicum cum consensu Capituli constitutum revocare possit? Affirmo cum Panorm. l. 1. n. 6. quia Prælatus Ecclesiasticus etiam habens syndicum solus potest agere causas sui Monasterii; cum eidem per electionem plena administratio sit tributa. c. *edocebit*. 21. de *Rescript.* Neque obstat, quòd cum consensu Capituli fuerit constitutus, & contentus iste, si non de consuetudine, saltem de Jure, communi videatur necessarius ad constituendum syndicum. Siquidem diversa ratio est in constitutione, & revocatione syndici: nam in constitutione agitur de particulari & proximo Capituli præjudicio, cum in certis casibus syndicus ei nocere, illudque obligare possit: at verò per revocationem nullum vertitur Capituli præjudicium, eò quòd Abbas syndicum habere non teneatur, ut dictum, sed possit per se omnia administrare, & in se actionem assumere.

TITULUS XL.

De his, quæ vi, metusve causâ fiunt.

SUMMARIA.

1. *Metus definitio.*
2. 3. *Et divisio.*
4. *Conditiones metus gravis,*
5. *Et seqq. Quid metus operetur?*

Vidimus de Pactis, Transactionibus, & Mandatis procuratorum, quæ sponte agimus; nunc videamus de iis, quæ vi, metusve causâ fiunt.

§. I.

Definitur Metus juxta Ulp. in l. 1. ff. Quæ

metûs causâ. Quod sit instantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. Adeo quæ metu id fieri dicitur, quod quis mali declinandi causâ facit, alioquin non facturus. Vis autem juxta Paulum in l. 2. ff. Eod. est majoris rei impetus, qui repelli non potest. Rectè: quia quamvis subinde, uti hic, unum pro altero accipiatur, vis tamen propriè intelligitur, quando externum agens necessitatem voluntati contrariam alicui invito imponit, omnemque ejus consensum excludit; ut si cui per violentiam incurrentur genua ad idolum adorandum; metu verò gesta voluntaria sunt, cum in agentis optione sit, fierine debeant, nec ne? unde dicitur: voluntas coacta, voluntas est. l. 2. §. 1. ff. *Quod metûs causâ. c. 5. & ibi Layman. h. t.*

§. II.

1 *Dividitur* metus I. in eum, qui ab intrinseco provenit, scilicet à causâ naturali, vel infortunio, ut morbo, tempestate, feris animalibus, naufragio, & similibus; & in eum, qui incutitur à causa extrinseca libera creata, scilicet ab homine. Quod dupliciter fieri potest, nempe justè, & injustè. Justè quidem ab eo, qui jus inferendi talem metum habet, ut si Judex per incarcerationem, aut alias poenas compellat nolentem implere contractum, Injustè, si injuriosè, & directè ab aliquo metus inferatur ad actionem aliquam extorquendam, ut si latro tibi mortem intentet, nisi pecuniam des, aut promittas: si privatus mortem minetur, nisi filiam suam uxorem ducas, &c.

2 II. *Dividitur* metus, præsertim qui ab extrinseco injustè incusus est, in gravem, & levem. Metus gravis, seu (ut alii loquuntur) metus justus, probabilis, aut cadens in constantem virum est timor majoris mali. l. 5. ff. *Quod metûs causâ.* Qualis est metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, violenti stupri, gravis

infamiae, amissionis status honorifici; amissionis omnium bonorum, vel notabilis partis, excommunicationis injustæ, & ejusmodi. l. 3. 4. 7. 8. & 9. ff. Eod. Metus levis, vanus, injustus, seu improbabilis est, qui non in constantem, sed abjectum, vecordemque hominem cadit, qui facillè movetur, & non timenda timet. Talis est metus reverentialis per l. 22. ff. de Rit. nupt. metus infamiae levis, vel alicujus vexationis, &c. d. l. 7. pr. ff. *Quod metûs causâ.*

4 Porro quia sæpillimè incidit mentio de metu gravi, non erit abs re, indicare, quæ conditiones ad illum requirantur. *Prima* est, ut malum, quod timetur, sit ex se magnum & grave. l. 5. ff. *Quod metûs causâ.* *Secunda*, ut metuens non vanè & leviter credat, malum sibi imminere, sed rationabiliter existimet, illud eventurum. l. 7. §. proinde. ff. Eod. quia vani & meticulosi hominis est, timere ex levibus conjecturis, aut rationibus. *Tertia*, ut metum incutiens potens sit revera malum exequi, quod minatur, vel saltem prudenter existimetur, posse exequi: quia non est viri fortis & constantis terreri minis hominis senis, debilis, aut inermis, si ipse alioquin sit juvenis, fortis, ac armatus, &, ut dicitur in l. famosi. §. 3. ff. *Ad leg. Jul. Maj.* semper periona spectanda est, an potuerit facere. *Quarta* est, ut præterea, qui metum, aut minas incutit, solitus sit, eas exequi, non autem illas inaniter jactet, & irâ illicò sopitâ parùm aut nihil opere compleat: nam *metum non jactationibus vel conestationibus: sed atrocitate facti probari* convenit. l. 9. C. h. t. *Quinta*, ut metus incutiat vel propriæ personæ, vel alteri valde conjunctæ, puta uxori, liberis, parentibus. l. 8. §. ult. ff. *Quod metûs causâ.* *Sexta*, ut qui patitur metum, non possit facillè malis occurrere, quæ metum faciens comminatur v. g. monendo, aut superiorem consulendo, vel implorando auxilium alterius: viri siquidem constantis non est,

est, sed ignavi, ac timidi, ea timere, quæ facili negotio possunt vitari: nec dignus est excusatione, qui illa non vitat.

Planè hæc conditiones non absolute, & eodem modo in omnibus, qui metum gravem pati dicuntur, considerari debent, sed respectivè & habitâ ratione ad qualitates, & statum cujusque: utique enim non eadem magnitudo & gravitas mali, neque eadem certitudo & probabilitas, quòd tale malum immineat, & eventurum sit, requiritur ad hoc, ut metus sit gravis v. g. in foemina, vel puero, aut in sene, quæ requiritur in viro firmatæ ætatis ac roboris. *Glossa in c. cum locum V. metus. de Sponsalib. Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 3.*

§. III.

5 *Effectus Metus* est vel nullitas actus gesti, vel actio, aut exceptio quod metus causâ. Ubi examinandum est, an, & in quantum valeant, adeoque servanda sint, quæ metu gerimus. Proinde

Dico I. Spectando jus Naturæ metu etiam gravi & injusto gesta valent: quia si essent irrita, vel id proveniret ex defectu consensûs, vel ex injuria per metum injustum illata? Non ex defectu consensûs: quia metus non tollit consensum, & voluntarium simpliciter, cum etiam coacta voluntas sit voluntas. *l. 21. ff. Quod metus causâ S. T. 1. 2. q. 6. a. 6.* Neque ratione injuriæ: quia injuria non est causa immediata actus, sed consensûs agentis, qui subsistit simul cum injuria. Ergò Excipiunt aliqui actus, qui postquam semel validi fuerunt, amplius rescindi non possunt, ut sunt Matrimonium, & Professio religiosa, illòsque metu injusto gravi initos contendunt, ipso jure naturæ esse irritos, an rectè? alibi discutietur.

6 *Dico II.* Gesta ex metu ab intrinseco, aut ab extrinseco, sed justè incusso omni jure subsistunt, nec irritari possunt. *Sanchez l. 4. de Matrim. disp. 9.* Et quidem quòd gesta ex tali metu valeant, inde constat, quòd metus non

tollat voluntarium: quòd verò irritari nequeant, ratio est: quia unica radix, ex qua metu gesta rescinduntur, est injuria per metum illata. Hinc valet votum, quòd metu naufragii aut periculosi morbi concepisti: & matrimonium, quod post contracta sponsalia metu intentatæ excommunicationis, vel morte plectendus ex justitia, cum meretrice, ut alicubi mos est, contraxisti, arg. *c. 10. de Sponsalib.*

Dico III. Gesta ex metu levi injusto jure quoque positivo valent, nec ulla hujus metus ratio in foro externo habetur: hoc ipso enim, quòd levis sit, ab homine constane contemnendum debet. *l. 6. ff. Quod metus causâ. l. 13. ff. de Rejudic. l. 184. ff. de R. J.* Quamvis in foro conscientie etiam levi metu extorta restituentia sint; modò talis metus revera fuerit causa, sine qua aliàs res data non fuisset: hoc quippe natura justitiæ exigit, quæ in proposito calu immutata non fuit: nec etiam talis metus à legibus approbatur, sed tantum in foro externo nulla actio concessa est propter diminuendas lites, ut pluribus docuit *Sanchez. d. l. 4. c. 9. n. 4.*

Dico IV. Etiam gesta ex metu gravi injusto jure positivo regulariter tenent, ita tamen ut irritari possint. Probatatur satis ex *c. 2. & 4. h. t. l. ult. C. Eod. l. 1. l. 24. §. 1. ff. Quod metus causâ* in quibus adversus metum conceditur restitutio, quæ est remedium actum summo jure validum rescindens; quod enim validum non est, rescindi non potest; ergo omnes textus supponunt actum metu factum non esse irritum, sed irritabilem. Quando itaque actus metu gestus irritus & nullius momenti dicitur, ut *in l. penult. ff. Quod metus causâ. & in l. 1. C. de Rescind. vend.* dicitur talis non quoad substantiam, sed tantum quoad effectum, inspecto scilicet eventu restitutionis, si metum passus velit rescindere. Quod addo: quia jura infirmando hujusmodi actus

procul dubio voluerunt favere innocenti læso; magis verò per se loquendo favent, si non simpliciter irritent, sed ad instantiam jubeant rescindi: quia is expostfacto potest gaudere de contractu metu inito. Haunold. de F. & J. tom. 3. tit. 8. c. 2. controu. 2. n. 125.

Dixi autem: regulariter ipso jure valere per metum gesta: quædam enim, si metu gravi fiant, sunt ipso jure nulla; ut sunt I. matrimonium arg. c. 2. de eo, qui duxit &c. & valde probabiliter etiam sponsalia de futuro per c. ex literis de Despons. impub. II. Professio Religiosa. c. 1. h. t. quod etiam ad votum simplex extendit Glossa in c. 2. Eod. Azor. Inst. moral. tom. 3. l. 6. c. 7. III. Aliqui excipiunt promissionem dotis per l. 21. §. si dos. ff. Quod metus causâ, interpositionem auctoritatis tutoris per l. 1. §. 1. ff. de Auctor. Tutor. prorogationem jurisdictionis per l. 2. in pr. ff. de Judiciis absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdico per c. un. h. t. in 6. Electionem Prælatorum per c. 14. de Elect. & c. 3. §. ceterum Eod. in 6. testamentum, Procuratoris constitutionem, pronuntiationem sententiæ, alienationem rei Ecclesiasticæ, manumissionem &c. Vallenf. h. t. n. 7. De quarum tamen exceptionum veritate, ac valore cum aliis non immerito dubitaveris.

10 Dico V. Ex metu gravi injusto datur metum passo exceptio, aut actio Prætoria; quæ vocatur, quod metus causâ. Nempe re adhuc integrâ, & si nihil datum est, sed tantum promissum, contra petentem competit exceptio, l. 1. ff. de Dol. mali, & metus excepti. Re verò non integrâ, & si metus causâ quid datum est, actio competit, quâ metum passus, ejusq; hæredes agere possunt, non tantum contra illos, qui metum intulerunt, sed contra quoscumque rei metu extortæ possessores, intra annum à tempore metus illati (casu quo Adversarius Judicis sententiæ non obtemperavit) in quadruplum, post annum autem in simplum.

l. 14. §. 1. & 3. ff. Quod metus causâ. §. 27. & ibi. Interpp. Inst. de Actionib.



TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

SUMMARIA.

1. 2. Quid sit restitutio in integrum. 3. Et à quo concedatur?
4. Usque 8. Datur regulariter omni minori. 8. Ecclesia. 9. Reip. 10. Et majoribus ex justa causa.
11. Quando alius pro alio petere possit restitutionem?
12. Usque 21. In quibus causis, vel negotiis admittatur?
21. Coram quo Judice. 22. Et intra quod tempus peti debeat?
23. Restitutio non conceditur, nisi causâ cogitâ.
24. Finis restitutionis in integrum.
25. Pendente restitutione nihil innovandum.
26. Et obtentâ redintegratur pristinum jus.

Post restitutionem adversus gesta per metum modò expendamus restitutionem in integrum in genere.

§. I.

Definitur Restitutio in integrum: quòd sit remedium extraordinarium, Prætorium, quò læsi in eum statum, in quo ante læsionem fuerunt, justa & probabili de causa per officium Judicis reducuntur. Colligitur ex l. 1. & seq. ff. h. t.

Dicitur remedium extraordinarium: quippe ad quod non devenitur, nisi deficiente remedio ordinario. l. 16. ff. de Minoribus. Limita: nisi hoc remedium extraordinarium sit pinguius, quàm ordinarium, arg. l. 3. §. 1. ff. Nauta, campones, stabularii &c.

§. II.

Causa efficiens Restitutionis in integrum est vel remota, vel proxima. Remota est editum Prætorium: ex hoc enim omnis restitutio in integrum descendit. l. 1. l. 3. & passim ff. h. t. Proxima est Judex restituens. Potest

autem jure novo, & nostris moribus quilibet ordinarius Magistratus restituere. *l. fin. C. ubi & apud quem.* Quoad delegatum distinguendum est: aut sermo est de delegato à Principe, & sine dubio potest restituere. *d. l. fin.* aut de delegato à Judice inferiore; & iste potest restituere solum incidenter, non verò principaliter, nisi specialiter causa restitutionis ei commissa sit, vel delegatus sit ad universitatem causarum. *c. 9. & ibi DD. h. t.*

§. III.

4. *Subjectum* Restitutionis in integrum sunt illi, quibus ex justa causa indulgetur. Quibus autem indulgetur, indicat *l. 1. & 2. ff. h. t. ibi: Prætor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subvenit: sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderint in captionem, sive per statûs mutationem, aut justu errorem.*

5. I. Igitur ob ætatis fragilitatem restitutio conceditur minori 25. annis, si vel Curatorem non habeat, vel interveniente ejusdem consensu læsus sit, in aut extra judicium: ita quidem, ut toto quadriennio post exactum 25. annum, nempe usque ad annum 29. completum hoc remedium implorare possit. *l. 1. ff. de Minorib. c. 8. h. t.*

6. Reperias tamen casus, quibus minor læsus non restituitur. *Primus* est, si minor major factus ratum habuerit, quod cum eo in minorennitate gestum est, quia talis actus à majori gestus esse censetur. *l. 3. §. 1. ff. de Minoribus l. 1. & 2. C. Si major factus ratum habeat.* *Secundus* est, si minor falsò se majorem dixerit: quia jura deceptis succurrunt, non decipientibus. *l. 2. & 3. C. Si minor se majorem.* *Tertius*, si minor impetraverit veniam ætatis, quæ masculis anno 20. foeminis verò anno 18. completo concedi solet. *l. 2. C. de his, qui veniam ætatis.* *Quartus*, si minor actum juramento firmaverit, propter religionem juramenti. *l. 1. & auth. Sacramenta C. Si adversus vendit.* *Quintus* est, si minor minorem

læserit. *l. 1. §. penult. ff. de Minorib.* Ratio fundatur in decantata regula, quòd privilegiatus contra æquè privilegiatum non gaudet privilegio. Secus est, si alteruter pinguius privilegium habeat, ut puta, si alteruter tantum læsus sit, & hic de lucro captando, alter verò de damno vitando certet. Et ita accipienda est *l. 34. ff. Eod. Sexius* est, si minor huic beneficio juramento renuntiaverit citra dolum adversarii. Carpz. quem laudat & sequitur Eckolt. *ad ff. de Minorib. §. 7.* cum plures alios casus exceptos refert, quos facile ex dicendis colliges.

Dubitatur: an Minor, Doctor Juris, læsus restituatur? Negant plures apud Gonzal. *ad c. 1. h. t. n. 1.* Affirmat Fachin. 3. *contro. c. 5.* Ego distinguo: an læsus sit errore facti, an juris? Si prius, erit restituendus: quia læta etiam prudentissimos possunt fallere. *l. 2. ff. de juris & facti ignorantia.* Si posterius, restitutus non erit: quia allegans ignorantiam juris propriam allegaret turpitudinem. *l. 9. §. 3. ff. Eod. adeoq; ipsi credendū non foret.*

II. Restitutio in integrum ad exemplum minorum datur Ecclesiis ex quacunque causa notabiliter læsis. *c. 1. & ibi DD. h. t. c. 1. Eod. in 6.* Ratio est. tum quia magnus & publicus est Ecclesiæ favor, tum quia etiam rebus Ecclesiæ administratores præficiuntur, sicut pupillis tutores, minoribus curatores. Licet verò Ecclesiæ nomine hoc loco veniant generaliter omnes Ecclesiæ, tam superiores, quam inferiores; item Monasteria, Hospitalia, aliisque loca pia ob identitatem rationis. arg. *l. 1. §. C. de Episc. & Cler.* ipsæ tamen persone Ecclesiasticæ non comprehenduntur quoad propria bona, ac proinde, etsi in illis lædantur, non tamen eis competit restitutio. Covarr. *V. R. l. 1. c. 4. n. 3.* Panorm. *in d. c. 1. n. 15. h. t.*

III. Jure minorum quoque beneficium restitutionis tribui solet Reipublicæ. *l. 4. C. quibus ex causis majores. l. 3. C. de Jure Reipublicæ.* Quod

Quod non de Romana tantum, sed etiam de aliis Rebus publicis, & civitatibus maximè Imperialibus hodie procedit, ut probat Gonzal. ubi supra n. 11. contra Gloss. in d. l. 4. V. Republica. per jura allegata, quæ generaliter Reipub. restitutionem in integrum indulgent. Imò ad castra quoque, villas, & vicos (quæ civitatibus æquiparantur. l. 73. §. 1. ff. de Leg. 1.) extenditur; dummodo tamen Jurisdictionem, seu subditos habeant, sive per syndicos & administratores regantur. Gail. l. 4. Obs. 62.

10 IV. Datur restitutio subinde majoribus graviter læsis, modò præter læsionem etiam justam causam probent, ut est dolus, metus gravis, absentia justa, vel saltem involuntaria, & denique quælibet causa comprehensa sub generali clausula edicti Prætorii: *si qua alia nisi justa causa esse videbitur*. l. 1. ff. ex quibus causis suajores. Ad quam clausulam recurrendum, quotiescunque æquitas restitutionem suggerit, eò quòd singulariter omnes casus enumerari non potuerint. l. 26. §. 9. ff. eod.

11 Cæterum hic breviter noto, quòd restitutio petenda sit ab eo, qui læsus est. Procurator non audietur, nisi mandatum speciale, aut cum libera (quòd mandatum æquiparatur speciali c. 4. de Procurat. in 6.) habeat. c. 7. & ibi. Panorm. n. 4. h. t. Mandatum generale non sufficit. l. 25. §. 1. ff. de Minoribus. id quòd obtinet etiam si conjuncta persona sit, quæ aliàs citra mandatum admittitur; excepto tamen patre per textum l. 27. pr. ff. de Minoribus. Item exceptis tutoribus, curatoribus, Prælatiis & cæteris administratoribus, qui pro illis, quorum bona administrant, etiam sine mandato speciali restitutionem petere possunt. Innocent. Panormit. aliique ad c. 6. h. t.

§. IV.

12 *Materia seu objectum* Restitutionis in integrum est actus, seu negotium civile, aliquo modo validum, & rescindibile, in quo, & ex quo læsus restituitur.

Dicitur I. *negotium civile*: in criminalibus enim & delictis restitutio denegatur: quia malos mores infirmitas animi non excusat. l. 1. C. Si adversus delicta. Hinc si minor dolo aliquid fecerit in re v. g. deposita, commodata, vel in quolibet alio contractu, tunc ei non subvenietur, sicuti nec si furtum commiserit, & in duplum, aut quadruplum condemnatur. l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. ff. de Minoribus. Hoc tamen ad Ecclesiarum administratores minimè extendendum est: delictum namque personæ non debet in detrimentum Ecclesia redundare. c. 76. de R. F. in 6. Panorm. in c. 3. n. 15. h. t.

Quæstio connexa est, an minor restituatur contra suam confessionem; ut si de crimine adulterii accusatus illud fateatur? Sunt, qui affirmant. Sed rectius negat Fachin. l. 1. q. controvers. 72. per l. 37. ff. de Minoribus. eò quòd contraria dicenti non sit credendum, Limita: nisi in continenti ostendat, se ex metu, aut præcipitantia juvenli falsum dixisse, tunc enim restituendus est. l. 6. §. 5. ff. de Confessis. & l. 1. §. si quis ultro. 27. ff. de Quest.

Dicitur II. *Aliquo modo validum*: nam si nullum est non potest per restitutionem rescindi. l. 2. & 4. C. in quibus causis in integ. rest. neces. non est. Unde si minor lædatur ex contractu inito sine auctore curatore, aut ex alienatione rei immobilis sine decreto Judicis, ei per restitutionem non succurritur: quia dum habetur remedium ordinarium nullitatis, ista tanquam extraordinarium locum non habet per l. 16. ff. de Minoribus.

Dicitur III. *Et rescindibile*: etenim si rescindi nequeat, restitutionem non admittit. Hinc primò non datur restitutio in causa manumissionis contra datam libertatem, vel sententiam pro libertate latam, nisi fortè ex magna causa à Principe concedatur. l. 9. §. fin. l. 10. ff. de Minoribus. t. t. C. Si adversus libertatem. Ratio est favor libertatis, cuius causa præ omnibus est valde favorabilis.

- 17 *Secundo* denegatur restitutio in matrimonio, etiamsi erratum magnopere sit circa fortunam, & qualitates personæ: cum semel validè contractum sit indissolubile. Covarruv. *V.R. l. i. c. 5. n. 1.* Diversum procedere existimem in sponsalibus, contractu dotali, aliisque quibusdam pactis, quæ ad matrimonii substantiam non spectant, utpote quæ ex rationabili causa dissolvi possint. *Tertià* non conceditur restitutio in matrimonio spirituali id est, in Professione religiosa: professio siquidem semel valida instar matrimonii carnalis est indissolubilis. Sanchez de *Matrimonio l. 7. disp. 37. n. 21. & 22.* Dico: *semel valida*: quia si error intervenerit circa substantiam, aut ex metu gravi facta sit, irrita est professio. *cap. 1. & ibi Barbof. de his qua vi, metusve causâ.* Verùm ut taliter professus audiatur, intra quinquennium à die professionis computandum has causas nullitatis coram Ordinario oportet proponere. *Trid. sess. 25. de Regul. c. 19.*
- 18 *Quartò* cessat restitutio in statu Clericali, & SS. Ordinibus semel susceptis: tum quia character ordinis est indelebilis: tum quia in susceptione ordinum læsio esse non intelligitur: tum etiam quia, si queratur restitutio, videretur dari contra DEUM quod à recta ratione alienum *arg. c. sine causâ 22. q. 3. & c. 14. de Convers. Conjug.*
- 20 Dicitur IV. *in quo, & ex quo læsus restituitur*: ut autem restituatur, non sufficit, qualiscunque læsio minima. *l. 4. & 9. ff. de Minoribus.* sed debet esse notabilis, sive infra sive supra dimidium: quoniam de minimis, ut dici solet, non curat Prætor, à quo hoc beneficium provenit. Præterea non sufficit læsionem quocunque modo contigisse, sed necesse est, ut vel culpa aliqua adversarii saltem præsumpta, vel inconsulta facilitas læsi, vel ejusdem administratoris negligentia aut ignorantia intervenerint; nam si præcisè casu aliquo fortuito damnum acciderit, v.g. res

empta incendio absumpta, aut furto ablata sit, tunc ipsâ æquitate dictante restitutio non procedit; alioquin cum minore vel Ecclesia contrahens nunquam securus esse possit, quameunque adhiberet diligentiam. *l. 11. §. 4. ff. de Minoribus.*

§. IV.

Forma restitutionis stat in modo eam petendi, & indulgendi.

Ut ritè petatur, duo observanda sunt. I. ut petatur à Judice competente illius, contra quem petitur: in hoc enim casu petens est actor, qui sequitur forum rei. *l. 2. & fin. C. ubi & apud quem & c.* Ideòque si Clericus contra Laicum circa res proprias, seu bona patrimonialia in integrum restitui velit, Judicem Laicum adibit. Covar. *d. l. 1. c. 4. n. 3.* Ecclesia tamen, vel Clericus in bonis Ecclesiæ potest contra Laicum restitutionem in integrum petere etiam coram Judice Ecclesiastico. *c. 1. h. t. c. penult. de rebus Eccles. non alienandis.* quia Ecclesia agit ex proprio & speciali privilegio rebus Ecclesiæ concessis, & ita titulus petendi est Ecclesiasticus, ac exemptus. II. ut petatur tempore legitimo, quod olim ex edicto Prætoris erat annus utilis. *l. 19. ff. de Minoribus.* postea verò ob difficultatem dierum utilium computationem à Justiniano in quadriennium continuum translatum est. *l. fin. C. de Temporibus in integr. restituit.*

Currit autem hoc quadriennium Minori die elapsæ minorennitatis, hoc est, à primo die anni 26. usque ad extremum diem anni 29. *d. l. fin.* aut si veniam ætatis impetraverit, à die insinuationis. *l. 5. C. Eod. Ecclesiæ, Civitati, & aliis Jure Minorum utentibus currit à die factæ & innotescantis læsionis. per c. 1. & 2. h. t. in 6.* Majoribus currit à tempore cessantis impedimenti, puta absentia vel captivitatis. *l. 1. & l. fin. C. de Temporibus in integr. restituit.* Excipitur restitutio ex causa metus & doli; illa enim anno. *l. 14. §. 1.*

§. 1. ff. *Quod metus causa*; hæc biennio continuo finitur. *l. fin. C. de Dolo.*

23. Quantum ad formam indulgendi restitutionem attinet, ea aliter concedenda non est, nisi causâ cognitâ, & justitiâ causæ ritè examinâtâ, *l. 3. & ult. ff. h. t.* Et quidem si major restitutionem petat, Judex principaliter cognoscet de læsione, & justa causâ restitutionem petendi, quam utramque ceu fundamentum intentionis restitutionem petens probare debet. *c. 4. h. t. l. 2. ff. de Probat.* Si minor ex capite minorennitatis petat, duo itidem à Judice cognoscenda, & à minore probanda sunt, nempe minorennitas: hæc enim non præsumitur, nisi quid aliud aspectus demonstrat, *l. 4. C. de in integr. restitut. minorum. l. 9. C. de Probat.* deinde læsio, nec enim utique qui minor est, hoc ipso statim & circumscriptum se docuit. *l. 9. §. 4. ff. de Furejur.* cum tamen causa principalis restitutionis sit læsio. Videatur Mynsing. *Cent. 4. obs. 16. & 17.*

§. VI.

24. *Finis* Restitutionis in integrum est, ut hoc remedio extraordinario lapsis ætate, vel errore, aut aliâ justâ causâ, vel dolo deceptis subveniatur.

§. VII.

25. *Effectus* Restitutionis in integrum alius est, si consideretur ut postulata; alius est, si ut impetrata.

Effectus Restitutionis postulatae est, quòd eâ pendente omnia in eodem statu manere debeant. Quare nec sententia poterit executioni mandari, quàm diu restitutionis quæstio manet indiscussa. *l. un. C. in integr. restit. postul. ne quid novi fiat.* nisi præsumptio sit, malò animò, & causâ impediendi effectum sententiæ restitutionem peti: tunc namque sententiæ executioni mandabitur, receptâ tamen à victore idoneâ cautione, se universâ, quæ occasione sententiæ perceperit, si adversarius in restitutionis judicio prævaluerit, restitutum. *Text. Gloss. & Panorm. in c. 6. h. t.*

Effectus Restitutionis impetratae est, quòd 26 quilibet jus solum salvum habeat, tam is, qui restituitur, quàm alter, adversus quem restitutio fieri postulatur: *l. un. C. de Repet. qua fiunt in judicio in integrum restitutionis.* Hinc restitutione contra venditionem factâ sicut restitutus rem venditam recuperabit, sic vicissim emptori pretium restitui debet. *l. 27. §. 1. ff. de Minoribus.*

Difficultas superest, an, & quinam fructus 27 impetratâ restitutione in integrum restituendi veniant? quam diligenter versat P. Engel *h. t. n. 18.* Covarr. *d. l. 1. V. R. c. 3.* & Gibal. *de Univers. rer. hum. negot. l. 3. cap. 4. §. 6.* quos, si lubet, consule.

TITULUS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ factâ.

SUMMARIA.

1. Ex hac alienatione datur actio in factum.
2. Qualis sit hæc actio? 3. Unde descendat?
4. Qui 5. contra quem 6. & ad quid detur?
7. Quenam in hac actione probanda?
8. Finis 9. & effectus hujus actionis.

PER restitutionem in integrum jure communi succurritur etiam ei, in cujus damnus res, de qua lis timetur, causâ mutandi judicii alienatur: pollicetur enim Prætor *actionem in factum*, nisi res in pristinum statum restituatur per *l. 1. ff. h. t.*

§. I.

Definitur hæc actio in factum, quòd sit 2 personalis, prætorica, arbitraria, rei persecutoria, quâ is, qui rem futuri judicii mutandi causâ alienavit, convenitur in omne id, quod interest, rem alienatam in duriores adversarium non esse. Colligitur ex *d. l. 1. l. 3. §. 4. & l. 4. §. 5. l. 8. ff. Eodens.*

§. II.

Causa efficiens hujus actionis est vel remota 3 vel proxima. Proxima est obligatio. Remota est vel principalis, vel instrumentalis. *Principa-*

Dd 2

cipa-

capalis est Prætor: ex hujus enim edicto hæc actio & restitutio descendit. l. 8. §. ait. Prætor. ff. h. t. Instrumentalis est delictum, nempe dolosa alienatio iudicii mutandi causâ facta; quæ tunc contingit, cum adversarius rem, super qua conveniri posset, ante acceptum iudicium alienat in personam potentiorum, vel quæ sit alterius fori, ut actori duriorum litem constituat. l. 1. 2. 3. & 4. ff. h. t.

§. III.

4 *Subiectum* Actionis hujus est, vel activum, vel passivum. *Activum* est is, cui competit. Competit autem ei, in cujus fraudem res est alienata; & quia ex parte ejus hæc actio est rei persecutoria, etiam ejus hæredi datur. l. 4.

5 §. fin. h. t. *Subiectum passivum* est is, contra quem datur. Datur autem contra illum, qui timens futurum super re certa iudicium, dolosè illam rem alienat in adversarium duriorum, potentiorum, vel alterius fori. Contra ejus hæredes verò non datur, quia descendit ex delicto alienantis. l. 4. §. fin. junctâ l. 7. ff. h. t.

§. IV.

6 *Objectum* actionis hujus est id, quod actor eadem persequitur. Persequitur autem, quod ipsius interest. rem non esse alienatam, & adversarium alium non habuisse, ut si quis fortè impensas fecerit, aut si quam aliam incommoditatem passus erit, alio adversario substituto. Textus in l. 3. §. 4. ff. h. t.

§. V.

7 *Forma* consistit in modo hanc actionem deducendi in iudicium. Ut autem ritè deducatur, tria probanda sunt. I. Quòd alienatio facta sit futuri iudicii mutandi causâ, id est, propter litem, quæ super re timebatur. l. 8. §. 1. ff. h. t. nam quæ litæ jam coeptâ, & intentatâ sit alienatio, ipso jure nulla est, utpote rei litigiosæ. l. 2. C. de Litigiosis. & consequenter hæc actio superflua. II. Quòd alienatio facta sit in fraudem, atque ita animo doloso. l. 1. ff. h. t. nam si quis alia de causa, puta ex necessi-

tate solvendi creditores, ob adversam valetudinem, senectutem, aut alias occupationes necessarias rem alienaverit, cessat hæc actio. l. 4. §. 1. & 3. & l. 10. ff. Eod. Idem est, si res alienetur per actum ultimæ voluntatis. l. 8. §. 3. ff. Eod. quia talis alienatio præsumitur facta esse sine dolo, cum nemo censeatur in ultimis esse immemor suæ animæ. III. Probari debet, quod ex facta alienatione conditio auctoris reddita sit deterior & durior. l. 4. §. 5. ff. h. t. unde si alienans rem alienat in hominem paræ secum conditionis; aut si rem alienatam ante motam litem iterum recuperet; vel paratus sit pati iudicium, non dabitur hæc actio. l. 3. §. fin. l. 4. §. 1. & l. 8. §. 4. ff. h. t. & ibi Zoësius à n. 3. Gonzalez ad c. 2. h. t. n. 15. & 26.

§. VI.

Finis hujus actionis exprimitur in sæpe d. l. 1. ff. h. t. in illis verbis: *Omnibus modis Proconsul id agit, ne cujus deterior causa fiat ex alieno facto, & cum intelligerit iudiciorum exitum interdum duriorum nobis constitui, opposito nobis alio adversario; in eam quoque rem prospexit, nisi quis alienando rem aliam nobis adversarium in loco substituerit, idque datâ operâ in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostrâ interest, alium adversarium non habuisse.*

§. VII.

Effectus est ipsa restitutio, quâ actor consequitur, quatenus ipsius interest, rem per fraudem alienatam non fuisse.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIUM.

1. Arbitri homonymia. 2. Et definitio.
3. Qualiter differat arbiter compromissarius ab arbitro juris, & ab arbitratore?
4. Usque 9. Quibus. 9. Usque 15. In quos 15. In quibus causis. 16. Quo modo? 17. Et cur compromittere liceat?

17. Si plures sint Arbitri & dissentiant, cujus sententia fietur? 19. Usque. 22. Effectus suscepti compromissi, & sententia Arbitrorum.
 22. Sententia Arbitri standum est. 23. Nec datur ab ea appellatio. 24. Aut reductio ad arbitrium boni viri.
 25. Quibus modis cesset potestas arbitri?

Cum arbitria ad iudiciorum formam redacta sint. l. 1. ff. de Receptis. qui arbitri. ideo titulo de Iudiciis, hic de Arbitr. præmittitur.

§. I.

1. **Arbitr.** sumitur vel genericè, vel specificè. Genericè arbiter dicitur omnis ille qui ad aliquod negotium æstimandum, & terminandum constitutus est. Specificè autem & propriè accipitur pro arbitro compromissario; de quo potissimum in præsentia agit.

§. II.

2. **Definitur** arbiter compromissarius, quòd sit is, qui ex libera partium voluntate, ac compromisso eligitur ad litem servato juris ordine dirimendam. Colligitur ex l. 13. §. 2. ff. de Receptis, qui arbitri.

3. Dicitur I. qui ex libera partium voluntate, & o. ut excludatur arbiter, qui ex legis, aut statuti necessitate à Iudice, vel à Partibus suscipitur, & hinc arbiter juris, vel arbiter necessarius salutaris; quales sunt illi, qui recusato Iudice tanquam suspecto eliguntur, ut de causa suspicionis cognoscant. c. 39. de Offic. deleg. c. 111. Eod. in 6. Gail. 1. Obs. 33. in fine.

Dicitur II. Ad litem servato Furis ordine dirimendam: ita ut coram eo libellus offerri, lis contestari, & reliqua solennia observari debeant, quæ ad iudicium requiruntur. d. l. 1. ff. de Recept. qui arb. Et per hæc distinguitur arbiter ab Arbitratore, qui à partibus assumitur, ut de plano, & sine longa sufflamine litis ex bono & æquo contractus, & controversias super iis amicè componat, & determinet. l. 76. ff. Pro socio. Gail. 1. Obs. 150. n. 4.

4. **Causa efficiens** Arbitri ex una parte est com-

promissum, id est, promissio, quæ litigantes sibi invicem cavent, quòd sententiæ electi arbitri stare velint; ex altera consensus arbitri, cum nemo invitus in se arbitrium recipere cogatur. l. 3. §. 1. ff. de Recept. qui arbitri.

Compromittere possunt omnes, qui possunt contrahere, & quibus est libera rerum administratio, easque alienandi facultas: compromissum namque est species conventionis, & ad alienationem tendit. Unde alii nequeunt compromittere in causa propria, alii in causa aliena.

In causa propria compromittere nequeunt, I. Servus. l. 32. §. si servus ff. de Recept. qui arbitri. II. Pupillus sine tutoris autoritate. l. 35. ff. Eod. III. Minor, si habeat curatorem, sine ejusdem consensu, & Prætoris decreto; quòd si curatorem non habeat, compromittere quidem potest, sed læsus restituitur in integrum. l. 34. §. 1. ff. de Minoribus. IV. Furiosus & prodigus. l. 27. §. coram. ff. de Recept. qui arbitri.

In causa aliena compromittere nequeunt, I. Fœmina; quamvis super re sua possit. d. l. 32. §. 2. Eod. II. Tutor, aut curator sine Iudicis decreto, aut prætermisissis solemnitatibus illis, quæ in alienatione rerum minorum, aut pupillorum desiderantur. III. Prælati, aut alii Beneficarii in præjudicium Ecclesiæ, cum tantum administratores sint, non Domini rerum Ecclesiæ, c. 3. h. t. IV. Procurator, nisi sit procurator in rem suam, vel habeat speciale mandatum; aut mandatum generale cum libera. c. 9. junctâ Glosâ h. t. & l. 58. ff. de Procur.

Dubium est: an vasallus absque consensu Domini super re feudali possit compromittere? Et verius est, non posse; tum quia in controversia super re feudali tantum Dominus est iudex competens. c. 6. & 7. de Foro compet. tum etiam quia vasallus non potest rem feudalem alienare invito Domino.



c. imperialem. de Prohibita feudi alienatione per Frid. l. 2. f. tit. 55.

9 Arbitrium recipere possunt omnes, qui de jure non prohibentur *arg. l. cum Prator. ff. de Judiciis.* Neque refert, sitne Pater, an filiusfam. l. 5. & 6. ff. de Recept. qui arbitr. laicus, an Clericus. l. 32. §. 4. ff. Eod. integræ famæ, vel infamis. l. 7. pr. ff. Eod. Expresse verò prohibentur alii *Jure Civili*, alii *Jure Canonico*.

10 *Jure Civili* arbitri officio fungi prohibetur. I. Servus. d. l. 7. II. Minor 20. annis. l. 41. ff. Eod. III. Surdus, mutus, furiosus, & mente captus. l. 9. §. 1. ff. Eod. IV. Mulier. l. fin. C. de Receptis arbitris, nisi de jure, vel consuetudine jurisdictionem habeat, puta nisi sit Regina, Ducissa, Marchionissa, Abbatisa, &c. c. 4. h. t. V. Judex ordinarius illius causæ, in qua Judex est. l. 9. §. 2. ff. de Recept. qui arbitr. Etsi de *Jure Canonico* recipiatur, juxta c. 5. c. 7. & ibi Laym. h. t. VI. Nemo in propria causa potest esse arbiter, sicut nec judex. l. 51. ff. de Recept. qui arbitr. Diversum est de arbitratoro, cum is non procedat judicialiter, sed ex æquo & bono.

11 *Jure Canonico* arbitri officio fungi prohibetur. I. Laicus in causa spirituali. c. 8. h. t. autoritate tamen Delegati Pontificii compromissum factum in laicum & clericum valet. c. 9. Eod. II. Notorie excommunicatus. c. significasti. cum vulgatis de Sentent. excom, quia huic est interdicta communicatio etiam in humanis, nisi in necessariis. Panorm. in c. Quintavallis. n. 29. de Furejur. III. Religiosus, cum arbitrium formam judicii postulet, quam exercere non convenit Religiosis: non enim Monachus judicii forensis debet esse susceptor. c. 20. & 35. causa 16. q. 1. Si tamen Monasterii utilitas exposcat, & legitimi Superioris accedat licentia, Religiosus hujusmodi munere fungi poterit.

12 Planè compromitti potest in unum, vel plures, sive pares sive impares numero, con-

venientius tamen in numero impares compromittitur, ne contingat arbitrium per paritatem impediri. c. 1. h. t. l. 17. §. 6. ff. de Recept. qui arbitr. Sed

Quæres I. cujus sententia prævaleat, si plures arbitri electi inter se dissentiant? Illam valere, in quam major pars convenerit. d. c. 1. h. t. & l. 27. §. 3. ff. de Recept. qui arbitr. Quod si verò tres v. g. fuerint electi, & circa summam aliquam pecuniariam determinandam quilibet diversam ferat sententiam, & unus 15, alter 10, tertius 5, pronuntiet, tunc juxta d. l. 27. & c. 1. h. t. in 6. dicitur prævalere illius sententia, qui minimam quantitatem pronuntiavit: ex ea ratione, quod minor summa continetur in majori, sicque reliqui majorem summam determinantes censentur implicite etiam in minorem consensisse. Atque ita indistinctè tenet Vallensis h. t. §. 4. n. 1. & alii. Verùm hoc quidem ob allegatos textus sustineri potest, si minor summa adhuc sit intra terminos justii pretii, & æquitatis; vel si, qui majorem summam pronuntiat, possit rationabiliter præsumi, non esse invitum contra summam minorem: absolute autem & indistinctè minatur videtur salvâ æquitate defendi haud posse, multò minùs praticari. Quid si enim ex 5. arbitris à se invicem dissidentibus unus pronuntiaret, deberi 5, reliqui verò omnes ultra 100. annæ prævalebit sententia prioris. Certè hoc ab æquitate absolum foret, neque reliqui ulla ratione præsumi possent, in tam parvam summam consentire. Igitur qui vult majorem summam, vult quidem etiam minorem, prout hæc in illa includitur, non verò vult minorem tantum, & prout spectatur separatum à summa majori: sicut qui vult vendere domum pro 1000. non vult vendere pro 100. tantum, & quatenus sunt summa separata. Proinde in præsentii potius æquitas, & mens legis attendi debet, quam verba.

Quæres II. num omnes arbitri præsentii

esse debeant, ut plurimum sententia subsistat? Aliud Jure Civili, aliud Canonico constitutum reperitur. Hoc satis est, omnibus legitime vocatis adesse majorem partem, v.g. duos è tribus. *c. 2. h. t. in 6.* Illo autem omnium præsentia requiritur. *l. 17. §. ult. & l. 18. ff. de recept. qui arbitr.* Debet verò quodlibet in suo foro observari, exceptis causis Ecclesiasticis, & Clericorum, circa quas in utroque foro prævalet Jus Canonicum. *c. 9. de foro compet.*

§. IV.

15 *Materia, seu objectum arbitri sunt causæ controversæ, ejusdem arbitrio per compromissum submissæ. De his regula esto, super quibusvis causis compromissum valere. Excipitur I. causa criminalis. c. penult. de in integrum restit. quia crimina non privato arbitrio remittenda, sed publicâ autoritate condignè vindicanda sunt. II. Causa matrimonialis. d. c. penult. quia conjuges facillè compromitterent, ut à vinculo matrimonii per arbitros solverentur, contra illud: quod Deus conjunxit, homo non separet. III. Causa libertatis. d. c. penult. quia requirit majorem judicem. l. fin. C. ubi causa statuit. IV. Causa beneficiæ, ne sine canonica institutione aperiatur via ad beneficia Ecclesiastica contra c. 1. de R. F. in 6. V. Causa exemptionis. c. 5. h. t. ne jus eximentis per arbitrorum sententiam lædatur ex facto exempti contra c. nimis. de Fur. Patron. VI. Res judicata. c. 1. h. t. interest enim Reipublice semel Judicis sententiâ decisas, ac sopitas non resuscitari. VII. Causa restitutionis in integrum. l. fin. C. ubi & apud quem. Quia restitutio in integrum continet in se publicam utilitatem, teste Barth. in l. 1. ff. de in integr. rest. arbitri autem sunt tantum judices privati. In summa compromitti non potest in quibusvis causis arduis, & magni præjudicii. Panorm. & Laym. in d. c. penult. de in integrum restit.*

§. V.

16 *Forma, seu modus, quo in arbitros com-*

promittitur, est varius: etenim vel simpliciter stipulatione aut nudò pacto: vel sub stipulatione certæ poenæ, aut additò juramentò, vel definitè cum adjectione certæ diei, ad quam causa definiri debeat: vel indefinitè in unum, vel plures compromitti potest. *l. 11. §. 3. l. 27. §. fin. & passim ff. de Recept. qui arb. c. 6. §. VI.*

Finis, ob quem communi consensu arbitri assumuntur, est, ut per eos controversiæ sine publico judiciorum strepitu sedentur, atque hoc modo impediatur litis ingressus, evitenturque judiciorum moræ, & sumptus, aliæque incommoda. *arg. l. 1. & l. 37. ff. Eod.*

§. VII.

Effectus plures occurrunt. Alii ex parte arbitri, alii ex parte compromittentium.

Effectus ex parte arbitri sunt. I. Quòd susceptum semel officium rectè ab ordinario Judice compellatur implere, licet ab initio ad id suscipiendum cogi nequeat. *l. 3. §. 1. ff. de recept. qui arbitr. & ibi Zoësius n. 20.* II. Quòd debeat procedere secundum tenorem compromissi, ejusque fines non possit excedere. *l. 32. §. 15. l. 46. l. 50. ff. Eod.* Hinc cum arbitri tantum sit de expressis in compromisso judicare, mutuas petitiones & reconventiones, quas quilibet Judex ordinarius admittit, ipse admittere nequit. *c. 6. & ibi DD. h. t.* III. Quòd arbiter debeat juris servato ordine litem disceptare, eamque suâ pronuntiatione omninò terminare per *l. penult. C. de receptis arbitris.* Honorius *h. t. n. 1.* IV. Quòd sententia per arbitrum lata (quæ *laudum, placitum*, aut *arbitrium* nuncupari solet) ab eodem corrigi nequeat. *l. 20. ff. de recept. qui arbitr.* nam ubi primum fuit pronuntiatum, suò officio functus est, & ita nihil mutare valet. *l. 19. §. 2. ff. Eod.*

Effectus ex parte compromittentium est. 2.

I. Quòd arbitri sententiæ stare debeant, sive æqua sit, sive iniqua. *l. 27. §. 2. ff. eod. c. 9. h. t.*
Quòd

Quod si decreverint, conveniri possunt: & quidem, si stipulatione compromissum factum fuerit & adjecta poenâ certâ, conditio certi, scilicet ad præstandam poenam. *l. 2. ff. de Receptis qui arbitri.* si citra poenam, actio ex stipulatu ad id, quod interest, contra eum, qui non pareat sententiæ, datur. *d. c. 9. d. l. 27. §. fin.* Sin autem compromissum factum sit pacto nudo, & partes sententiæ arbitri vel subscripserint, vel intra 10. dies non contradixerint, atque ita eam tacite, aut expressè homologaverint, hoc est, approbaverint, fugienti exceptio pacti, agenti verò actio in factum conceditur. *l. 5. C. de Receptis arbitris.*

23 II. Quod à sententiâ arbitri appellari nequeat. *l. 1. C. Eod.* & hoc ideo: quia appellatio suspendit jurisdictionem, quæ nulla est in arbitro: & partes sibi imputare debent, quod in arbitrum consenserint, ejusque sententiâ approbaverint. Id tamen intelligendum est de arbitro compromissario: ab arbitro enim juris appellari posse, constat *ex c. 11. de Offic. Deleg. in 6. l. fin. C. de Judiciis. l. 9. ff. qui satisfaciunt. cog. Mynsing. Cent. 4. Obs. 68.* Ratio diversitatis est: quia arbiter juris ex necessitate assumitur, & est ad instar Judicis ordinarii, habetque à lege jurisdictionem *arg. c. 39. de Offic. Deleg. & ibi Panorm. n. 8.*

24 Illud hic disquiri potest: an non saltem ob gravem læsionem à parte probatam ab arbitri sententiâ detur reductio ad arbitrium boni viri, nimirum Judicis, qui remoto compromisso fuisset ordinarius: ita ut is de novo causam expendere, & arbitrium corrigere valeat? quod nego: tum quod laudo, seu sententiæ arbitri præcisè standum sit, sive æqua sit, sive iniqua, ut dictum: tum quod non modo per compromissum fieri videatur quædam transactio, quæ rescindi nequit, sed etiam, quod reductio ad arbitrium boni viri pertineat ad sententiâ arbitratoris, quæ arbitrariè unum appellatur. *l. 76. & seq. ff. pro socio. P. Engl. h. t. n. 7.* Si tamen iniquitas omninò manifesta ac notoria sit, & constet, arbitrum per sordes, dolum, vel inimicitiam, sententiâ dixisse, contra executionem à condemnato exceptio doli agenti opponi poterit. *l. 32. §. 14. ff. & l. 3. C. de Receptis arbitris.* Et hic dolus præsumitur ex enormi læsione, *arg. l. 36. ff. de V. O.* Ratio discriminis, quare prædicta reductio contra arbitratorem absolutè detur, etiam in iniquitas non sit manifesta, forsân est, quia arbitrator, cum non servet juris ordinem, facilius iniquam sententiâ ferre potest, quæ correctione indigeat, & propterea partes sibi reservare præsumuntur arbitrium boni viri. Accedit quod jura magis faveant arbitramento, eò quod amicaliter, & absque speciali rigore judiciali fieri solet.

§. VIII.

Contraria sunt modi, quibus cessat officium arbitri. Cessat autem I. morte arbitratorum, etiam unius, si plures fuerunt electi, & res adhuc sit integra *arg. l. 35. ff. de Receptis, qui arbitrium & c. 42. de Offic. Deleg.* II. Morte alterutrius compromittentium: censetur enim compromissum pactum merè personale, nisi in compromisso utrinque hæredum sit facta mentio. *c. 10. & c. fin. h. t.* III. elapso tempore, ad quod arbiter constitutus est. *l. 1. C. de Receptis arbitris.* IV. finitâ causâ & latâ sententiâ. *c. 11. h. t. l. 19. & seq. ff. de Receptis, qui arbitri.*

DEO Supremo Judici, Deiparæque Advocatæ
nostræ Honor & Gloria.

F I N I S.